Mag. St. Dr.
67 28,371
Math.

...ion Apiani.
Bongus de numeris mysticis
Ludolphi Vanden circkel.

Galli dicunt: Via sola longa
Hispanicum proverbium Da luengas vias luengas mantiras.

1 2 3 4. Vide fol. 136

Cim 8773
8775

Mathes. 67.

R II. 24.

MYSTICAE

NVMERORVM SIGNIFICATIONIS LIBER

IN DVAS DIVISVS PARTES,

R. D. PETRO BONGO
CANONICO BERGOMATE
AVCTORE:

Opus maximarum rerum, & plurimarum doctrina, suauitate, copia, & varietate refertum,

Theologis, Philosophis, Mathematicis, atque alijs studiosis omnibus, tam vtilitatem, quam iucunditatem allaturum.

DE SVPERIORVM LICENTIA.

BERGOMI CIↃ IↃ XXCV.
Typis Comini Venturæ, & Socij.

Sumptibus Sp. viri D. Francisci Franc. Senensis.

Oraculum Spartanus datum 145.

Joannis Brosii.

Mathes. 218.

MYSTICAE

NVMERORVM

SIGNIFICATIONIS

LIBER

IN DVAS DIVISVS PARTES,

P. D. PETRO BONGO

CANONICO BERGOMATE

AVCTORE:

Opus maximarum rerum, & plurimarum doctrina, lua-
uitate, copia, & varietate refertum.

Theologis, Philosophis, Mathematicis, atque aliis Fru-
ctuosus, tam cultiorum, quam incruditorum.

DE SVPERIORVM LICENTIA.

Cimelio 8774

BERGOMI CIↃ IↃ XXCV.

Typis Comini Ventura, & Socij.

ILL.mo ET R.mo DOMINO
D. LVDOVICO MADRVCCIO
CARDINALI AMPLISSIMO,

PETRVS BONGVS S. P. D.

EST hoc generi hominum prope natura datum, vt quo artium & institutorum genere patres & maiores aliquorum præstiterint, hoc qui sunt eorum stirpis, quod natura ipsa duce, quæ plurimum valet, & assiduis domesticorum sermonibus excitentur, cupidissime persequantur. Ego his parentibus ortus sum, qui non modo se in his locis, quæ ditionis tuæ sunt, natos commemorabant, sed etiam qui se in fidem clientelamq. maiorum tuorum contulerunt, eosq. mirifice coluerunt. Id illi summo consilio feciſſe existimati sunt. summam enim sapientiam & spectatam Gaudentij aui tui grauitatem admirabantur, eumq. non solum reliquis Germanis, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendum ducebant. Ne hæc quidem Ferdinandum Imperatorem summum illum virum latuere, qui ad sanctiora consilia Gaudentium semper adhibuit, cuique cum nihil esset antiquius, quam vt liberi sui optimis disciplinis, & maximarum rerum scientia instruerentur, Maximilianum & Ferdinandum Gaudentio potissimum regendos & educandos commisit. Nicolaum patrem tuum, gloria belli & militaribus factis insignem, omnibus sermonibus celebrabant. Hunc Germanico bello Germanorum copijs Carolus V. Imperator præfecit, eiusq. opera forti & fideli vsus est. idem Tribunus celeberrimi nominis Parmensi bello exstitit; & Senensi Iacobus Medices, penes quem summa rerum erat, omnem victoriæ spem in eius virtute collocarat. sed ibi, dum omnia sua consilia ad gloriam & dignitatem refert, dum non minus eius virtus ab hostibus timetur, quam ab amicis bonitas diligitur, exstinctus est. Aliprandus patruus tuus vir consilij magni & virtutis habitus est, honestissimumq. locum in Caroli V. Impe-

ratoris exercitu obtinuit. is eo prælio, quod Cerisolæ commissum est, non tam adhortando, quàm pugnando militum animos, quibus præerat, accendit, suoq. corpore dimicans, conserta cum Heluetiorum duce manu, miscuit certamen, obtruncatoq. hoste, ipse pugna sine vllo vulnere excessit. idem in his bellis, quæ in Germania, & apud Belgas a Carolo Imperatore gesta sunt, magnos honoris militaris gradus assecutus est, nec alius vir fuit, cuius strenue ac ferociter facta in bello plura memorari possent. Verum cum magnam de se expectationem adhuc iuuenis concitasset, Vlmæ immaturo interitu hinc ereptus est. Christophorus summus & amplissimus Cardinalis, & ad homines iuuandos tutandosq. natus Carolo V. Imperatori & Philippo regi eius filio carus & iucundus fuit. huic illi regendarum ciuitatum scientissimo rerum Mediolanensium summam imperiumq. permiserunt. hanc ille prouinciam tanta ratione, tanto consilio administrauit, vt illius auctoritate, iustitia, abstinentia, & temperantia reuixisse putarentur; magnoq. esset apud Imperatorem & Regem nomine & gloria, & collatus in eum honos ei, qui contulisset, magnam iudicij laudem afferret. Multas præterea legationes obire a Summis Pontificibus coactus est; delatosq. nouos honores meritorum magnitudine anteibat. In summos hos viros maiores mei omnia sua studia, & officia contulerunt. hæc vero eorum pulcherrima instituta non solum ad intuendum, sed etiam ad imitandum mihi proposita sunt: & quamquam exigua vis ingenij data sit, tamen vt eorum vestigijs in te colendo insistam, quædam necessitas mihi imposita est: præsertim, quod eos honores adeptus es, vt auitum & paternum splendorem æquaris: nam cum adhuc ætate inuenis esses, sed senili prudentia in magna clarorum virorum copia ipse potissimum a Ferdinando Imperatore & conuentu Augustano delectus es, qui ad Franciscum secundum Gallorum regem legatus mitterere, & de grauissimis rebus ageres A Pio IIII. ita in Cardinalium collegium es cooptat⁹, vt non beneficium tibi dedisse, sed vt meritum debitumq. honorem tibi persoluisse videretur. Concilio Tridentino tanta cum laude affuisti, vt nullius sententia grauior haberetur. Cum te Romam contulisti prope vna totius Germaniæ voce eius prouincię

patro

patrocinium ſuſcipere coactus es. quare quod non modo tot tantaq. ornamenta, quot & quanta uel ab honoris cupidiſſimo uiro poſſunt optari, in te congeſta ſunt, ſed etiam meum ſtudium fidemque amplexus es, res poſtulare viſa eſt, vt quidquid ſum, & quantus quantus eſſe poſſum, totum me tibi addicerem. quæ cum ita ſint, me omnia ſtudia atq; obſequia tibi præſtaturũ polliceor; idq. effecturum confirmo, vt neq; a meis maioribus, neque a me ipſo degeneraſſe videar; veterumq; beneficiorũ magnitudinẽ memoria colam ſempiterna, & nouę gratiæ a te initæ munus omnibus meis viribus tuendum & illuſtrandum curabo. Interim cum aliquod perpetuæ meæ in te obſeruantię teſtimonium exſtare cuperem, hunc de numerorum myſterijs librum, in quo plurimum temporis contriui (utinam cum laude aliqua) in tuo nomine diuulgandum eſſe duxi. etenim numerus nihil aliud eſt, quàm ordo: ordo uero diuino beneficio nobis datus eſt. quare eo libentius hoc feci duas item ob cauſſas. Quarũ altera eſt, quod hæc, quæ in recondita & arcana numerorum ſcientia verſabantur, meaque interpretatione illuſtrata erant, cum tuis ſtudijs congruebant. illud enim ſatis conſtat, ordinem, ſi vſquam, in vita & moribus tuis elucere, teque omnia myſteria, quæ penitus in media Theologia & Philoſophia abdita ſunt, & retruſa, tui ingenij acie penetraſſe. Quare hinc futurum intelligebam, vt quæ de ſummis & diuinis rebus traderentur, ea ſummi & diuini hominis titulo cohoneſtarentur. Altera, quod hoc opus, poſitum in ampliſſimi & illuſtriſſimi hominis auctoritate, plus neſcio quo pacto videbatur habere grauitatis. omnia vero, vt ſpero proſpere procedent, ſi operis mei tenuitatem humanitatis tuæ magnitudo ſubleuabit, meq. dignũ iudicabis, a quo donum animo ac uoluntate eius, qui libens dat, quam re maius ampliuſque accipias. Id autem ſi conſequar, vt induſtria mea tibi probetur, & operam hoc in libro bene a me poſitam ducas, meos labores ſatis magno fructu compenſatos exiſtimabo, & meis conſilijs beneuolentiæ tuæ ſpem quaſi numen aliquod propitium affuiſſe arbitrabor.

BENIGNO LECTORI

PETRVS BONGVS S. D.

QVoniam nihil fere iucundius pleriſque videtur, quam aliena loqui, & aliena iudicare (ſunt enim vitia maxime communia, inuidia, maleuolentia, obtrectatio) diu multumque dubitaui, num meas has qualeſcunque lucubrationes naufrago committerem iudicio. Nam præterquam quod improba quorundam cenſorum impudentia eouſque proceſſerit, vt Pythagoricam diſciplinam, Mathematicaſq. ſcientias, & ipſam etiam Theologiam ludibrio habeat; ut Philoſophiam omnem ex malo exiſtimet ſe in hominum concilia inſinuaſſe, ſapientiæq. ſtudia, ingenij iactantioris ſomnia & meras nugas eſſe dictitet; me etiam deterrebat ingenij mei mihi perſpecta tenuitas, & nulla in ſcribendo exercitatio. Quamquam is mihi iamdiu ſuſceptus labor de myſterijs, quæ latent in ratione Numerorum, orationis elegantiam non requirere videatur. Verum nonnulli amici, quibuſcum hæc communicaui, animos mihi addideruut, quidquid id eſſet, quantulumcunque eſſet, laudabile eſſe dicentes, aliquid in commune laborasſe. Commemorabant illud Platonis, qui ſic ad Architam ſcribit: Illud te conſiderare oportet, noſtrum neminem ſibi ſoli natum eſſe, ſed ortus noſtri partem ſibi patriam vendicare, partem parentes, partem amicos, atque (vt placet Stoicis) quæ gignuntur in terris ad vſum hominum creantur omnia. Homines autem hominum cauſa ſunt generati, vt ipſi inter ſe alij alijs poſſent prodeſſe; in hoc naturam ducem ſequentes, quæ nos euidenter docet ſemper publica dona priuatis anteponenda, ſicut & IEHOVA omnibus creaturis ſimul benefacit, oculum mundi Solem oriri faciens ſuper bonos, & malos, iubetq. nos aliorum ſalutem æque ac noſtram quærere, & his benefacere, qui nobis detrahunt. Nec vero mihi quiſquam improbe dentatus impingat, quod aliena crebrius hic interſeram, quaſi aliorum opibus ipſe locupletari non erubeſcam. Cum enim duplex ſit argumentandi modus, vnus videlicet ratione, alter auctoritate conſtans: ac in reliquis diſciplinis primum locum teneat ratio, poſtremum auctoritas; in hoc non tam rationis, & garruli Syllogiſmi, quam auctoritatis ſibi vendicant locum. Triumphant in natura, & humanis inuentionibus, atque figmentis, ſi fas eſt, Syllogiſmorum artificia, ſed in Pythagorica diſciplina, quæ diuina ſcrutatur myſteria, locum ſibi minimum ſperent ac tenuem. Gregorius ille Theologus, qui eminet inter noſtrates in omni theologicæ facultatis genere, omnique verborum ac ſententiarum venuſtate, ſimul & grauitate, oratione prima in Iulianum, diſciplinam Chriſtianam teſtatur eſſe Pythagoricam. Atqui apud Pythagoricos tantum poterat præiudicata auctoritas,

vt

vt sine ratione valeret; illis etenim IPSE DIXIT illud, primum & maximum erat è dogmatibus, & aureis verbis, aut etiam plumbeis præstantius. Post primam enim & initiandis decantatam taciturnitatis Philosophiam, quo sermonis mensuram silentio exercerent, præscriptum ipsis erat, vt si quis eos de dogmatibus suis interrogaret, aut de eorum demonstrationibus aliquam exigeret rationem, nil aliud responderent, quam quod ita uisum fuisset Pythagoræ, essetq; assertio illa dogmatis ratio inculpabilis, ac irreprehensibilis, more profecto Cabalistarum, qui ferme non aliter cognoscendarum rerum rationes citant, quam dixerunt Sapientes, a quibus illam doctrinæ præstantiam acceperunt, & iuremerito quidem ipse quoq; Cabalista nominandus erat, quamuis vt post diuturnam e longinquo peregrinationem aliquid admiratione dignum referret in patriam, quod facilius vulgo crederetur, ipse nomen Cabalæ suis incognitum, primus in nomen Philosophiæ Græcum mutauerit. Ita veterem disciplinam noui nominis conatus est ornamento vestire. Hinc etenim animaduerti licet, omnem fere Pythagoræ philosophiam a Cabaleis ortam esse. quod pari modo Symbolicum tradendi morem ad Græcos transtulit, sicut Cabala, quæ nil profecto aliud est, nisi Symbolica Theologia, in qua non modo litteræ, ac nomina sunt rerum signa, verum res etiam, rerum.

IO. BAPTISTAE MAGENI
BERGOMATIS
Carmen.

PHœbe nouos plectro latus qui pandis honores,
Orbique profers lumina,
Aonidum cœtus deno qui perficis orbe,
Ornas & tua præsentia,
Pelle procul turbam, vulgusq. hinc pelle profanum,
Veterno putri deditum.
At si quem doctas iuuat exercere per artes
Mentis vires Palladia,
Te Duce iucundo numerosa volumina nostri
Doctoris legens perlegat.
Inuide quid rabido laceras hæc munera dente,
Magnis oblata Patribus?
Cur frustra natum dicas, aut viuere frustra,
Cunctis bonum quem noueris?
Quem sæuus durum nullus fregit labor, aut quem
Nunquam vicit inertia.
Insomnes nunquam spreuit qui ducere noctes,
Curis qui nunquam vacuus?
Quales astra super maiorum rettulit ætas
Virtute cinctos inclyta.
Quod patriæ, quod amicis, quodq. sodalibus ortos,
Sibi non solis nosceret.
Vnde triumphales currus, ac vnde trophæa,
Parta prius victoria,
Pyramides, ludos, turres, sublimia templa,
Fumantia ijsq. altaria,
Insignes statuas erexit marmore, & ære
Regina Roma Gentium.
Heroas sic visa sibi, sic tollere Martes,
Sic atque magnos Principes.
Emeriti dignos Petri nunc esse labores
Bongi neget quis laurea?

Ad-

Abdita qui numeri reserans arcana, recessus
Ostendit nobis mysticos?
Vnde haurire queat verum sibi quiuis honorem,
Quamuis artem præ se ferat,
Cuius fama vigens totum cum sparserit orbem,
Suis adaucta laudibus,
Quid mirum cælo noua si qua refulserit & lux
Miro, nouoq. lumine?

CAMILLI CAMILLII
CARMEN ELEGIACVM.

OPtima Sanctorum tu dum uolumina passim
Voluis, & hinc promis viribus apta tuis
Mystica quid series Numerorum continet, alte
Vestigas mentis lumine BONGE nouo.
Tu, si quid factum fuerit bis, terque, quaterque,
Colligis euentum, iudiciumque doces.
Sic Deus immensam Numeris, & pondere iusto
Firmauit molem, composuitque manu.
Sic tu nunc mentes Numerorum pondere firmas,
Quos PETRE ingenio, tumque labore iuuas.
His te luminibus quænam generosa Dearum
Edidit in lucem, collis amica tui?
Collis amica tui, surgens ubi BERGOMON alta
Reddere sic Numeris mœnia tuta potest.
BONGOS in cælis quo nunc hæc cernere vultu
Credimus, & patrios quam redamare lares?
Tu, quod gens campos olim dominata patentes
Perdidit, instauras, reddis, & amplificas.
Proles fortis auis quondam, nunc nacta nepotem
Vnum, multorum compleat ille vicem.
Compleat ille vicem, proauos sic dum æmulus acres
Vincit, quem tollit tantus ad astra labor.
Vnum te præsens nostra hæc mirabitur ætas,
PETRE decus prolis, PETRE decus patriæ.

PETRVS POSTEKALSKI

In Operis, Auctorisque commendationem.

QVis neget en iterum, post sæcula longa, dolorem
Immensum cerebri sustinuisse Iouem?
Quo rursum, ut liber fieret, ceu Pallada quondam,
Nunc Heroa PETRVM in lumina dia tulit,
Ornatum studijs, virtute, & rebus honestis,
Palladis vt fratrem noscere iure queas.
Palladis ingenium nam toto vt fertur in orbe,
Sic Petri ingenium maximus orbis amat:
Pallas Pieridum genitrix ceu dicta sororum est,
Pieridum genitor dicitur esse Petrus.
Cælibe ceu vita Pallas, sic cælibe Petrus
Gaudet: fit studio tutus vterque pio.
At cum tale decus Petro, cum gloria tanta,
Tantus & immensi surgat honoris apex.
Aut summi Petrus Iouis est generosa propago,
Aut Iouis alma Petro filia mater erit.
Nam licet hæc crebro cælestia munera promsit,
Ille dedit rari sæpe laboris opus.
Tale tamen numquam lucis prodiuit in auras,
Palladium cerebrum quod peperisse putes:
Quale Petrus, soboles non inficianda tonantis,
De Numeris profert nobile dogma pijs.
Nobile dogma, prius non ullo tempore visum,
Non prius in Phœbi lumina clara datum.
Fœlix sorte tua, fœlix qui dignus haberis:
BONGE, Iouis dici filius atque nepos.
Fœlix magnorum mysteria sacra Deorum
Qui pandis, Superum concilijsque præes.
Semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt,
Dum current vndæ, dum uehet astra polus.
Seraque posteritas quoties tua scripta uidebit,
Incendet sobolem talibus ipsa suam:
Laudetur, uigeat Bongus, relegatur, ametur
Bongus, diuinas qui patefecit opes.

EIVSDEM

Hexasticon.

Pondere quid numerus, Bessisque examine præstet,
Eius vt arcanis Obruta visque modis.
Ternus quid ualeat, quæ Nam natura quaterno,
Raro iudicio Germinat iste liber.
Vix mens attingit quæ Vinxit cortice. Virus
Sedula, qua nulla est Semita, tentat iter.

ACHILLIS MVTII

ELEGIOLA.

OMnia cũ Numero, mensura, et põdere constent,
Legibus his se se cuncta creata regunt.
Est tamen in Numeris virtus maiorq. potestas,
His sine nil pondus mensio nilq. valet.
At contra Numerus, mensura, & pondere nunquam
Indiget. est semper nam satis ipse sibi.
Hoc elementa vigent animata, & cuncta mouentur
Sydera, quæ in cælo lucida nocte rotant.
Distinctæ in Numeros horæ, mensesq., diesq.,
Tellurisq. globus, cælituumq. chori.
Delectat Numeris aures, pascitq. poesis
Alma animos; format Melpomeneq. melos.
Quid moror? est similis Diuæ Arithmetica Menti;
Nam Deus est simplex, hæc quoque pura manet.
BONGVS hic, a teneris aluit quem diua Mathesis,
Quid Numeri ostendunt, vim, seriemq. docet.
Non ille historias regum, tenuesq. fabellas,
Nil falsum aut vanum, vel triuiale refert.
Sed quæ Pythagoras, reliqui Sophiæq. magistri
De Numeris tradunt, hoc notat ipse libro.
Quin sacer est, & sancta caput mysteria. vulgus
Illotis pedibus ne ingrediare caue.

INCERTI AVCTORIS

Hexastichon.

Pythagoræ studium cognoscite, raptaque PhœBo
E Iouis arce nouo munera sacra dolO.
Traditur his series Numerorum mystica: germeN
Rarum hoc: quod cuncti, quod stupet ipse MagoG.
Viribus humanis neque sunt hæc cognita nisV,
Spiritus ætbereis par parit ista DijS.

VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI LOCA
HOC IN TOMO DECLARATA.

GENESIS.

Cap.
1 IN principio creauit Deus cęlum, & terram, &c. fol. 17. 21
Fiat lux, & facta est lux. 18. 91
Et vidit Deus lucem, quod esset bona. 91
Factum est vespere, & mane dies vnus. 21
Vocauit Deus firmamētum cęlum, & factum est uespere, & mane dies secundus. 52
Et vidit Deus, quod esset bonum. 91
Fiant luminaria in firmamento cęli. 18. 19. 91
Fecit Deus duo luminaria. 19
Factumque est vespere, & mane dies quartus. 135
Et vidit Deus, quod esset bonum. 91
Factū est vespere, & mane dies quintus. 178
Fecit Deus bestias terræ iuxta species suas iumenta, & omne reptile. 178
Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. 21
Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. 21. 22. 199
Ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & feminam creauit eos. 20
Vidit Deus cūcta, quæ fecerat, & erant valde bona. 29
Et factum est vespere, & mane dies sextus. 185. 186. 187. 199. 200
2 Igitur perfecti sunt cęli, & terra, & omnis ornatus eorum. 188
Compleuit Deus die septimo opus suū quod fecerat; & requieuit diei septimo, ab vniuerso opere, quod patrarat. 199. 200
Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum 199. 200
Istæ sunt generationes cęli, & terrę quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominꝰ Deus cęlum, & terram, & omne virgultū agri. 20
Fons ascendebat e terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. 45
Inspirauit in faciē eius spiraculum uitæ. 167
Fluuius egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigādum Paradisum, qui inde diuiditur in quattuor capita. 170.
Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. in quacunq; enim die comederis ex eo, morte morieris. 33. 45.
Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi. 22. 43
AEdificauit Dominus Deus costā, quam tulerat de Adam in mulierem. 22
Cur præcepit uobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno Paradisi. 33 3
Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius. 160
Ipsa conteret caput tuum. 160. 242
Fecit dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas. 56
Adam cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: possedi hominem per Deum. 161 4
Rursumque peperit fratrem eius Abel. 161
Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit. nescio. numquid custos fratris mei sum ego? dixitque ad eum: Quid fecisti? 221
Maledictus eris super terram, quę aperuit os suum. 221
Cum operatus fueris eā, non dabit fructus suos. Vagus & profugus eris super terrā; & reliqua. 221
Omnis qui occiderit Cain septulum punietur. 221. 222
Posuitque Dominus in Cain signū, & c. 221
Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuore meo, septuplum vltio dabitur de Cain. 214. 221
De Lamech vero septuagies septies. 214
Hic est liber generationis Adam in die qua creauit Deus hominē. ad similitudine Dei fecit illum. 21 5
Nohe uir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis. 227 6
Fac tibi arcam de lignis leuigatis, & c. 35 7
Te vidi iustum coram me in generatione hac. 227
Ex omnibus animantibus mundis, tolles septena & septena, masculum, & feminam. 51. 33.
De animantibus vero immundis duo, & duo masculum, & feminam. 51. 52
Post dies septem ego pluam super terrā. 200
Cum transissent septem dies, aquæ diluuij inundauerunt super terrām. 200
Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. 182
Expectatis ultra septem diebus alijs, rursum 8

dimisit columbam ex arca. 223
Expectauitq; nihilominus septem alios dies & emisit columbam. 223
10 Nati sunt Heber filij duo, nomen uni Phaleg, eo quòd in diebus eius diuisa sit terra. 56
11 Erat terra labij vnius, & sermonum eorundem. 22.23
Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus. 22.23
Descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui; atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem. 23
12 Descendit Abram in Aegyptum. 233
13 Ascendit Abram de Aegyto. 233
Leua oculos tuos, & uide a loco in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem. 151
14 Factum est in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, & Ariothrex Pōti, & Chodolaomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentiū, inirent bellū contra Basa regem Sodomorum & ō Bersa regē Gomorrę, & cōtra Sennaar regem Adamę, & cōtra Semeber regem Seboym, contraq; regem Bale. 240
17 Circuncidetur ex uobis omne masculinum, & circūcidetis carnem prępucij uestri. 231
Infans octo dierum circuncidetur in uobis. 231.
18 Apparuit Abrahę Dominus in conualle Mābre sedēti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei, cumque eleuasset oculos apparuerunt ei tres uiri stantes prope eum. &c. 54.115.
19 Venerunt duo Angeli Sodomam vespere. 54
21 Circuncidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus. 231
Septem agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum, iccirco uocatus est ille locus Bersabeę, quia ibi uterq; iurauit. 219
22 Abraham de nocte consurgens, strauit asinū ducens secum duos iuuenes. 48.55
Die tertio eleuatis oculis uidit locum procul. 104
Dixitque ad pueros suos, expectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad uos. 48
24 Domine Deus domini mei Abraham. 162
Benedictus Dominus Deus Domini mei Abraham. 162
25 Dedit conceptū Rebeccę; sed collidebātur in utero eius paruuli. 40
Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex uentre tuo diuidentur. 47
Ne descendas in Aegyptum. 233 26
Foderunt in torrente, & reperierunt aquam uiuam, sed & ibi iurgium fuit pastorū. foderunt autem, & alium, & pro illo quoque rixati sunt, profectus inde fodit aliū puteum pro quo non contenderunt. 75.99
Affer mihi duos hedos optimos, ut faciā ex 27
eis escas patri tuo: abijt, & attulit. 55
Dilataberis ad oriētem, & occidētem, & se- 28
ptentrionem, & meridiem. 151
Seruiuit Iacob pro Rachel septem annis. 220 29
Seruiens apud eum septem alijs annis. 220
Assumptis fratribus suis persecutus est eum 31
diebus septem. 220
Cur quæris nomē meū quod est mirabile. 163 32
Ipse uero claudicabat pede. 58
Et ipse progrediens adorauit pronus in ter- 33
ram septies. 220
Fuit Dominus cum Ioseph. 142
Erat autem Ioseph pulcra facie, & decorus 39
aspectu. 142
Post duos annos uidit Pharao somniū, &c. 56 41
Audiens Iacob, quòd alimenta uēderētur in 42
Aegypto dixit filijs suis: quare negligitis, audiui, quòd triticū venundetur in Aegipto, descendite, & emite. 233
Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Aegypto. 233
An illi portātes frumenta in asinis suis profecti sunt. 233
Introduc uiros domum, & occide uictimas, 43
& instrue cōuiuium, quoniam hodie mecum sunt comesturi meridie. 198
Ascendentes ex Aegypto uenerāt in terram 45
Chanaan. 233
Hi filij Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ 46
suæ, & hos genuit Iacob, omnes animæ septem. 219
Catulus leonis Iuda ad prędam fili mi ascen- 49
disti, requiescens accubuisti, ut leo, & quasi leena, quis suscitabit eum. 76
Fleuitque eum Aegytus septuaginta die- 50
bus. 225
Celebrantes exequias planctu magno atque uehementi impleuerunt septem dies. 225

EXHODVS.

Cum circumspexisset huc atque illuc, & nul- 2
lum adesse uidisset, percussum Aegyptium abscondit sabulo. 5
Deus Abrahā; Deus Isaac, & Deus Iacob. 100 3
Si dixerint mihi, quòd est nomen eius, quid dicam eis? Dixit Dñs ad Moysen, ego sum, qui sum. ait sic dices filijs Israel, q est, misit me ad uos. 157
Deus Abrahā, Deus Isaac, & Deus Iacob. 100 4

Mor-

IN HOC OPERE DECLARATA.

Mortui sunt oēs,qui quærebāt animā tuā. 46
8 Fecerunt similiter malefici incantationibus suis, ut educerentur cyniphes, & non potuerunt. & dixerunt malefici ad Pharaonē: digitus Dei est hic. 75
12 Decima die mēsis tollat unusquisq; agnum. 233.
Septem dieb⁹ azima comedetis,in die primo non erit fermentatum in domibus uestris. 217. 218
Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus uestris. 217
13 Septem diebus vescēris azimis, & in die septimo erit solemnitas Domini. Azima comedetis septem diebus. 218
16 Egrediatur populus, & colligat quæ sufficiūt per singulos dies, &c.die autem sexto parent quod inferant, & sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies.196.& 200.
20 Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes uisitās iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. 214.
21 Si emeris seruum hebrēum: sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. 196.219.
22 Decimas, & primitias tuas non tardabis offerre. 232
23 Ter in anno apparebit omne masculum tuū coram Domino Deo tuo. 73
24 Cum ascendisset Moyses,operuit nubes mōtem, & habitauit gloria Domini super sinai,tegens illum nube sex diebus. 195
Ingressus Moyses medium nebulæ ascendit in mōtem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 206
25 Facies,& propitiatorium de auro mundissimo,duos cubitos, & dimidiū tenebit longitudo eius. 7
29 Septem diebus consecrabis manus eorū. 223
Septem diebus expiabis altare,& sanctificabis. 223
31 Dedit Dominus Moysi cōpletis huiuscemodi sermonib⁹ in monte Sinai duas tabulas testimōij,lapideas scriptas digito Dei. 47
32 Fac nobis Deos. 45
Fecit ex eis uitulum conflatilem, dixeruntq; hi sunt Dij tui Israel. 45
Fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolātes ei hostias dixerunt:isti sunt Dij tui Israel. 45
33 Facies mea præcedet te. 152
Ostende mihi gloriam tuam.Respondit. ego ostendam omne bonum tibi,& uocabor in nomine domini coram te. 152
Rursumq; ait.nō poteris videre faciem meā: non enim uidebit me homo, & uiuet. 185
Videbis posteriora mea, faciem autem meā uidere non poteris. 152.185
Excidit duas tabulas lapideas quales antea 34
fuerant. 47
Qui reddis iniquitatem patrum filijs ac nepotibus in tertiā,& quartā progeniē. 214
Fuit ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & quadraginta noctes,Panē non comedit, & aquam non bibit. 206

LEVITIC.

Cum intinxerit digitū in sanguinem, aspergeteum septies coram domino contra uelum sanctuarij. 201
Anima si præuaricans cerimonias per error- 5
rem in his, quæ domino sunt sanctificata, peccauerit, offeret pro delicto suo arietē &c. ipsumq; quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra tradens sacerdoti. 181
Anima conuicta delicti reddet omnia quæ p 6
fraudem obtinere integra, & quintam insuper partem Domino cui damnum intulerat. 181
Cum sanctificās aspersisset altare septem ui- 8
cibus,unxit illud. 201
Mulier si susceptosemine pepererit masculū, 12
immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstruę, & c. 218
Die octauo circuncidetur infantulus. 231
Si feminam pepererit,immunda erit duabus hebdomadibus. 218
Recludet eum sacerdos septem diebus, & 13
considerabit die septimo, & siquidem lepra ultra non creuerit, nec transierit in cute, rursum recludet eum septem diebus alijs. 224
Si sanatus fuerit,qui huiusmodi sustinet pas- 15
sionem,numerabit septem dies post emūdationem sui, & c. 223
Mulier, quę redeunte mense patitur fluxum sanguinis,septem diebus separabitur. 223
Si coierit cum ea uir tpe sanguinis mēstrualis,immundus erit septem diebus. 224
Si steterit sanguis,& fluere cessauerit,numerabit septem dies purificationis suæ. 214
Mense septimo, decima die mensis affligetis 16
animas uestras. 233
Veste,q̄ ex duobus texta est,non indueris. 57 19
Quarto anno oīs fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino, quinto autem anno comedetis fructus. 181
Ne contaminetur sacerdos in morte ciuium 21
suorum, nisi tantum in consanguineis ac propinquis,ideſt,supra patrē, & matrem, & c. 224.

Virginem ducet uxorem; viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet. 68
21 Homo de semine tuo per familias, q̃ habuerit maculam, non offeret panes Deo, nec accedet ad ministeriũ eius, si cęcus fuerit, si claudus, si uel paruo uel grandi, uel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo. 144
23 Sex diebus facietis opus. 196
25 Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis uineam tuam, colligesque fructus eius; septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini. 196.219
26 Si nec sic obedieritis mihi, addã correptiones uestras septuplum propter peccata uestra. 224
Addam plagas uestras usque in septuplum propter peccata uestra. 221
Percutiam uos septies propter peccata uestra. 221.
Corripiam uos septem plagis propter peccata uestra. 221
27 Ab uno mẽse usque ad annum quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli. 181
Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis uouerit, adducatur ante sacerdotem, qui dijudicans utrũ bonum an malum sit, statuet precium, quod si dare uoluerit is, qui offert, addet super æstimationem quintam partem. 181
Omnes decimę terræ siue de pomis arborum siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. 232
Quidquid decimum uenerit, sanctificabitur Domino. 232

NVMER.

8 Cum posueritis septem lucernas, candelabrum in Australi parte erigatur. 201
12 Excluſa est Maria extra castra septem diebus.
19 Qui tetigerit cadauer hominis, & ppter hoc septem diebus fuerit immundus. 224
Ista est lex hominis, qui moritur in tabernaculo, omnes qui ingrediuntur tentoriũ illius, & uniuersa uasa, quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. 224
20 Cum eleuasset Moyses manum, percutiens uirga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissime, &c. 52.55
22 Cur percutis me ecce iam tertio? 73
Cur tertio uerberas asinam tuam? 73
23 Ecce populus, ut leena consurget, & quasi leo eriget, non accubabit donec deuoret predam. 76

DEVTER.

Lectus Og regis Basan ferreus monstratur nouem cubitos habens longitudinis. 235 3
Dominus Deus tuus ignis consumens est. 167. 4
Ego sum Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiã, & quartam generationem his, qui oderunt me. 214 5
Audi Israel Dominus Deus uester Deus unus est. 12 6
Ne dicere in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi præstiterunt; sed recordaberis Domini Dei tui. 14 8
Obserua diem sabbathi, ut sanctifices eum, sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, septimus dies sabbathi est, ideſt, requies Domini. 200 15
Septem diebus comedes absque fermento afflictionis panem. 221 16
Tribus uicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit in solemnitate azimorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum. 73

IOSVE.

Patrem tuum ac matrem, fratresque, & omnem cõgnationem tuam congregaueris in domum tuam: qui ostiũ domus tuæ egressus fuerit, reus sibi erit. 35 2
Tulerunt sacerdotes arcam Domini, & septem ex eis septem buccinas, quarum in Iubileo usus est, pcedebantq; arcam domini, ambulantes atque clangentes, & armatus populus ibat ante eos, &c. circumieruntque ciuitatem secundo die semel, & reuersi sunt in castra sic fecerunt, sex diebus. 196 6

IVDICVM.

Fecerunt filij Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis. 223 6
Dimitte me, ut duobus mensibus circumeã montes, & plangam uirginitatem meam. 56. 11
Expletis duobus mensibus reuersa est ad patrem suum. 56
Mortuus est ac sepultus in ciuitate sua Galaad. 45 12
Cur q̃ris nomen meũ, quod est mirabile? 163 13

Vo-

IN HOC OPERE DECLARATA.

16 Vocauit Dalila tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cępit abigere eum, & a ſe repellere. ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſsit. 201
20 De hoc capite plura. 75

I. REG.

1 Fuit vir vnus. 11
2 Donec ſterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. 215
3 Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat Arca Dei. & uocauit Dominus Samuel. & reliqua. 58
6 Fuit Arca Domini in regione Philiſtinorum ſeptem menſibus. 218
13 Filius vnius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet. 45
16 Erat Dauid rufus, & pulcher aſpectu, decoraq. facie. 142
Ecce vidi filium Iſai Bethleemitem ſcientem pſallere, & fortiſsimum robore, & virum bellicoſum, & prudentem in verbis, & virum pulcrum, & Dominus eſt cum eo. 142
17 Elegit ſibi Dauid quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit manum ſuam in peram, tulitq. vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſsit eum in fronte. &c. 181
30 Duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant Achinoen Iezrael. 55

II. REG.

5 Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cęcos, & claudos, dicentes: Non ingredietur Dauid huc. cœpit autem Dauid arcem Sion. hæc eſt ciuitas Dauid. propoſuerat enim Dauid in die illa præmium qui percuſsiſſet Iebuſæum, & tetigiſſet domatum fiſtulas, & abſtuliſſet cæcos, & claudos odientes animam Dauid. iccirco dicitur in prouerbio: Cæcus, & claudus non intrabunt in templum. 146
12 Accidit die ſeptimo, vt moreretur infantulus &c. 224
18 Contriſtatus itaq; Rex, aſcendit cenaculum portæ, & fleuit. & ſic loquebatur vadens: Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi. Quis mihi tribuat vt ego moriar pro te Abſalon fili mi, fili mi Abſalon. 73
19 Rex operuit caput ſuum & clamabat uoce magna: Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi. 73
21 Dentur nobis ſeptem uiri de filijs eius, crucifigamus eos Domino. 220
24 Luſtrata uniuerſa terra affuerunt poſt nouẽ menſes & 20. dies in Hieruſalẽ. 223.234

III. REG.

3 Venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem. 56
12 Receſsit Iſrael a domo Dauid uſque in præſentem diem. 50
Conſtituerunt eũ regem ſuper omnem Iſrael nec ſequutus eſt quiſpiam domum Dauid præter tribum Iuda ſolam. 50
Fecit duos uitulos aureos, & dixit eis: Nolite ultra aſcendere in Hieruſalem, ecce dij tui. 50
18 Vſquequo claudicatis in duas partes, ſi Dominus eſt ſequimini eum, ſi autem Baal ſequimini illum. 58
Implete quattuor hydrias aqua & fundite ſuper holocauſtum & ſuper ligna, rurſũq; dixit: Etiam ſecundo hoc facite. Qui cum feciſſent ſecundo ait. Etiam tertio id ipſum facite. 73
19 Ambulauit Helias in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus uſque ad montem Dei. 206
21 Adductis duobus uiris filijs diaboli fecerũt eos ſedere contra eũ; at illi ſcilicet ut uiri diabolici dixerunt contra eum teſtimonium. 56

IIII. REG.

2 Aſcendit Heliſęus in Bethel, cumque aſcenderet per uiam, pueri parui egreſsi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende calue, aſcende calue. qui cum reſpexiſſet uidit eos, & maledixit eis in nomine dñi, egreſsiq; ſunt duo urſi &c. 48
4 Oſcitauit puer ſepties, aperuitq. oculos. 201
5 Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua. 224
8 Vocabit Dominus famẽ, & ueniet ſuper terram ſeptem annis. 223
17 Anno nono Oſeę cepit rex Aſſyriorum Samariam, & trãſtulit Iſrael in Aſſyrios. 234
Fecerunt ſibi Iſraelitæ conflatiles duos vitulos. 50
18 Nono anno Oſeę regis Iſrael capta eſt Samaria. 234
25 Factum eſt anno nono regni eius, menſe decimo, decima die menſis. 233
Clauſa eſt ciuitas atq; uallata, uſque ad undecimum annum regis Sedechię, nona die menſis. 234

I. PARALIP.

1 Heber nati ſunt duo filij, nomen uni Phalech: quia in diebus eius diuiſa eſt terra. 56

IIII. ESDR.

5 Ieiuna septem diebus. 220

TOBIAS.

9 Dicatur benedictio super uxorem,& uideatis filios uestros,& filiorum uestrorum usque in tertiam & quartam generationem. 214

IVDIT.

9 Tu fecisti priora,& illa post illa cogitasti,& hoc factum est quod ipse uoluisti. 19
16 Luxit eam omnis populus diebus septē. 225

IOB.

5 In sex tribulationibus liberabit te,& in septima non tanget te malum. 195. & 200
9 Qui facit Arcturum. 215
25 Ecce Luna etiam non splendet, & stellę non sunt mundæ in conspectu eius. 136
40 Ecce Behemot quem feci tecum. 20
Fortitudo eius in lumbis eius,& uirtus illius in umbelico uentris eius. 42

PSAL.

1 De primo psalmo. 49.99
2 Quare fremuerunt Gentes,& Populi meditati sunt inania. 48
Astiterunt reges terræ; & principes conuenerunt in unum contra Dominum. 46.48
De hoc psalmo. 99
3 De hoc psalmo. 49.99
4 Filij hominū usque quo graui corde ut quid diligitis uanitatem. 45
Signatum est super nos lumen uultus tui Domine. 165
5 Virum sanguinū & dolosum abominabitur Dominus. 46
6 De hoc psalmo. 197
Domine ne infurore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. 229
8 Domine Dominus noster. 229
9 Increpasti gentes,& perijt impius. 234
Iudicabit orbem terræ in æquitate,&c. 234
Cuius maledictione os plenum est & amaritudine &c. 234
11 Diminutę sunt ueritates a filijs hominum. 45
Labia dolosa in corde,& corde locuti sūt. 57
Eloquia Domini eloquia casta; argentum igne examinatum,probatum terræ,purgatū septuplum. 217
15 Conserua me Domine. 14
Posuit tenebras latibulum suum. 115 17
Nec est,qui se abscondat a calore eius 93 18
Lex Domini immaculata, conuertens animas. 45
Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me,& ab alienis parce seruo tuo. 55
Qui requirunt eum, uiuent corda eorum in 21
secula seculi. 101
Vnam petij a Domino, hanc requiram, ut 26
inhabitem in domo Domini. 45
Ne tradideris me in animas tribulantium me quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. 46
Verbo Dñi cæli firmati sunt, & spiritu oris 32
eius omnis uirtus eorum. 163
Benedicam Dominū in omni tempore. 217 33
Numquid qui dormit, non adijciet ut resurgat. 67 40
Speciosus forma præ filijs hominum. 14 . 44
De hoc psalmo. 49 50
In peccatis concepit me mater mea. 42
Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ. 46
De hoc psalmo. 49 51
Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt 54
dies suos. 56
Exsurge psalterium & cithara. 210 57
Te decet hymnus eius in Syon. 116 64
Deus qui inhabitare facit unanimes in domo. 67
35
Redde uicinis nris septulum in sinu eorū. 123 78
Melior est dies una i atrijs tuis sup milia. 45 83
Elegi abiectus esse in domo Dei meimagis quā habitare in tabernaculis peccatorū. 45
Aquilonem & mare tu creasti. 87 89
Dies annorum nostrorum in ipsis septuagin 89
ta annis, si autem in potentatibus octoginta:& amplius labor & dolor. 172.208
Nubes & caligo in circuitu eius. 115 96
Ne reuoces me in dimidio dierū meorū. 127 101
Initio tu Domine terrā fūdasti,& opera manuum tuarum sunt cæli. 19
Tu autem idem ipse es,& anni tui non deficient. 12
Qui tegis aquis superiora eius. 167 103
Qui ambulas super pennas uentorum. 167
Qui facis angelos tuos spiritus,& ministros tuos ignem urentem. 78.167
Operiantur,sicut diploide,confusione sua. 54 108
Iudicabit ī nationibus,implebit ruinas. 235 109
Gloria & diuitiæ in domo eius, & iustitia eiº 111
manet in seculum seculi. 84
Septies in die laudem dixi tibi super iudicia 118
iustitiæ tuæ. 217
Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes 131
eius. 88
Spiritº tuº bonº deducet me in terrā rectā. 85 141

Qui

147 Qui emittit eloquium suum terræ. 95
Qui dat niuem sicut lanam. 95
Mittit chrystallum suam sicut bucellas. 95
148 Et aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini. 167
Ipse dixit,& facta sunt. 18

PROVER.

9 Sapientia ædificauit sibi domum,excidit columnas septem. 215
20 Abominatio est apud Deum. 57
22 Ecce descripsi eam tibi tripliciter in cogitationibus & scientia. 99
24 Septies in die cadet iustus,& resurget. 217. 220
30 Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum,& dicam, Quis est Dominꝰ? aut egestate compulsus furer,& periurē nomen Dei mei. 65

ECCLES.

4 Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore. 4.5.56

CANTIC.

1 Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas,ubi cubes in meridie. 198
2 Introduxit me rex in cellam uinariam,ordinauit in me charitatem. 30
4 Veni de Libano sponsa mea, ueni de Libano. 182
Hortus conclusus soror mea sponsa. 170

SAPIENT.

1 Peruersæ cogitationes separant a Deo. 29
11 Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. 90

ECCLI.

1 Ne accesseris ad Deum duplici corde, nec fueris hypocrita in conspectu hominum. 57
2 Væ duplici corde & labijs scelestis, & peccatori terram ingredienti duabus uijs. 57
3 Cor ingrediens duas uias non habebit successus. 57
5 Deuoratio pessima super bilinguem. 57
7 Non semines mala in sulcies iniustitiæ, & nō metes ea in septuplum. 222
14 Ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum. 196
Qui uiuit in æternum creauit omnia simul. 18 18
Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas. 21 54
Luctus mortui septem dies: fatui autem & impij omnes dies uitæ illorum. 22 225
Gyrum cæli circuiui sola, & profundum abyssi penetraui. 24 113
Insipiens sicut Luna mutatur. 27 12
Super peccatores septuplum. 40 221

ESAI.

Apprehendēt septē mulieres uirum unū. 4 227
Seraphin stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri. 6 195
Ecce uirgo concipiet,& pariet filium. 7 160
Omnis hypocrita est & nequam. 9 57
Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cōsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ,& pietatis, & replebit eum spiritu timoris Domini. 11 201.51
Ascendam super altitudinem nubium. 14 235
Erit lux Lunę sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die qua alligauerit Dominus uulnus populi sui. 30 216
Reuersus est Sol decem lineis. 38 85
Quonam completa est malitia Hierusalē, dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. 40 54
Aperiatur terra & germinet Saluatorē. 45 167
Ego uocans eos stantes simul. 48 17
Iniquitates uestræ diuiserunt inter uos & Deum uestrum. 59 29

HIEREM.

Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. 1 87
Duo mala fecit populus meus, &c. 50
Me dereliquerunt fontem aquę uiuæ. 2 50.167
Malum ego adduco ab Aquilone. 87
Laua a malitia cor tuum Hierusalem. 4 101
Contritio super contritionem uocata est. 54
De malo ad malum egressi sunt. 9 12
Vox auditionis ecce uenit, & commotio magna de terra Aquilonis. 10 87
Duplici contritione contere eos. 17 54
Seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis. 25 219
Qui facis misericordiam in millibus,& reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos. 32 56

29 Anno nono Sedechiæ regis Iuda menſe decimo uenit Nabucdonoſor. 234

EZECH.

1 Similitudo uultus eorũ facies hominis,& facies leonis a dextris ipſorum quattuor; facies autem bouis a ſiniſtris ipſorũ quattuor, & facies aquilæ de ſuper ipſorum quattuor. 76.169.170
11 Hi ſunt uiri qui cogitant iniquitatem, & tractant conſilium peſsimum in urbe. 56
14 Et ſi fuerint tres uiri iſti in medio eius,Noe, Daniel, & Iob : ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas. 84
23 Duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt, & fornicatæ ſunt in Aegypto. 56
24 Factum eſt uerbum Domini ad me in anno nono, in menſe decimo, decima die menſis. 234
40 Menſus eſt latitudinem ædificij calamo uno, altitudinem quoque calamo uno, &c. & menſus eſt limen portæ calamo uno, latitudinem, id eſt, limen unum calamo uno in latitudine, & thalamum uno calamo in longum,& uno calamo in latum. 161
Septem graduum erat aſcenſus eius. 219
Ingradibus ſeptem aſcẽdebatur ad eam. 219
41 Introduxit me in templum, & menſus eſt frõtes ſex cubitos latitudinis hinc, & ſex cubitos latitudinis inde latitudinem tabernaculi. 195
43 De ſinu terræ uſque ad crepidinem nouiſsimam duo cubiti. 56

DANIEL.

4 Cum beſtijs feriſque erit habitatio tua,& fenum ut bos comedes,& rore cęli infunderis ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te. 223
13 Conſurrexerunt aduerſus duos presbyteros:cõuicerat enim eos Daniel ex ore ſuo falſum dixiſſe teſtimonium. 56

OSE.

10 Vitis frondoſa Iſrael, fructus adequatus eſt ei, ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta ubertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulachris. Diuiſum eſt cor eorum. 50
Iuxta deſiderium meum corripiam eos,cõgrebabuntur ſuper eos populi, cum corripientur propter duas iniquitates ſuas. 50.55

AMOS.

Ego ſum qui aſcendere uos feci de terra Aegypti. 2 233

AGGE.

In anno ſecundo Darij regis, in menſe ſexto, factum eſt uerbum Domini,&c. 1 56.195
In uigeſsima & quarta noni menſis, in anno ſecundo Darij &c. 2 234.

ZACHAR.

Ecce candelabrum aureum totum &c. & ſeptem lucernæ eius ſuper illud. 4 201
Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra Hieruſalem ad orientem. 14 88

MALACH.

Ego enim Dominus & non mutor. 12 3

II. MACHAB.

Alij apparuerunt duo iuuenes qui circumſteterunt,& ex utraque parte flagellabant ſine intermiſsione multis plagis uerberantes. 3 54

MATTH.

Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph,antequam conuenirent, inuenta eſt in utero habens de Spiritu ſancto. 1 28
Vocabis nomen eius Ieſu. 159
Surgens accepit puerum & matrem eius nocte, & ſeceſsit in Aegyptum, & erat ibi uſque ad obitum Herodis. 2 220
Occidit omnes pueros qui erant in Bethleẽ, & in omnibus finibus eius a bimatu & infra. 2 56
Defuncti ſunt qui quærebant animam pueri. 46
Ductus eſt Ieſu a ſpiritu in deſertum, ut tentaretur a diabolo,&c. 4 75
Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. 235
Diligite inimicos ueſtros. 5 32
Benefacite his qui oderunt uos,& orate pro perſequentibus & calumniantibus uos,ut ſitis filij patris ueſtri qui in cęlis eſt. 32.196
Eſtote perfecti ſicut & pater ueſter cæleſtis perfectus eſt. 196
Sic ergo uos orabitis Pater noſter qui es in cęlis, &c. 6 35.219

Pa-

6 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra. 35
Sed libera nosa malo. 35.199
Nemo potest duobus dominis seruire; aut enim unum odio habebit & alterum diliget &c. 32
7 Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos. 1
8 Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. 74
Filij regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. 55
Filius hominis non habet, ubi caput suum reclinet. 45
9 Vt sciatis, quia filius hominis habet potestatem. 45
10 Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis uestris: non peram in uia, neque duas tunicas. 56
Qui amat patrem aut matrē plus, quam me, non est me dignus: &c. 31
12 Qui non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, spargit. 50
Sicut fuit Ionas in uētre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terrę tribus diebus, & tribus noctibus. 7
Assumit septem alios spiritus secum, nequiores se. 217.242
13 Qui in terram bonam seminatus est, hic est qui audit uerbum, & intelligit, & fructum affert; & facit aliud quidem centesimum, aliud sexagesimum, aliud uero tricesimum. 84
15 Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum. 104
Accipiens Iesu septem panes &c. Et quod superfuit de fragmentis tulerunt septem sportas plenas. 201
16 Caro & sanguis non reuelauit tibi. 46
Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hāc petram ædificabo ecclesiam meam &c. fac. 35
17 Post dies sex assumsit Iesus Petrum, & Iacobum & Iohannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. 228
18 Dico uobis quia si duo ex uobis cōsenserint super terram, de omni re quamcumque petierit &c. 36
Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dicit illi Iesus. Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. 214
19 Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. 165
20 Iterum exijt circa sextam & nonam horam, & fecit similiter; & circa undecimam uero exijt & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die ociosi? fac. 233
Ecce ascendimus Hierosolymam. 233
Ecce duo cæci sedentes secus uiam. 56
Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit 22
fletus & stridor dentium. 55
In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei. 231
Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. 73
Diliges proximum tuum sicut te ipsum. 32
Patrem nolite uocare uobis super terram: 23
unus est enim pater uester, qui in cælis est: Nec uocemini magistri, quia Magister uester unus est Christus. 132
Simile est regnum cęlorum decem uirgini- 25
nibus quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsę; quinque autem ex eis &c. 181
Amen dico uobis; nescio uos. 238
Abijt qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. 181
Statuet oues quidem a dextris, hedos autem a sinistris. 47
Dicēt rex his qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignē æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim &c. 47.55.87
Videntes autem Discipuli indignati sunt. 26
fac. 46
Abijt unus de duodecim qui dicebatur Iudas Scarioth ad principes sacerdotum &c. 34
Venerunt duo falsi testes. 56
Surgens princeps sacerdotum ait illi: Nihil respondes ad ea, &c. 144
Idipsum autem & latrones qui crucifixi erāt 27
cum eo improperabant ei. 46
A sexta autem hora tenebræ factæ sunt. fac. 197
Circa horam nonam clamauit Iesus uoce magna &c. 234
Ecce uelum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum. 55
Seductor ille dixit adhuc uiuens: post tres dies resurgam. 75.76

MAR.

Ne induerentur duabus tunicis. 56 6
Misereor super turbam; quia ecce iam tri- 8
duo sustinent me. 104

9 Et post dies sex assumsit Iesus Petrum, Iacobum,& Iohannem, &c. 228
10 Magister bone quid faciam, vt uitam æternã percipiam? Iesus autem dixit ei. Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi vnus Deus. 165.
12 Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota mẽte tua. 73
14 Erant quidam indigne ferentes intra semetipsos, &c. 46
Exsurgens autem summus sacerdos in medium interrogauit Iesum. 144
15 Erat autem hora tertia,& crucifixerunt eum. 197.
Et qui cum eo crucifixi erant conuiciabantur ei. 46
Et facta hora sexta tenebræ factę sunt super totam terram vsque in horã nonam. 198. & 234.
Hora nona exclamauit Iesus, &c. 234
16 Apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dęmonia. 217
Euntes in mundũ uniuersum prædicate euãgelium omni creaturæ. 191

L V C.

1 In mense sexto missus est Angelus Gabriel a Deo. 197
Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen Iesu. 159
2 Postquam cõsummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatũ est nomen eius Iesu. 159.& 234
Quod uocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur. 159
3 Sub principibus sacerdotum Anna & Caipha. 48
8 Maria, quæ uocatur Magdalene, de qua septem dęmonia exierant. 217
9 Sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem. 228
Factum est post hæc uerba fere dies octo, & assumsit Petrum, & Iacobum, & Iohannẽ, & ascendit in montem, &c. 228
Factum est, dum oraret, species vultus eius altera, &c. 228
10 Dedi uobis potestatem calcandi super serpentes,& scorpiones. 242
Martha solicita es, & turbaris erga plura, porro unum est necessarium. 38
11 Qui non est mecum contra, me est; & qui nõ colligit mecum, dispergit. 50
Cum immundus spiritus exierit de homine, &c. & tunc uadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se. 217.242
Et si uenerit in secunda uigilia, & si in tertia vigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. 151
12 Erunt ex hoc quinque in domo una diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur. 51
13 Nescio uos unde sitis. 238
14 Exi in uias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. 235
15 Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, &c. 235
16 Nemo seruus potest duobus dominis seruire. 32
17 Si septies in die peccauerit in te,& septies in die conuersus fuerit ad te,&c. 214
Cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi. & reliqua. 236.
Nonne decem mundati sunt, & nouem, ubi sunt? 238
18 Venient dies, quando desideretis uidere unũ diem filij hominis. 45
Dixit Iesus, quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus. 165
23 Vnus de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum. 46
Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in uniuersam terram usque in horam nonam. 198. & 234
24 Factum est, dum mente consternatę essent de isto, ecce duo uiri steterunt secus illas, &c. 52
Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spacio stadiorum sexaginta ab Hierusalem nomine Emaus. 53

I O H A N.

Nuptiæ factæ sunt in chana Galileæ,&c. 43 2
Soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud, dixerunt ergo Iudæi, quadraginta, & sex anni ædificatum est templum &c. 195
3 Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filij Dei. 55
4 Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: hora autem erat quasi sexta. 196
Heri hora septima reliquit eum febris. 201
6 Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam. 117
10 Fiet unum ouile, & unus pastor. 35
Ego,& Pater unum sumus. 34.52
12 Iesus ante sex dies Paschæ uenit Bethaniam. 197.
Dixit unus ex discipulis eius Iudas Scariothis. 46
13 Cum diabolus misisset in cor, ut traderet eũ Iu-

IN HOC OPERE DECLARATA.

Iudas Symonis Scariothis. 34
Vos uocatis me magister, & domine, & bene dicitis, sum etenim. 132
Ego scio, quos elegerim. 238
Mandatum nouum da uobis, ut diligatis inuicem. 32
Pater maior me est. 7
Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 75
Non pro eis autem rogo tantum; sed & pro eis, qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, & ut ipsi in nobis unum sint. 34
Adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 48
Erat tunica inconsutilis, desuper contexta per totum, dixerunt ergo ad inuicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. 35
Maria stabat ad monumentum foris plorãs, dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & uidit duos Angelos, &c. 52.
Sicut misit me Pater & ego mitto uos, &c. 35.
Manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis, erant simul Symon Petrus & Thomas, qui dicitur Didimus, & Nathanael, qui erat a chana Galileæ, & filij Zebedei, & alij ex discipulis eius duo. 201.216

ACT

Cum intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo uiri astiterunt iuxta illos in uestibus albis, qui & dixerunt: uiri Galilei, &c. 53.
Apparuerunt illis dispartitę linguę tanquam ignis. 23
Repleti sunt omnes Spiritu sancto. 23.185
Cęperũt loqui varijs linguis, pro vt Spiritus sanctus dabat eloqui illis. 23
Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi uiri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est facta autẽ hac uoce conuenit multitudo, & mẽte cõfusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes, &c. 23
Nõ, sicut uos ęstimatis, ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. 150
Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco, & factus est repente de cælo sonus. 51
Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri. 160
Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una. 12
Audiens Ananias hæc uerba cecidit, & expirauit. 5
Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. 5
Eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum, &c. 7
Fac nobis Deos, qui præcedant nos. 5
Ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. 45
Cecidit super eum mentis excessus, & uidit cælum apertum, & descendens uas quoddam velut linteum magnum quattuor initijs submitti de cælo in terram. 10 198
Hoc autem factum est per ter. 170
Ecce uiri tres quærunt te. 73
Venerũt mecum & sex fratres isti, & ingressi sumus in domum uiri. 73
In ipso enim uiuimus, & mouemur, & sumus. 11 201
Tentauerunt quidam & de circumeuntibus Iudęis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos nomen domini Iesu dicentes, &c. erant autem cuiusdam Iudęi nomine Scene principis sacerdotum septem filij, qui hoc fauebant. 17 118 19 201
Vox facta est una omnium quasi per horas duas clamantium: magna Diana Ephesiorum. 19 56
Confiteor hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio patri, & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege, & Prophetis scripta sunt. 24 237

ROM.

Inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius uirtus, & diuinitas. 1 77
Cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; sed euanuerunt in cogitationibus suis. 236
Obscuratum est insipiens cor eorum. 101. 236
Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum. 236
Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemtionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidẽ. 3 7
Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 5 8
Non enim, quod uolo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. 7 30

8 Spe salui facti sumus. 169
Quis nos separabit a charitate Christi. 34
13 Qui diligit proximum, legem impleuit, 32.

I. COR.

1 Obsecro vos fratres per nomẽ Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes & non sint in uobis scismata, &c. 12.35
Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego uero Cephe. 34
2 Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 87
Quis scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? 170
3 Templum Dei sanctum est, quod estis uos. 191.
7 Bonum est homini mulierem non tangere. 44
Volo vos sine solicitudine esse. qui sine vxore est, solicitus est, quę Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem, &c. 43
Qui matrimonio iungit uirginem suam bene facit; & qui non iungit, melius facit. 44
9 Omnes quidẽ currunt; sed unus accipit brauium. 12
10 Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensę demoniorum. 58
12 Alij quidem per spiritũ datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ, secundum eundem spiritum; alij fides in eodem spiritu, &c. 14
13 Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus: cum autem uenerit, quod perfectũ est, euacuabitur, quod ex parte est. 34
14 In Ecclesia uolo quinque uerba sensu meo loqui, ut & alios instruam. 181
15 Caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 46

II. COR.

3 Non quia sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. 14. 232
Littera occidit, Spiritus autem uiuificat. 117
6 Vos estis templum Dei viui sicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis. 191
11 Ipse enim Sathanas transfigurat sẽ in Angelum lucis. 58
12 Scio hominem in Christo ante annos quattuordecim, siue in corpore, siue extra corpus nescio: Deus scit raptum huiusmodi usque ad tertium cęlum. 76
Propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet a me, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. 75

GALAT.

Omnis lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. 27 5
Caro concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur. 30
Fructus Spiritus est charitas, gaudium, &c. 28.

EPHES.

Vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi: ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem macęriæ, soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, ut duos condat in semetipso in uno nouo homine, faciens pacem, &c. 28.29.52 2
Soliciti seruare unitatem spiritus in uinculo pacis. 51 4
Vnicuique nostrum data est gratia secundũ mensuram donationis Christi. 185
Donec occurramus omnes in unitatẽ fidei, & agnitionis filij Dei in uirum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. 34.

PHILIP.

Coarctor e duobus desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. 34 1
Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur cęlestium, terrestrium, & infernorum. 106.160 2
Deus est, qui operatur in nobis, & uelle, & proficere. 232 5

COLOSS.

Et si corpore absens sum, sed spiritu uobiscum sum, gaudens, & uidens ordinem uestrum. 30

TIMOTH.

Oportet episcopum irreprehensibilẽ esse unius uxoris uirum. 67 3
Diacones sint unius uxoris uiri. 67
Vt scias, quomodo oporteat te conuersari in domo Dei. 216
Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, 5

rum, quæ fuerit unius uiri uxor. 67

II. TIM.

2 Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. 57

T I T.

1 Si quis sine crimine est unius uxoris uir. 67

H E B R.

1 Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substãtiæ eius. 93
2 In priori quidē tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secūdo autem semel in anno solus Pontifex non sine sanguine quem offerret pro sua & populi ignorantia, hoc significante Spiritu Sancto, &c. 7
12 Etenim Deus noster ignis consumens est. 167.
13 Honorabile connubium in omnibus, & thorus immolatus. 43

I A C O B.

1 Vir duplex animo incōstans est in omnibus uijs suis. 57
2 Quicunque totam legem seruauerit, offendat aūt in uno, factus est omniū reus. 27

I. P E T R.

1 In sanctificationem spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis Iesu Christi. 200
3 Mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu. 117

II. P E T R.

2 Originali mūdo nō pepercit Deus; sed octauum, Nohe iustitiæ præconem custodiuit, diluuium mūdo impiorum inducens. 227

I. I O H A N.

1 Antichristus venit, nūc antichristi multi facti sunt; vnde scimus qa nouissima hora est. ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. 51
2 Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. si quis diligit mundum, non est charitas Patris ineo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, &c. 29
Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est. 216 3
Omnis qui facit peccatū, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. 29
Scitis, quia ille apparuit, ut peccata tolleret. 29.
In hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera diaboli. 29
Qui non diligit, manet in morte. 37
Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet. 28 4
Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem. 33
Tres sunt, qui testimonium dāt in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus santus; & ij tres unum sunt. 34 5
Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres vnum sunt. 7.95

I V D.

Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri matris despumantes suas confusiones. 54

A P O C.

Septem Ecclesijs, qui sunt in Asia. 215 1
Gratia uobis, & pax septem spiritibus, qui in conspectu, &c. 218
Fui in insula, quæ appellatur Pathmos. 215
Habebat in dextera sua septem stellas. 216
Animal primum simile leoni, & secundū animal simile uitulo, & tertium animal habēs faciem quasi hominis, & quartum animal simile aquilæ. 76. 169. 170 4
Et uidi in dextra sedentis super thronum librū scriptum intus & foris, signatum sigillis septem. 217 5
Et uidi, & ecce in medio throni, & quattuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in oēm terrā. 200
Et uidi cum aperuisset sigillum sextum, & ecce terremotᵘˢ magnus factus est, & Sol factus est niger. & reliqua. 197 6
Audiui numerum signatorum centum quadraginta quattuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel, &c. ex tribu Manasse duodecim millia signati. 197 7
Benedictio & claritas, & sapiētia, & gratiarū actio, honor, & uirtus, & fortitudo Deo nostro. 216

8 Vidi ſeptem angelos ſtantes in conſpectu Dei. 218
Et datæ ſunt illis ſeptem tubæ,& reliqua. 209
10 Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua. 219
In diebus uocis ſeptimi Angeli cum cæperit tuba canere, cõſumabitur myſterium Dei, 200.
11 Decima pars ciuitatis cecidit. 235
Septimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt uoces magnæ in cælo dicentes. Factum eſt regnum huius mundi domini noſtri, & Chriſti eius. 209
12 Ecce draco magnus,ruffus,habens capita ſeptem. 217.220
Et in capitibus ſuis ſeptem diademata. 220
13 Vidi aliam beſtiam aſcendentem de terra, & habebat cornua duo ſimilia agni. 57
14 Ecce agnus ſtabat ſupra montem Syon, & cũ eo cẽtum quadraginta quattuor millia,habentes nomen eius, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. 44
15 Vidi aliud ſignum in cælo magnum, & mirabile, Angelos ſeptem habẽtes plaglas ſeptẽ nouiſsimas, quoniam in illis conſummata eſt ira Dei. 220
Exierunt ſeptem Angeli ueſtiti lapide mundo, & candido. 45
16 Audiui vocem magnam de templo dicentem ſeptem Angelis: Ite & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram, &c. 220
17 Septem capita ſeptem montes ſunt. 217
18 Quoniam peruenerunt peccata eius uſque ad cælum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum eius, reddite illi ſicut & ipſa reddidit uobis, & duplicate duplicia ſecũdum opera eius, in populo quo miſcuit uobis miſcete illi duplum. 55
20 Apprehendit draconem ſerpentem antiquũ, qui eſt diabolus, & Sathanas & ligauit eũ per annos mille. 219

MYSTICAE NVMERORVM SIGNIFICATIONIS,

PETRI BONGI CANONICI BERGOMATIS,

PRAEFATIO.

VMERVS est rationalis fabricæ naturale quoddam pullulans principium. mente siquidem carentes, uti bruta, non numerant. adeoq; Numerus, principium eorum, quæ ratione attingun tur, esse probatur, quòd illo sublato, nihil omnium remanisse ratione conuincitur. Nec est aliud ratione Numerum explicare, quàm rationem seipsa uti, ac in sui naturali suprema similitudine cuncta figere. Quare Auenzoar Babylonij uerbum fuisse scribit Albumasar: Omnia scire eum, qui nouerit Numerare. quod etiam diuinum Platonem respondisse refert Aristoteles, quærenti Neocli, quare Homo sit animal sapientissimum, ac prope diuinum, & quare eidem potius quam cuiquam ex ceteris animantibus credendum sit; quia uidelicet nouerit numerare. Hinc Samius ille Pythagoras primus, & nomine, & re Philosophus, omnem veritatis inquisitionem in Numeris ponẽs, & Deũ & animas nostras, ac cuncta quæ sunt in mundo, è Numeris constare profitebatur, ex quibus Arithmeticam sibi cõstituit omnium scientiarum matrem, sine qua nihil propemodum sciri dicebat. Quam postmodum Plato ab Italicis Philosophis, qui Pythagoricorum præceptorum sectatores erant, edoctus, & clariorem reddidit, & apertiorẽ; tametsi, tam obscure Numerorum mysteria tradidit, ut etiam initiatos ipsos uideatur uoluisse cẹlare, nedũ profanum uulgus: ita uisus est Dominicũ prẹceptum haudquaquam aspernari, dicens: Non oportere sanctũ iactari canibus, nec margaritas mitti ante porcos. Occulta.n. dicebat ille, nõ debent cõmuni-

Nic. Cus. exc. lib. x. qui me inueniet. & lib. 1. idiotæ.

Priscis ingenijs philosophãdi per Numeros ꝑsuetudo fuit.

cari omnibus. Quare a maxima illorum parte lectorem excludit: unde natum adagium, Platonicis obscurius esse numeris, quo utitur Tullius ad Atticum scribens, dum rem obscurissimam esse breuiter intendit significare. Nec a Platone dumtaxat excultam accepimus Arithmeticam istam, sed eandem probauerunt Aglaophemus, Philolaus, Iamblichus, omnesq. Philosophi, quotquot ad hęc vsque tempora numerantur, probabitq. Doctorum omnium posteritas vsque ad fines seculorum. quandoquidem sine illa nec rite quidquam dici potest, nec agnosci. E contra, quod ab ea verũ probatur, nullo potest redargui pacto. De hac re longo sermone scribit in Epinom. Plat. cum asserit inter omnes liberales artes, ac scientias cõtemplatrices, prępipuam maximeq. diuinam esse Numerandi scientiam; nec artem, nec regimen, vllamve doctrinam posse sine Numeris stare. Quem Iamblichus volumine de Secta Pythagoræorum prosequitur. Nam mundus vterque Numeris est dispositus, vt Timęus Locrensis, & Plato ostẽdunt, circa quos mũdos tota naturalis versatur Philosophia. Nam quomodo Aristoteles (qui singularis videri voluit, priores confutando) aliter nobis in Mathematicis specierum differentiam tradere potuit, quam quod ipsas Numeris comparat? Quos ex nostris etiam primi, in tantum secuti sunt, vt Aur. Augustinus, & post ipsum Boetius ille Romanorum litteratissimus, affirmarent indubie Numerum creandarũ rerum in animo Conditoris principale exemplar fuisse. Ac in Numeris exempla indagandarum rerum per intellectum solerter Sapientes ipsi quæsierunt, & nemo antiquorum, qui magnus habitus sit, res difficiles, alia similitudine, quam Mathematica aggressus est, ita ut Carolus Bouillus astruat, Iacobum Fabrum per introductiones Numerorum, per Arithmeticæ prędudia, Pythagorico more, totius sui Philosophici profectus, ac litterarij studij exstitisse causſam; & Boetius asseruerenon dubitauerit, neminem diuinorũ scientiam, qui penitus in Mathematicis exercitio careret, attingere posse. sic. n. scribit quodam loco: Qui spernit Mathematicas scientias, ei denuntio, haud recte philosophandum. Constat autem sub Mathematico genere, etiã Arithmeticam istam contineri. caueas etenim, ne diuinam hanc, quam tractamus, mercatoriam

esse censeas Arithmeticam: non mercatoriam, sed illam cogites, de qua in Epinomide dicitur: Opus est Numeris, non his, qui corpus habent, sed qui omnem paris impariś ue generationem, atq; virtutem ad perficiendam, cognoscendamque rerum naturam conferunt. Sed his missis Arithmeticæ perscrutemur originem. Sunt inter Ecclesiasticos scriptores, in primis Origenes Adamantius libr. j. contra Celsum, & Aur. Augustinus lib. viij. Ciuitatis Diuinæ, qui Pythagoram, Platonem, omnesq; Græcos, qui habiti sunt diuiniores, omnem suam Philosophiam ab Hebræis acceptam Græcis asserunt tradidisse. De diuino præsertim Platone, Iustinus Martyr in Paracleśi ad Gentes, Theodoretus de Græcorum affectionibus, Eusebius Cæsarienśis de Præparatione Euangelica, Aristobulus Iudæus ad Philomatrem lib. j. & Hermippus ex eorum libris, multa in suos transtulisse testantur, quod fieri potuisse temporum ratione monstratur: quandoquidem Mosaica volumina ante Alexandrum, & ante Persarum imperium traducta fuerunt, (ut taceam, quòd Clemens Alexandrinus lib. Stromatum j. conferendo probat Hebræorum Philosophiam fuisse generationibus omnibus antiquiorem.) De Pythagora philosophorum primo, & ceteris Græcis scribit Numenius ille Pythagoreus volumine de Bono, quòd quæcunq; Brachmanes Magi, Aegyptij, Iudæiq́ue inuenerunt, ea Græce ipsi exposuerunt. Immo, si uera dicere licet, non est vsquam repertus Pythagoras quidquam rerum aut diuinarum, aut humanarum, uel à Greęcis didicisse, vel à Romanis: sed (ut Antiphon edidit in lib. de Vita illorum, qui virtute præstiterunt,) accessit discendi gratia Pythagoras ad Aegyptios, & Arabas, & ad Chaldæos, postquam e Syria, quæ & est, & nominatur Iudęa discessit. Vnde Syrius ipse quoq; tum appellabatur, quem alij Tyrium dixere, alij Tyrenum; vt Barbarum, non Greęcum fuisse prædicarent hunc omnium Philosophorum primum. Plato quoque non it inficias illa, quę sunt in Philosophia præstantissima, se à Barbaris esse mercatum, quos semper magnifacit, vt qui meminisset se, & Pythagoram plurima illaq́ue nobilissima dogmata a Barbaris didicisse. Narratur autem Pythagoram discipulum fuisse Sonchedis Archiprophetæ

Aegyptij, propter quem etiam fuit circunciſus, vt adyta ingrediens Aegyptiorum myſticam diſceret Philoſophiam, cum Chaldæorumque, ac Magorum verſatus legitur præſtantiſſimis. Plato autem diſcipulus fuiſſe dicitur Sechnufidis Heliopolitani. quare in Dialogo de anima videtur Plato agnoſcere prophetiam, introducens Prophetam, Lacheſis orationem enuntiantem apud eas, quæ ſortiuntur animas: & in Timęo ſapientiſſimum introducit diſcentem à Barbaro. His fidei cardinem adhibet vir nullius diſciplinæ ignarus Ioannes Picus Mirandulanus C. C. qui hac de re ſic loquitur, ut habetur apud Petrum Crinitum libro de honeſta diſciplina: Pythagoræ diuina illa Philoſophia, quam Magicen nuncuparunt, magna ex parte ad Moyſis diſciplinas pertinebat, vt qui ad Hebræos quoque, eorumq. doctrinas in Aegyptum vſque perrexerit, pluraque illorum ſacra, atque myſteria intellexerit. nam Platonis etiam eruditio, ut conſtat, ad Hebraicam fere accedit veritatem, ex quo permulti eum germanum Moyſen dixerunt, ſed Græce loquentem. Notum enimuero verbum illud Numenij philoſophi: Quid eſt Plato? niſi Moyſes atticiſſans? liquet enim Platonem in Aegypto peregrinatum, ibique audiſſe non magis Aegyptiorum, quam Iudæorum ſcientias. Nulli quoque ignotum eſt illud de Philone Iudæo Platonis diſcipulo: Aut Plato Philonem ſequitur; aut Platonem Philo: tanta fuit ſenſuum ſimilitudo. Exſtat apud Hebræos, vt idem Picus in Heptaplo teſtatur, Salomonis illius, cognomento ſapientiſſimi, liber, cui Sapientia titulus, non qui nunc in manibus eſt, Philonis Alexandrini opus, ſed alter Hieroſolyma, quam vocant, ſecretiore compoſitus lingua, in qua vir naturæ rerum, ſicuti putatur, interpres, omnem ſe illiuſmodi diſciplinam fatetur de Moſaicę legis penetralibus accepiſſe. Quod ſi rudis ac popularis in ſuis libris apparet Moyſes potius, quam Philoſophus, vel Theologus, aut magnę alicuius ſcientiæ artifex; reuocemus eo mentem, fuiſſe veterum Sapientum celebre inſtitutum, vt res diuinas diſſimulanter ſcriberēt; hinc appellata myſteria, nec myſteria, quæ non occulta. arcana. n. ſermonibus proponuntur obſcuris, tum quia (vt admonet Mercurius Triſme. in Aſclep.) religioſus

ſermo

sermo, & Diuinitate plenus multorum publico interuentu violatur; tum quòd Diuina nequaquam percipi possunt, nisi ab his, vt docet magister noster Christus, qui habent aures audiendi, quos videlicet Deus elegit ad intelligenda sanctissima mysteria. nam vulgarium animarum oculi Diuinitatis radios sufferre minime possunt. quod Moysis etiam ostenditur exemplo, in cuius cornutam faciem aspicere non poterat populus, nisi prius obuelata fuisset. Quare tam Plato, quàm Dionysius ille Areopagita, prohibuerunt hæc mystica his, qui eleuationes intellectuales ignorant, propalari, quia his nil magis risu dignum, quàm hæc alta videtur. Animalis enim Homo, vt audisti, diuina non percipit: sed exercitatum in his habentibus intellectum nihil occurret desiderabilius. Verum quàm eruditus fuerit Moyses in vniuersa Aegyptiorum doctrina testantur, præter D. Lucam Euan- Act. 7.
gelistam, Clemens Alexandrinus, & Philon Iudæus, his ferme verbis: Moyses ætate grandior cum esset Arithmeticam, & Geometriam, Rithmicam, & Harmonicam, & præterea Medicinam simul, & Musicam doctus est ab his, qui erant insignes inter Aegyptios; & præterea eam, quæ traditur per symbola, seu signa, Philosophiam, quam in litteris ostendunt Hieroglyphicis. Alium autem doctrinæ orbem tamquam puerum regium Græci eum docuere in Aegypto. Didicit autem litteras Aegyptiorum, & rerum scientiam à Chaldæis, & ab Aegyptijs. vnde, in eius rebus gestis, dicitur doctus fuisse in omni sapientia Aegyptiorum. Eupolemus autem in libro de Iudææ Regibus dicit, Moysen primum fuisse Sapientem, & Grammaticam primum tradidisse Iudæis; & Phænices accepisse à Iudæis; Græcos autem, à Phænicibus. Ad eorum autem deductus naturam, auxit prudentiam eam, quę erat sui generis; & maiorum suorum æmulatus est doctrinam, adeo vt etiam Aegyptium, qui Hebræum inuaserat, percutiens interfecerit. Aiunt autem Mystæ (quidquid tamen sit) eum solo verbo occidisse Aegyptium, sicuti certe postea Petrus in Actibus Apostolicis fertur eos, qui pretium agri sibi vsurpauerant, & erant mentiti, verbo interfeciſſe. Artapanus quoque, in opere de Iudæis, Moysen refert in custodia inclusum

a Nechefre Rege Aegyptiorum, eò quòd peteret, vt populus liberaretur ex Aegypto, noctu aperto carcere Diuina voluntate egressum, cum in regiam accessisset, dormienti Regi adstitisse, ac eum excitasse; illum autem eo, quod factum fuerat, stupefactum, iussisse Moysi, vt diceret nomen eius qui miserat; & illum quidem, cum ad aurem se inclinasset, dixisse; Regem autem, cum audijsset, mortuum cecidisse; cum autem eum Moyses tenuisset, rursus reuixisse. Patet igitur, qualis, quantusque fuerit Moyses in omni doctrinæ genere. Quoniam vero haud me fugit, quod ab aliquibus imperite tumultuantibus iactatur, oportere videlicet in his dumtaxat hominem versari, quæ necessaria sunt, & quæ fidem contineant; externa vero, superuacaneaque transilire, quæ nos frustra conterunt, & detinent in his, quæ nihil conferunt veritati: operępretium facturum me existimaui, si notum fecero, quàm sit vtile, quamq; Theologo necessarium, Numerorum cognitam habere naturam. Possem ego quidem non paucos locupletissimos Auctores in medium adferre, qui hoc ipsum sensere, sed mihi nūc sit instar omnium auctoritas sancti & magni viri Augustini, qui in libro xj. Ciuitatis Diuinæ hæc scripsit: Numeri ratio contemnenda nequaquam est, quæ in multis sacrarum Scripturarum locis quàm magni sit æstimanda elucet diligenter intuentibus. nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in Mensura, & Numero, & Pondere disposuisti. Et de doctrina Christiana lib. secundo: Numerorum imperitia multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in scripturis. Ingenium quippe, vt ita dixerim, non potest non moueri, quid sibi velit, quòd & Moyses, & Helias, & ipse Dominus noster quadraginta diebus ieiunauerunt. cuius actionis figuratus quidam nodus, nisi huius Numeri cognitione, & consideratione non soluitur. Et infra: Multis, atque alijs Numerorum formis quædam similitudinum in libris Sanctis secreta promuntur, quæ propter Numerorum imperitiam legentibus sunt clausa. In libro denique Quæstionum super Genesim, dum loquitur de Israelitico Populo ingrediente Aegyptum, hæc in medium affert: Videndum est, quid sibi velit, quòd cum Ioseph, & filij eius non amplius quàm octo com-

me

memorentur; Beniamin vero, & eius filij simul vndecim reperiantur, non decem & nouem omnes, sicut sunt octo & vndecim; sed decem & octo referantur in summam; & postea Ioseph cum filijs suis non animæ octo, sed nouem fuisse dicantur, cum nouem inueniantur. Hæc, quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem: sed nescio vtrum possint cuncta ad literam conuenire, præcipue in Numeris, quos in scripturis esse sacratissimos, & mysteriorum plenissimos, ex quibusdam, quos inde nosse potuimus, dignissime & firmissime credimus. Ex his etenim signantur mysteria, reconditam quę continent doctrinam de Christo, & Ecclesia, de Euangelio, & rebus similibus alibi in scriptura proditis, & comprobatis. Qua quidem ratione Christus Matth. cap. xij. Tres dies, quibus Ionas fuit in ventre Ceti, docet præsignasse mysterium mortis, ac sepulturæ suæ ad triduum, & glorioſæ deinde resurrectionis. Et in ueteri Testamento, propitiatorium longitudine duorum cubitorum & semis fieri demandatum, quo Christum Hominem demonstraret. Quod & apud Apostolum Epist. ad Rom. habetur: Qui quidem licet verus esset Homo, quem proposuit Deus propitiatorium per fidem in sanguine eius, aliquid tamen habuit, quod humanam naturam excederet, tria tamen non exæquaret. nam Pater eo maior est. Idem Paulus epist. ad Hebræos interpretatur, in eo quod Pontifex semel tantum in anno ingreditur in Sancta Sanctorum, latuisse mysterium, quòd Christus semel esset moriturus, seq; ad expiandum peccatum humani generis oblaturum victimam. Iohannes capite. v. prioris Epist. tria recensет, quæ testimonium de Deo dant in terra, Spiritum, dico, Aquam, & Sanguinem, subindicans in illis mysterium Triadis esse in Diuinitate repositum. Neque tamen quouis loco, aut quolibet Numero sunt vestiganda mysteria: sed sunt Diuinæ quædam Numerorum Virtutes religione, ac rerum ipsarum ordine celebratæ, quas qui intelligit, ad arcana secretiora penetrare facile poterit. Nos igitur examinandos assumsimus Vnitatem, deinde 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 28. 30. 32. 33. 34. 35. 36. 38. 40. 42. 45. 46. 50. 60. 70. 72. 75.

Exho. 25. Cap. 3. Iohan. 14. Cap. 9.

77.

77. 80. 81. 90. 100. 120. 150. 153. 200. 215. 300. 318. 350. 360. 365. 400. 490. 500. 600. 666. 700. 1000. 1095. 1260. 1290. 1600. 1728. 2000. 3000. 5000. 5040. 7000. 10000. 12000. 30000. 144000. 1000000000. Quibus addere libuit etiam quæ ad inconditam, indefinitam'ue multitudinem voce, & significatione pertinent. Non fuit tamen noſtri inſtituti pleraque alia, tam ad Numeros propoſitos pertinentia, quàm ad alios perſequi; aut repugnantes multorum opiniones recenſere, dum præſtantiora quęque, veriora, vtiliora, & gratiora, tamquam floſculos vndecumque libare contendimus, ac ſectamur.

MYSTICAE NVMERORVM SIGNIFICATIONIS,

PETRI BONGI CANONICI BERGOMATIS,

PARS PRIOR.

DE VNITATE.

NITAS numerorum fons, & origo, Diuinæ creaturarum origini, æternoq; principio persimilis esse videtur. per ipsam enim humana mens in Dei contemplationem congruenter tolli potest. Deum autem dicentes Vnum, non numero, sed simplici vniuersitate intelligi volumus. Si quis enim dicat Vnum hominem, aut Vnum equum, hic Vnum pro numero posuit, quia possit & alter homo, vel equus esse, & tertius: vbi autem secundus, vel tertius adiici non potest, Vnus si dicatur, non numeri, sed vniuersitatis est nomen. Deum quoque dicimus Vnum, non quid sit exprimentes, sed quomodo sit id quod est enunciantes. Porro si Pythagoricum, vel etiam Academicum percunctaris: Quid est Deus? respondebit, non solum a se tibi non posse dici quid sit; sed neque a te hoc iure quæri, cum hæc de illo sit indigna quæstio, qui super omnem essentiam, superq. omne intelligibile est; hoc a se dumtaxat posse asseuerari, esse illum Vnitati simillimum, immo essentialiter, & simpliciter esse Vnum, a quo, & per quod, & in quo, & ad quod omnia sunt, et ordinantur, et permanent, & continentur, et implentur, et conuertuntur; esse q. primum Vnũ, & primum Ens. Sane Xenophanes ille Parmenidis præceptor, & idem Pythagoræ coæuus, quamquam vniuersa cælare mos illorum fuit; tamen uisus est perspicue nobis explanare, quid ipsum Vnum esse intellexerit, de quo in rerum principijs verba fecerit. Dixit autem illud Vnum esse Deum, quo liquidius Pythagoræ arcana nobis patefiunt, cum statuit, Infinitum, & Vnum, et Numerum esse prima rerum principia. Quemadmodũ enim Vnitas numerorum; ita melior natura Deus, rerum omnium principium est. Et sicut ab Vnitate omnes numeri principium accipiunt;

accipiunt;

cipiunt; sic a Deo omnes creaturæ. Atque sicut Vnitas ab infinita Numerorum serie distat in infinitum, licet omnes numeri ab ipsa Vnitate suscipiant ortum; ita a creaturis, Deus. Nulla est enim substantialis principij & caussæ ratio ad suos effectus exteriores. Vtq. hæc numeros omnes pares, & impares, ipsa neque par, neque impar, sua indiuidua simplicitate complectitur; sic illeres omnes sua impartibili infinitate claudit et continet. Et sicut a sola simplicissima Vnitate pares, impare sue numeri proficiscuntur; sic ab Vno rerum principio procedunt, tum quæ mortalis ac visibilis oculus noster cognoscit in mundo sensibili, tum quæ interna mentis acies in intellectuali prospicit mundo. Quemadmodum a Deo quoquomodo vniuersæ creaturæ fœcundissimo progressu substantiam habent; pari analogia ab impartibili Vnitate, quasi suo quodam motu omnis procedit numerorum chorus, cum aliud esse non possit omnis numerus, quam Vnitas. habet enim denarius id quod est ab Vnitate, sine qua nec numerus quidem vnus, nec denarius esset. quod enim est denarius penitus habet ex Vnitate; neque est quid aliud ab Vnitate; nec est quidquam recipiens ab Vnitate, quasi sibi præter Vnitatem, esse aliquod conuenire possit: sed omne id quod est, Vnitas est. Quod et Plato testatur in Parmenide, per Vnum intelligens esse diuinum, in quo omnia unitam habent tamquam rami in radice. Et licet vniuersæ creaturæ inter se genere, specie, numero q. sint differentes; vnicum tamen habent esse in ipso primo, non secus ac radij solares in ipso sole, et riui in fonte, & virtutes in sapientia. Ex quo quidem sequitur omnes creaturas non a se ipsis, sed a Deo bonorum omnium fonte exsistentiam habere. At vero quod nullus numerus seipsum secundum se metitur, sed id soli tribuitur Vnitati, quis hinc aperte non videat creaturas, nec ex seipsis esse, nec item per seipsas conseruari? Audi Iamblichum hac in re a Proclo quoq; comprobatum: Omnia ex Deo ita sunt, vt nusquam vel minima quæq; deserantur a Deo. vbiq. enim Diuina viget Vnitas, per quam res quæq; consistunt, ac perpetuo quodam, intimoq. circulo ad Deum ipsum, a quo, et in quo sunt, mirabiliter reuoluuntur: alioquin in nihilum repente prorueret. Ab Vnitate Diuina cuncta prodeunt, prodeũtiaq. Vnitatem quandam ipsis impressam retinent Diuinæ Vnitatis imaginem, qua & reuocantur in illam, et reuocata perficiuntur. Hæc Iamblichus. Ad hæc, quod Vnitatis virtus in numeris non euacuari dignoscitur, etiam quocunque assignato numero, item nec magnitudinis, quacũque posita sectione, illud in symbolo exprimunt, Di-

Nic. Cusa de filiatione Dei.

Carol. Bouil. de oppositis c. x

uinam

uinam virtutem in creaturis non terminari, magnitudinem item, atque perfectionem a creaturis non absumi, tametsi ab eadem suam habeat quæque creatura perfectionem. Quod vero Vnitas in se ducta se ipsam producit, in alium vero ducta numerum ipsum in suo statu conseruat, quid hoc est aliud, quam Deum Optimum Maximum semper esse seipsum, cum Diuina virtus sit tamquam centrum in circulo? Quemadmodum enim circulus super centro mouetur, centrum autem, cum sit indiuisibile, immobile vtiq. est: ita omnis dispositio & motus a Deo est, & ipse immobilis est, iuxta illud Boetij de Consolatione. 22.q.4.c. incõmut.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum, cæliq. sator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq. manens das cuncta moueri.

Diuinæ igitur Vnitatis emanationes intra se immanentes sunt semper eadem, verum extra lucent iuxta suscipientium naturam, nihil tamen suscipientes mutationis, dum per Vnitatem ducuntur. At cum per binarium, aliumue numerum suscipiunt multiplicationem, tunc alterationibus, corruptionibusq. materiæ mancipantur. Sunt igitur omnia in Deo immutabilia, sicut in Vnitate, numeri sine alteratione, in se ipsis vero semper aliquo modo mutabilia, tum respectu suæ naturæ, tum etiam respectu nostræ cognitionis. Est enim in Deo Iustitia, Vltio, Vindicta, Clementia, Misericordia, quo ad nos quidem diuersa, in ipso autem eadem prorsus ac indifferentia, quoniam Diuina Virtus nihil extra se recipit. Quod plane Clemens Alex. hæc scribens stromate quinto testatur: Deus, inquit, est impatibilis, iraq. expers, & cupiditatis, et non per eam est metus expers, aut declinat quæ sunt molesta & grauia; sed neque est temperans, aut imperat cupiditatibus, neque enim in graue aliquod, aut molestum Dei natura incidit; neque fugit Deus timorem, sicut nec concupiscit. Quoniam vero qui Deo adhæret Vnus spiritus efficitur cum illo, mystice apud nos etiam dictum est illud Phythagoricum, oportere hominem fieri Vnum. Eadem ferme scripta reliquit Origenes Adamantius, cuius ego, ne plura dicerem, verba subiecí: Vide si non hoc ipsum ad laudem pertinet iusti, quod dicitur de Helchana. Erat vir Vnus. Nos qui adhuc sumus peccatores, non possumus istum titulum laudis acquirere, quia vnusquisq. nostrum non est Vnus, sed multi. Intuere namq; illius vultum nunc irati, nunc iterum tristis, paulo post rursum gaudentis & iterum turbati, & rursum lenis, in alio tempore de rebus Diuinis, & Origenes hom. vni. in li. Reg. explicans idquod habetur ī cãtic. Annę: Erat uir unus.

de

de vitæ æternæ actibus consulentis, paulo post vero vel quæ ad auaritiam, vel quæ ad gloriam seculi pertinent molientis. Vides quomodo qui putatur Vnus, vere non est Vnus: sed tot in eo personæ esse videntur, quot mores conspiciuntur, quia, & secundum scripturas, insipiens sicut Luna mutatur. Vnde & Luna cum videatur vna esse per substantiæ immutationem, tamen a semetipsa semper ipsa alia est, semperq. diuersa. Et sic etiam in ipsa constat quod Vna, multæ sint. Sic et nos, qui adhuc insipientes & imperfecti sumus, quia semper mutamus sententias, & semper diuersa cupimus & sentimus, & quod Hieremias diceret, de malo ad malũ egredimur. ſ. de cogitatione ĩ cogitationẽ de desiderio in desideriũ, de peccato in peccatum, Vnus dici non possumus. De iustis autem non solum per singulos Vnus dicitur, verum etiam omnes conuenienter Vnus
Act. 4. nominantur. Cur enim omnes non dicuntur Vnus, quorum cor & anima vna esse describitur? Vnam semper omnes sapientiam meditantur, Vnum sapiunt, Vnum sentiunt, Vnum Deum venerantur & colunt. Vnum IESV Christum Dominum confitentur, Vno spiritu Dei replentur? Vnde merito, et ipsi omnes non solum Vnum; sed & Vnus di-
1. Cor. 9. cuntur, sicut et Apostolus designauit dicens: Omnes quidem currunt, sed Vnus accipit palmam. Vides aperte quia omnes iusti, Vnus est, qui accipit palmam? Vere enim imitatur Iustus, qui talis est, Vnum Deum.
Deut. 6. Nam vt ego arbitror, cum per Prophetam dicitur. Audi Israel Dominus Deus tuus, Vnus est Deus, non tantum numero, Vnus designatur vtique, qui supra omnem numerum esse credendus est; sed per hoc magis Vnus dici intelligendus est, quod numquam a semetipso alter efficitur; hoc
Psal. 101. est numquam mutatur, numquam in aliud vertitur, sicut de eo Dauid protestatur dicens: Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Sed
Malac. 3. et illud in hunc sensum respicit: Ego sum Dominus Deus vester, & non mutor. Immutabilis ergo est Deus, & per hoc Vnus dicitur, quod non mutatur, sic ergo, & imitator Dei iustus, qui ad imaginem eius conditus est, Vnus etiam ipse cum ad perfectum venerit, appellatur, quia & ipse cum in virtutis summa constiterit, non mutatur; sed Vnus permanet semper. Nam dum in sceleribus versatur vnusquisq; per multa diuiditur, & in diuersa dispergitur: & dum in multis est vitiorum generibus, dici non potest Vnus. Igitur quia secundum mirabilem hanc Vnitatem Vnus est Iustus, immo & plures Iusti Vnus sunt. ideo & Sanctus Apostolus omnem cohortatur Ecclesiam dicens: Vt idem dicatis omnes, &

non

non sint in vobis schismata. Hæc Origenes. Cum omnes numeri in se ducti non ijdem vnquam, sed alij semper fiant producti, sola (vt diximus Vnitas) æterna immutabilis per se, suapteq. natura, eiusdem, & semper sibi similis consentientisq. est substantiæ, sibi constans, sibiq. æqualis semper omnino eadem, nulli obnoxia varietati, nullam inuehens alterationem, etiam si in se ipsam acuatur. Et quid hoc aliud quam IESV Christum, Filium DEI vnigenitum, ex patre natum, ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, esse consubstantialem patri? Vnum, inquam, de Ciprian°.
Vno, quia & splendor Vnus est lucis, & Vnum est Verbum cordis, nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec diuisionem patitur, vbi qui nascitur, nequaquam a generante separatur. Vnicum dico vt menti, sensum; vt sapientiam, sapienti, vt cordi, verbum, vt forti, virtutem. Sicut nullum numerum affirmare poteris supremum esse Vnitatis partum: ita & creaturam nullam rite obijcias fœcundorum Diuinæ Bonitatis processuum periodum, quæ vel diuinam sistat omnipotentiam, vel id sit quidquid posse Vis illa indefessa & semper plena creditur. Vniuersi principio etiam similis ob id esse Vnitas videtur, quod licet cunctis numeris ortum esse a sola simplicissima Vnitate, nemo nesciat; difficile tamen dictu est qua emerserit latebra Vnitas. origo enim eius aut est profecto nulla, aut ipsa sibi fons est, seque æternam ante cunctos numeros progenuit, è semetipsa incognito ortu prodijt, & in sua Vnitate perstitisse probatur. Quis enim commode expresserit quanto tempore ante dualitatem cæterosque numeros seipsam produxit? Vel quis generationem enarrabit Filij Dei? Præterea cum Vnitas det esse numeris, sequitur vt omnia quæ de numeris dicuntur, ab Vnitate, veluti suo principio, nascantur, nam iuxta proloquium: Quod a nullo habet vt sit tale, plenius et hoc habet, quam, quod ab alio: Et propter quod quodq. tale, illud magis. Vnitas igitur est trigonus, tetragonus, pentagonus, radix, pyramis, cubus, circulus, & sphæra, atque in omni genere, quod imperfectionem non admittit, in illa iure locari potest, & debet. nam laterculus, aut altera parte longior esse non potest Vnitas, vt quæ imperfecti nihil admittat, quæ prima perfectorum est numerorum, non solum omnis perfectionis abunde capax, sed a se in omni perfectionis genere perfectissima, & absolutissima. Quemadmodum igitur si quid artificiosum et notatu dignum in nu-

meris inueniatur, omne illud ab Vnitate eorum principio nascitur. sic Deus est Sapiens, Bonus, Verus, & ipsa Sapientia, ipsa Bonitas, ipsa Veritas. Et quæcunque habent creaturæ eius virtutes quasi per partes distinctiue, habet ipse solus altiori quodam modo: & has perfectiones habent creaturæ eius, quia ipse has tribuit eis, quoniam & ipse Bonus, & creaturæ eius bonæ; quia Sapiens, sapientes; quia verus, ueræ; et similiter de alijs. verumtamen Deus proprie habet eas; creaturæ autem, secundum participationem. Quidquid enim in mundo pulchrum vsquam est, & admirabile, in eo ipso fonte Deo, vnde hæc profecta sunt omnia, longe melius, sicut & Platoni placet, omnino id totum exsistit. Sed & ipsam Virtutem a Deo fonte manari, & sine auctore Deo illam non posse seruari testatur fa-
Psal. 15. tidicus vates loquens in persona Iusti de statu suo: Conserua, inquit, me Domine. Nam qui Vnus potest aliquid ex se acquirere, is Vnus potest & illud per se sibi conseruare. Qui ergo petit a Deo conseruari in statu virtutis, significat per hoc quod nec a principio ipsam virtutem ex se acquisiuit. qui autem recordatur virtutem se consecutum, non virtute propria, sed Dei, non potest de ea superbire, sed magis
2. Cor. 3. demissus coram Deo incedere, sæpius illud Apostoli cogitans. Non quia simus idonei cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis, sed sufficientia
Cap. 8. nostra ex Deo est. Et in Deuteron. vox Dei est: Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem hanc magnam; sed memoraberis Domini Dei tui, quia tibi ipse dat fortitudinem, et facere virtutem. Ceterum quod numerorum quidam sint quadrati, quidam trigoni, quidam cubi ijdemq. quadrati, alij circulares, alij
1. Cor. 12. denique perfecti, quid hoc aliud quam quod dicit Apostolus, quia alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu, alij autem gratia sanitatum in Vno spiritu, alij vero operationes virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Quæ omnia operatur Vnus et idem spiritus, Vna et indiuidua Vnitas, diuidens seorsum vnicuiq; & dimetiens omnem creaturam, nec minus cuiq;
Macrob. lib. 1. de sō no Scip. dans perfectionem iuxta creaturæ exigentiam et capacitatem. Vnitas igitur principium & finis omnium, neque ipsa principij aut finis patiens, ad summum nos ducit Deum, nostrumq. intellectum a sequentium numero rerum et potestatum separat, nec in inferiore post Deum gradu

fru-

fruſtra eam deſideraueris. Ab Vnitate nempe cuncta procreantur, omniumque numerorum ſola ſeminarium eſt, ſolaque menſura & incrementorum cauſſa, ſtatuſque detrimentorum. Quæ tamen vbique pars eſt, vbiq. totum, dum per cuncta perpetua: neque enim quæ eſt ante extantia, & quæ poſt aſſumta non abſconditur, poteſt non eſſe perpetua. Hæc illa eſt mens ſummo nata Deo, quæ vices temporum neſciens in Vno ſemper, quod adeſt, conſiſtit æuo. Cumq. vt pote Vna, non ſit numerabilis, innumeras tamen generum ſpecies & de ſe creat, & intra ſe continet. Hermes Triſmegiſtus, per Vnitatis & numerorum analogiam, ad veram Vnitatem cogitandam, veroſque naturæ numeros nos eleuans, hæc ſcribit in Pimandro. Vnitas omnium principium, radix Cap. 4. *atque origo, abſque vero principio nihil, initium autem eſt non principij, ſed alterius. Vnitas ergo principium omnemque continet numerum a nullo contenta, omnemque gignit numerum, nullo genita numero. Quidquid vtique genitum imperfectum, diuiduum creſcens, atque decreſcens: ei vero quod perfectum nihil horum accidit: id ſane quod augeſcit, virtute augetur Vnitatis. euaneſcit autem imbecillitate propria, cum vlterius Vnitatem capere nequeat. Hæc tibi pro viribus imago Dei ſubſcripta ſit. quam ſi diligenter conſideraueris oculiſque internis prænoueris, crede mihi fili aſſenſum ad excelſa comperies. Hactenus Hermetis Crater. Quibus ſane verbis nihil dici excogitariue potuit præſtantius ad Vnitatis præſtantiam commendandam, cum non ſolum Vna Vnitate rerum omnium originem & principium nobiliſſimi Philoſophi contineri velint: ſed in ea quoque ſimilitudinem ac imaginem Dei ineſſe, eamque expeditiſſimam eſſe, vt antea demonſtratum eſt, cognoſcendi Dei rationem ceterarumque rerum, quæ ſunt a Deo creatæ, ſi Vnum omnia eſſe prius cognitum fuerit. Ac mundum quidem ipſum, quod eſt præſtantiſſimum & nobiliſſimum Dei opus, quem multi etiam Vnius ſolum Dei domicilium appellarunt, nullam ob aliam cauſſam adeo admirabilem eſſe Doctiſſimi quique tradunt, quam quod Vnus tantum ſit. Nam qui plures eſſe mundos aſſerunt, fine modoque carent ignorantia. Si enim poſſet humanus architectus dominari materiæ, vbi plura feciſſet ædificia, quorum quodlibet in ſe foret Vnũ, cuncta tandẽ ſeparet Vno. Deus autem cum ſit omnipotens, materiæ vtique Dominus eſt. quare Vnum tantum protulit mundum, ad cuius vniuerſi perfectionẽ vſus eſt omni eſſentia. integrum enim haudquaquam eſſet niſi cõpactũ et*

ex omnibus partibus constitutum fuisset. Cum igitur quoduis corpus suum habeat proprium a natura locum, terram necesse est undequaque ad medium ferri, & aquam super hanc leuiori subsidentem. Quod si plures fuissent conditi mundi, terram eueniret multifariam igni et aere superiorem, multifariam itidem fore inferiorem, quod de aere & aqua intelligas necesse erit, quæ alicubi suis in locis a natura tributis erunt, alicubi non erunt. Quæ cum de sententia Philosophi fieri non possint, neque duos esse neque plures Deus statuit mundos, sed vnum hunc ex vniuersa compactum substantia, in quo corpora iuxta naturæ legem, locorum differentijs sunt disposita. Vnus etiam cum sit Artifex, Vnus secundum exemplar, productus est mundus. Hic Vnus, ait Philo, creatus est mundus, quia et Vnus est illius Opifex Deus, qui hac Vnitate opus suum sibi simile reddidit. nã sicut ipse Vnus est Deus, ita & vnico contentus mundo pluribus abstinuit. hoc enim pacto concinne in imaginis ac similitudinis Vnitate veritatis & exemplaris natura elucet. Cum igitur mundus quo ad fieri potest, diuinum referat intellectum, adeo vt qui formas in hac materia conspicit, quasi diuinum in speculo contueatur vultum, illum etiam representat in ipsa infinita Vnitate omnium effectrice ac conseruatrice, qua nihil Deo similius, vt nec nix, niui esse valeat. Quamobrem cum infinitus esset creationis actus, in Vnitate designatus est, nam cuncta creauit Deus simul, vt cum perfectorum perfectißima sit Vnitas, omnem prorsus creaturam non tantum creando excederet, verum etiam in modo creandi, sui creatoris ostenderet excellentiam. Et ne hac potius ex ingenij mei riuulo, quam ex veritatis clarißimis fontibus hausisse videar, Maiorum dicta in medium afferam. Concilium Lateranense Romæ sub Innocentio tertio celebratum, id comprobasse conspicitur, ex verbis, quæ in primo capite illarum sanctionum sunt posita: Deus Vnum vniuersorum principium, Creator omnium visibilium et inuisibilium, spiritualium & corporalium, suâ omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet, et mundanã, ac deinde Humanam quasi cõmunem ex spiritu & corpore constitutam: hactenus concilij verba, quæ habentur, extra de sum. Tri. & fi. cath. cap. 1. vbi D. Abbas notat omnia simul creata. Nec nobis obstat quod habetur Genes. primo sex diebus constructum Mundum, hominemq. sexta formatum die, cum hoc innuere videantur & verba Concilij, asserentia primo creatam

spiri-

spiritualem creaturam, postmodum corporalem, postremo spiritualem & carnalem. Est enim humana rationalis fabrica ex spiritu constans & corpore, extra de celebr. Miss. cap. in quadam. Et de hæreticis cap. cum Christus. nam vt inquit Procopius inter Græcos summus Vir, quamuis omnia simul facta fuerint, haud tamen simul dici poterant cuncta, sed tali necesse fuit vti distinctione. Quemadmodum notant Glo. 35. dist. cap. sexto die, et Panormit. in ant. de summa Trin. et fi. cath. asserentes oportere vt primo dentur extrema, ad hoc vt postea detur medium. Dierum igitur numerus non temporis gratia a Moyse fuit assumtus, sed vt doceret rerum creatarum quasdam conditiones & mysteria. Hinc Nicolaus de Cusa Cardinalis: Aliqua, inquit, participant lucem in infimo gradu, vt elementa, aliqua in sensitiua, aliqua in rationali. Per gradus exprimuntur hi dies. nam omnia fecit Deus simul. dixit enim & facta sunt, sed explicatio gradualis describitur per Moysen in participatione lucis & diei. Hunc in modũ loquitur Nic. At Aristides Adrianen. in Hymno ad Iouem confidenter ait: Iuppiter fecit omnia, & a Ioue facta sunt omnia, Fluuij, Terra, Mare, Cælum, et quæcumque inter hæc, vel supra, vel infra eadem exsistunt. Et post pauca, subiungit: Quæ quidem omnia non tanto temporis spacio, quanto nos de his disseruimus, absoluit; sed multo citius, quam vel excogitari possit, simul vt ista fabricauit, rite singula diuisit. Posteaquam hoc modo, quasi quandam condidit vrbem, colonos deinde introduxit, vt cum distincta esset materia, & Mundus apparatus, gentibus illum repleret, cuncta ordine apte faciendo. Hæc ille. Non dissentiunt a nobis ex Hebræis qui melius senserunt, apud eos enim nominatissimus est Rabi Moyses Aegyptius, qui lib. 2. Ductoris sic fatur: Quod debes scire est, quod illud quod dictũ est: In principio creauit Deus Cælos et Terram, Sapientes dixerunt multis locis, quod eius expositio est: Cum Cælis et cum Terra, hoc est, quod Creator creauit cum Cælis quidquid est in Cælo, et cũ Terra, quidquid est in Terra. Tu vero scis quia dixerunt, quod cæli et Terra simul sunt creati, eo quod Propheta dixit: Ego vocans eos stantes simul. omnia vero simul creata sunt, & omnia primo apparuerunt, et assimilauerunt hanc rationem agricolæ diuersa seminum genera seminanti simul in terra, pars autem oritur post vnum diem, alia vero pars post duos dies, alia post tres dies, sed omnia semina proiecta fuerunt vna hora. secundum igitur hanc opinionem sine dubio solui poterit dubitatio illa quæ inducit sapientem quendam ad dicendum quod dixit, cui

Lib. 3. excit. ecce euãgelizo.

Gen. 1.

Esa. 48.

difficile fuit intelligere quomodo fuit primus dies, & secundus, & tertius. Sapientes vero manifeste dixerunt de ratione lucis, de qua facta est mentio in lege, quia fuit creata in prima die, quod ipsa sunt luminaria, quæ creata fuerunt in prima die, sed Deus non ostendit ea vsque ad quartum die. Hactenus Rabi Moyses. Hanc autem Rabinorum sententiam summopere laudat Gulielmus Hamerus hebraicæ linguæ peritissimus, illam dicens non solum veritati consonam, sed etiam veritatem ipsam, nam & Deus (inquit ille) omnia simul creauit verbo suo, & imperij sui dicto. Nec ab his dissentit Antistes Augustinus qui sex dierum enumerationem non ad temporis retulit successionem, sed ad naturalem ordinem operum, qui diebus attribuitur, vel ad ordinem reuelationis sex operum, quæ Deus Vnum post aliud Angelis reuelauit. Inde & Hugo, qui a Sancto Victore nominatur, hæc scribit libro de fidei sacramentis: Quod pertinet ad momenta temporum, & interualla, & spatia, hoc veritati vicinius profitemur, quod simul in tempore Vno, & in principio temporis, quando tempora ipsa cœperunt, facta est, siue creata pariter rerum omnium visibilium materia, & inuisibilium in Angelica creatura & spirituali natura, nec fuisse in tempore, nec cœpisse alteram sine altera, nec prius quam alteram, sed vtramque simul in tempore, & cum tempore. Illis etiam se opponens, qui Angelos arguunt per multa secula ante mundum visibilem exstitisse, & computant spatia, et annos, & secula quibus Deo seruierunt, hæc affert: Sed nos magis approbamus quod dictum est pro captu intelligentiæ nostræ, salua arcanorum reuerentia, in quibus nihil temere asserendum putamus, & ad hunc modum interim definiuimus, quod simul facta sunt omnia visibilia & inuisibilia, sicut Scriptura dicit: Qui viuit in æternum creauit omnia. Omnia quippe simul condita sunt, quoniam & eodem tempore pariter cœpisse, credimus & visibilium omnium materiam, & inuisibilium naturam. hæc ille. Eadem ferme leges apud Basilium, Dionysium, Bedam, Cassiodorum, & Albertum Magnum, & D. Thomam. Quamuis enim finita determinataque virtus, in actione tempus exquirat, tamen hoc non poscit infinita, qualis est Dei. Cuncta enim iussis produxit & verbo, dicente Psalmographo: Ipse, nempe Deus, dixit & facta sunt,

In Genes.

Aug. i Ge. lib. 1. c. 15. item in C. Dei lib. 11. cap. 9.

Li. 1. pert. 5. cap. 4.

Cõtra Hieron. com. Epłę ad Titũ et Amb. lib. 1. hexameron. Hugo d' sacrã. fidei lib. 1. pert. 5. cap. 5.

Eccl. 18.

Tho. pt. 1. q. 61. ar. 3.

sunt. Quid dico: Dixit & facta sunt? cum sola cogitatio perfectum opus Deo sistat, ac representet? Vnde in libro qui inscribitur Iudith. cap. 9. legitur, quod cogitauit Deus, ac præsto fuerunt sibi omnia, quæ fecit. Credibile est vtique Deum in agendo nequaquam tempus exquirere. Immo iniuriam Deo videntur inferre, qui summum æternumque Opificem, nisi per tempus, & successione operari posse contendunt. Deus, inquit Nicol. de Cusa libro septimo Excitat. omnia simul creauit opera enim Omnipotentis non cadunt sub tempus, seu moram. Tale quid loquitur & Sanctus Ambrosius exponens Moysis Genesim his verbis: Pulchre addidit de celeritate condicionis: Fecit, ne mora in faciendo fuisse existimaretur, vt vel sic intelligerent homines quam incomprehensibilis operator esset, qui tantum opus breui exiguoque momento suæ operationis absolueret, vt voluntatis effectus sensum temporis præueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum. Vbi igitur mora? cum legas: Quia ipse dixit & facta sunt, ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vsum, nec virtutis expendit, qui momento suæ voluntatis maiestatem tantæ operationis impleuit, vt ea quæ non erant esse faceret tam velociter, vt neque voluntas operationi præcurreret, neque operatio voluntati. Etiam explanans illud Propheta Regij: Principio Domine Terram fundasti & opera manuum tuarum sunt Cæli: simul illud, inquit, aduerte, quia Propheta Dauid Terram priori loco nominauit, & post eam credidit opus esse Domini declarandum. Quando enim dixit: Et facta sunt, nihil interest quid prius exprimas, cum simul vtrumque sit factum. Eorum igitur refellenda simplicitas, qui existimant sex diebus, aut certo vtique tempore conditum mundum, cum totus mundus sit vicissitudo dierum ac noctium, quam Solis motus super terram, sub terramque meantis necessario conficit, Sol autem pars Cæli censetur, vt fateri necesse sit tempus esse mundo posterius, quippe quod mundi est effectus. Cæli siquidem motus temporis indicauit naturam. Accedit ad hoc quod, vt docet Hiarchas Gymnosophista Brachmanorum princeps, non debebant

Psal. 148.

Hexam. libr. 1. c. 3. Gen. 2.

Psal. 101. Lib. ca. 6. Hexam.

Psal. 148.

huius

huius mundani animalis membra produci seorsum, sed simul. Animal quippe mundum esse nullus antiquorum fuit inficiatus, præcipue Plato, a quo non discrepat Aurel. Aug. sed vt quod diximus, haud ex humanis figmentis inuentum putetur, nisi etiam Mosaicis sententijs videatur fuisse constructum, eundem audias qui diuersis diebus creatum Cælum, et terram, virgultum, herbam, totamque narrauerat fabricam, simul Vno eodemq. temporis atomo cuncta producta subiungentem his fere verbis: Ista sunt generationes Cæli & Terræ quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus Cælum et Terram etc. Quod ideo dictum est, vt quomodo possemus, cogitaremus simul cuncta Deum effecisse, quamuis superior sex dierum enumeratio, veluti temporum interualla ostendisse videretur. Ad hoc ergo pertinere crediderim quod scribit D. Aug. Diuinam. s. paginã aliquando tamquã infirmis infirmiter loqui, et tamen aliquid innuere quod intelligat, qui valuerit. Quare diuina oracula expendens Disertissimus Iudæorum Philo: Ne suspiceris, inquit, intra certa temporis spatia lumen aliquid facere; sed ignota, incerta, inscrutabilia, incomprehensibilia humano generi esse illius opera, subinfert has voces Propheticus sermo: Istæ sunt generationes Cæli & Terræ, quando creatæ sunt. non definiens quando, incircumscripte siquidem fit, quidquid ab hac caussa fit. Atque ita negatur hoc vniuersum intra sex conditum dies. Philonis æmulus Clemens Alexand. eandem sustinuit sententiam dicens in stromatis: Ne existimemus mundum in tempore factum a Deo, subiunxit Prophetia: Hic est liber generationis, & eorum quæ sunt in ipsis, quando facta sunt, quo die fecit Deus Cælum et Terram. Illud enim. Quando facta sunt, enunciationem significat indefinitam, & temporis expertem. hactenus ille. Huic quoque illud est consonum quod qui dixerat ex latere sopo rati Adæ formatam fuisse Heuam, idem scribit, quod creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & feminam fecit eos. Necdum enim facta describitur Heua, & iam Homo masculus esse perhibetur & femina. Sic Behemot, id est, Diabolum cum Homine creatum perhibet liber cui titulus Iob. Exuperantissimus igitur cum sit Deus, mundum ad sui finxit imaginem, cum ipse sit Vnus, mundum creauit Vnum; cum ipse sit infinitus, mundum creauit rotundum; cum ipse sit æternus, mundum creauit incorruptibilem, & æternum; cum ipse sit immensus, mundum creauit omnium maximum; cum ipse sit summa vita, mundum etiam vitalibus semini

Platoin Timeo

Gen. 2.

Aug. de genesi ad litteram lib. 5. cap. 6.

Philo. lib. 1. alleg.

Gen. 2.

Cl. stro 6.

Gen. 2. Gen. 1.

Iob. 4.

nibus exornauit, ex seſe cuncta gignentem. Et cum ipſe ſit omnipotens, ſola voluntate ſua, non ulla naturæ neceſsitate mundum non ex præiacente materia, ſed ex nihilo condidit in inſtanti. Ad hoc Vnitatis ſacramentum illud itidem ſpectare cenſetur quod in eadem Geneſi non fuit dictum, quod factus eſt dies primus, vt poſtulaſſe videtur conſequentiæ ratio totius ſcripturæ, cum ſecundus, ac tertius, ſequenteſq. dies enumerentur, ſed factus eſt veſpere & mane dies Vnus. Quod optime quidem notauit Ioſephus Antiquitatum volumine primo, hæc de re ſic inquiens: Et hic quidem eſt dies primus, Moyſes autem eum dixit eſſe Vnum, et licet ſufficiat huiuſce rei cauſſam etiam nunc dicere; tamen quia pollicitus ſum rationẽ ſingularum cauſſarum ſeorſum tradere, illud ad huius rei interpretationem, me neceſſarium eſt differre. Quibus quidem verbis Ioſephus numerorum rationẽ, & myſterium voluit indicare, vt quantum Monadis ipſius ſacramentum ſit cogitaremus. Ceterum myſteriorum interpres Philo, hæc nobis de prima die conſideranda propoſuit. Singulis, inquit, diebus certas particulas attribuit vniuerſi, primo ſolo excepto die, quem ne nominat quidem primum, ne ceteris adnumeretur, ſed Vnum nominans apto vtitur vocabulo, Vnionis conſiderata natura, appellationeq. eius hic conuenientiſsima. Sed hæc aperta et vulgaris eſt expoſitio, occultior autem & paucis nota talis eſſe cenſetur: Vt prima die formatus dicatur intelligibilis mundus. Deus enim ſciens nullam effigiem præclaram abſq. illuſtri exemplari poſſe aliquando formari, dum iſtum viſibilem Mundum conſtituebat ædificare, alterum ſola mente perceptum prima die formauit. Quod ſi quis planioribus nominibus vti velit, Mundum ratione comprehenſum nihil aliud dixerit, quam Verbum Dei Mundum iam fabricare molientis. Atq; eſt hoc quidem dogma non ex meo depromtũ ingenio, ſed ab ipſo excogitatum Moyſe, quando hominem fatetur ad Dei figuratum imaginem. Quod ſi pars effigies ſit, conſtat totam ſpeciem, hunc totum dico Mundũ, effigiem eſſe Diuinæ figuræ. Quod ſi Moyſis auctoritas nõ facit ſatis, audias barbaricam Philoſophiam, quæ teſte Clemente Alex. Vnum quidem nouit Mundum, qui percipitur intelligentia, alterum ſenſilem: illum quidem archetypum, hunc imaginem eius qui dicitur exemplar; at illum Vnitati quidem attribuit. hunc vero nempe ſenſilem, ſenario. Vnitas etiam commendata conſpicitur in vnius hominis creatione. nam, cum inſtituerit Deus animantes alias ſolitarias, et quodammodo ſoliuagas, id eſt, quæ ſolitudinem magis appetunt, ſicuti

Gen. 1.

Gen. 5.

Euſeb. de prep. euã. lib. 11. 12. Clem. ſtr. lib. 5.

Gen. 1.

ſunt

sunt aquilæ, leones, lupi, & similes alias, alias gregabiles, quæ congregatæ atque in gregibus viuere malint, vt sunt columbæ, sturni, cerui, & huiusmodi: vtrumque genus non ex singulis propagauit, sed plura simul iussit exsistere. Hominum vero genus, quod naturaliter politicum est, ac ciuile, Arist. polit. 1. *secundum Philosophorum sententiam, ex Vno est, ad commendandam Vnitatis concordiam, mysteriumq., propagatum, quod ab Aug. fuit adnotatum in ciuitate Diuina, et Hugone Saxo. lib. de Sacramentis Fidei.* Lib. 12. de C. Dei. *Quemadmodum enim ab Vno cunctipotēte Deo per creationem omnes;* Li. quæst. vet. & no. testam. *sic ab Homine Vno per propagationem. Imago Dei (inquit Aug.) est in Homine, vt Vnus factus sit Dominus, ex quo ceteri oriantur, habens imperium Dei, quasi vicarius eius, quia vnius Dei habet vir imaginem.* 33. q. vlt. cap. fi. *Vnus itaq. creatus est Homo, qui quamdiu solus, et Vnus fuit, non prænaricatus est, de pœnit. dist. 2. cap. quando Adam solus, sed non relictus est solus, nā creatura Dei est femina sicut vir, quæ de viro sūta est, vt Vnitas commendaretur, quo videlicet esset concordia maior, sciretq. alter alteram se genuisse, & hæc se ex illo profectam; atque ita vt eadem videatur res vir, & vxor; nihilq. sit quod illos diuidat & disiungat, quo nihil propemodum esse potest rei familiari, & coniugali vitæ salutarius. Vnitatem quoq; Dominus commendauit quando a principio Vnam cunctis* Aug. in C. Dei li. 22. cap. 17. Hugo a S. Vic. *esse voluit linguam. Quod nihil humano generi præstantius, quam quod inter nos mutuo loquimur, & (vt inquit Cicero) exprimere dicendo sensa possumus. Quo enim alio symbolo Homo Homini congreditur, nisi lingua beneficio? Atrox quidem ac inexpiabile dissidium inter diuersas gentes pariunt linguarum diuerticula. nam si duo sibimet inuicem fiant obuiam, neque præterire, sed simul esse aliqua necessitate cogantur, quorum neuter norit linguam alterius, facilius sibi animalia muta, etiam diuersi generis, quam illi, cum sint homines ambo, sociantur. Quando enim quæ sentiunt vicissim communicare non possunt, propter solam linguarum diuersitatem, nihil prodest ad sociandos homines tanta similitudo naturæ, ita vt libentius Homo sit cum cane suo, quam cum homine alieno. Hoc inquam inexpiabile dissidium, quo Homo ab Homine discissus est & diuulsus, non solum licet videre in diuersis gentibus, vt parum videlicet inter illas conueniat, nisi linguarum intercedat commercium, verum etiam in legitimo, iustoq. imperio parum dicto audientes erunt subditi, si Princeps qui in plurimas dominatur Gentes, non etiam omnium Gentium quas suo complectitur imperio, lingua loquatur: Oratioq. Principis, quæ* Gen. 11. In Oratore. Plato de rap. lib. 5. Aug. in C. Dei li. 16. *mul-*

multum valet ad subditorum animos conciliandos, si non intelligatur, omnes auertit ab ipso. Argumento est Nemrod, qui turrim sperans adificare cuius sũmitas Cælos attingeret, hac animaduersione percussus perhibetur, vt lingua damnatus non intelligeretur iubens, nec audiret quisquam vocem proximi sui. Cumq. eo vsque Vnus fuisset populus, gens Vna, Vnumq. omnibus labium, tale vulnus mortalium generi inflixit linguarum diuisio, vt cum linguarum varietate, varia quoque diuersaque censeantur Gentes, quæ cum lingua inter sese non communicant, natura ipsa perpetuo in ter se laborent dissidio. Nec est audiendus Philastrius Episcopus Brixiensis asserens firmiter credendum, quod etiam ante turris ædificationem multis seculis plures fuerint sermonum, ac linguarum diuersitates, cum Alphonsus Castrensis Moysis testimonio fretus, tam longe absit ab hac Philastrij sententia, vt illam non vereatur hæreticam dicere. Docet enim scriptura Diuina ante Babel tempora vnicã tantum fuisse omnibus linguam, dum ait: Terram fuisse labij Vnius, et verborum eorumdem. Vna (inquit Ioannes de Silua) fuit a principio lingua, et fuit Hebraica, prout creditur: et probabiliter in patria erit Vna. His suffragatur Cyprianus Episcopus Cartaginen. hunc in modum scribens: Post Christi ascensionem in Cælos, Spiritus Sanctus visibiliter super Apostolos in linguis igneis apparuit, et ad instar prioris sæculi, vniuersitatem fidelium Vnius labij esse voluit; vt quorum erat cor Vnum, et anima Vna, Vna esset et lingua; nec posset impedire intellectum credentium aliqua diuersitas verborum, sed Euangelica Doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret, vt Græcis, et Barbaris, omnibusq. Gentibus verbum Euangelij sic esset intelligibile, ac si in eorum auribus, lingua in qua nati erant, idiomata resonarent. Aderant Medi, et Elamitæ, Mesopotaniam incolentes, Arabes, et alij. hi omnes dum Hebræa lingua Apostoli prædicarent, locutio Iudaica enunciationis suæ articulos cursu consueto euoluens nullo exponebatur interprete, sed verbo eorum per Spiritum Sanctum inerat virtus et gratia, vt habitantes Pontum et Asiam, suam esse dicerent linguam, quam audiebant quasi primitiuæ linguæ libertas, ad iniquitatis reuersa originem confusionis contumeliam euasisset. Illud tamen minime tacendum quod cum natura vnicuique nostrum duas dedisset aures, duos oculos, nares duas, pedesq. totidem, vnicam tamen dare voluit linguam, nimirum nos edocens parce loqui. etenim nulla Vna ita oratio dicta profuit, vt multæ

Gen. 11.

In catalogo hereseon c. 106.

Lib. 9. aduersus hereses.

Gen. 11. super Clem. R. de Magistris.

Lib. d'Spũ Sancto. Act. 2.

Bed. com. in Actc. 2

silen-

silentio pressæ, quippe quod tacitum est, aliquando tamen dici potest; non item quod dictum est, taceri. Nam neque auem e manibus dimissam facile est denuo comprehendere, neque potest sermo ex ore emissus rursum capi & teneri. Proinde aiunt quod nullum nostrorum membrorum natura perinde atque linguam vallo coercuit, positis ante eam præsidij loco dentibus: vt si ratione intus resonantia frena premente obedire nolens prosiliret, morsibus eam lancinantes, eius compesceremus intemperantiam. Sic Zeno Philosophus ne corpus necessitate expugnatum arcanum animi ullum posset efferre, linguam dentibus abscissam in Tyrānum expuit. Potest autem Vnitas taciturnitatis hieroglyphicum dici, vti Dualitas loquacitatis. Quemadmodum enim Vnitas in se ducta suos minime limites egreditur, sed omnino Vnum perseuerat, manetq. vnde & Monadis nomen inditum, Dualitas vero principium est diuisionis indefinitum, statim enim a se deficit, duplicatione in multitudinem tendens. Eodem ferme modo sermo ab vno primoq. nequaquam recedens, vere arcanus est, ac dicitur. Quod si alteri communicetur, iam famæ ordinem subit. nam & Mercurius pennatis talaribus præditus erat, vnde & alata verba dixit Homerus. Quare Antigonus ille rex filio quærenti quando castra essent moturi: Quid, inquit, metuis ne solus tu non audias tubam? vocem ei arcanam non credens, quem erat regni hæredem habiturus. Metellus senex militiæ simile aliquid interrogatus: Si, inquit, tunicam huius arcani conscium arbitrarer, euestigio exutus concremarem. Omnino autem quo ore obiurgabis eum qui non tacuit id, quod tu ei dixisti? alium silere quod vis, prius ipse sile. Si enim tacitum ignoratum oportuit, male alteri fuit indicatum, si vero rem arcanam ex te dimittens in alio continere uis, iā tua prodita in alterius confugisti fidem, qui si tui similis est, iure peris; si melior, præter rationem seruaris, inuento qui tibi sit quam tu ipse fidelior. Quid vero dicemus de Virtutibus, quæ vniuersas recte cogitandi & viuendi vias ac rationes continent? quarum alii plura, alii pauciora genera faciunt. ita ne virtus est multiplex, vt Vnitatem omnino repudiet? an cum virtus apud homines sit res omnium præstantissima, sic etiam Vnam esse præcipue oportet? sic sane Philosophi quoq; sensere Vnam videlicet esse virtutem, cuius vis & usus multiplex multis nuncupetur nominibus; quo nimirum modo etiam Drachma una atq; eadem si detur nauclero dicitur naulum, si Publicano uectigal, si prore empta pretium, si operario merces appellatur. ita Virtus vt ad varios

Odyss. a 122.

Seneca in Hippol.

Cle. Alex. stro. 1. Plato de legib. lib. 4.

vsus

vsus adhibetur, modo Iustitia, modo Prudentia, modo alijs atque alijs nominibus vocatur. Dum enim considerat, quid sit agendum, vel non, Prudentiæ nomen habet; dum moderatur cupiditate, modumque ac legitimum tempus definit, Temperantiæ; dum in perferendis rebus versatur, Fortitudinis; dum commercia contractusque hominum inuicem temperat, & æqualitatem constituit in his quæ sunt ad alterum, Iustitiæ: vt vnica sit virtus, quæ comparatione cum rebus, & actione tantum discrimen admittere videatur. Inde Plato in Ciuili testatus est Virtutes omnes mutua inuicem amicitia vinciri. Et Stoici virtutes probant esse connexas, omnesque habere, qui Vnam habuerit, deesseque cunctas, cui defuerit Vna. Quod astruit Nicolaus de Cusa dicens, tantam esse animæ simplicitatem quod qualibet virtus est in qualibet. Anima enim quando induit animum Temperantiæ, tunc & aliarum virtutum. Nam non est Temperantia sine Prudentia, Iustitia, & Fortitudine. Sic Virtus Prudentiæ non est vera, nisi sit sobria, iusta, & fortis. Ita Iustitia est sobria prudens & fortis; Fortitudo prudens, sobria, iusta. & secundum Gregorium sine prudentia non est fortitudo, sed temeritas. sunt igitur Virtutes connexæ. Sic ille. Ceterum quia habitus isti magis in concreto quam in abstracto percipiuntur. Catilina, vt de illo scripserunt qui nosse potuerunt, frigus, sitim, famem poterat ferre, eratque patiens algoris, & vigiliæ supra quam credibile est, ac per hoc videbatur Fortitudine præditus; sed hæc Fortitudo non erat, nam prudens non erat, quia pro bonis mala deligebat; temperans non erat, turpissimis enim corruptelis fœdabatur, iustus non erat, quia contra patriam coniurauerat. Et ideo nec fortitudo aderat, nam si affuisset, virtus vtique fuisset. Si autem virtus, a ceteris virtutibus, tamquam inseparabilibus comitibus, non relictus fuisset. His suffragatur Chrysippus virtutes dicens sese inuicem consequi, non modo quod vna præditus omnes habeat, sed etiam quod secundum Vnam agens, secundum omnes agat; & neque virum dici posse perfectum putans in quo non sint omnes virtutes; neque actionem perfectam in quam vniuersæ non concurrant virtutes. Consentit & Diuus Ambrosius hæc scribens super Lucam: Connexæ sibi sunt concatenataque virtutes, vt qui Vnam habet, plures habere videatur. Augustinus etiam in de

Lib. 8. excit. dominabuntpopuli. Arist. Eth. 6. & Glo. de pœnit. dist. 2. citius.

Trinitate sexto probat virtutes, quæ sunt in animo humano, nullo modo ab inuicem separari. Gregorius libro moralium decimotertio dicit quod Vna virtus sine alijs, aut omnino nulla est, aut imperfecta. Iullius Tusc. quæst. Libro secundo. Si Vnam, inquit, virtutum confessus es te non habere, nullam necesse est te habiturum. Idemque in libris de officijs ait, qui Vnam habeat omnes habere virtutes. Quod tamen intelligendum est de morali virtute perfecta, quæ est habitus inclinans in bonum opus bene agendum. Quod si quis nobis obijciat quattuor generales virtutes circulares quidem dici; sed de ceteris idem iudicari non posse, quia Fortitudini videatur aduersari Clementia; respondetur, quod Longanimitas media accedens, vtramque cum altera coniungit. Longanimitas enim dilationem quandam iræ significare videtur, congruum inferendæ pœnæ tempus expectans. at Clementia tranquilli animi statum, ac perfectam iræ compressionem indicat. Atque ob eam causſam Longanimitas Prudentiæ laudem habet. Eadem est in Prudentia ratio. nam & simplicitas rationalis animæ partis virtus est, et Calliditas, ac Sapientia. Hæ autem dijudicatricis virtutis interuentu inter se iunguntur, quod etiam in cæteris est videre. Quare ex Indis qui Pedalij vocantur, nihil fere in sacrificijs aliud a Dijs immortalibus exposcebant, quam Iustitiam, arbitrati omnium plane compotes se futuros, si eam modo Vnam forent assecuti. quæ si animo inseritur, sapientiæ nomen vendicat: si in corporibus sese promat, prosperior dicitur valetudo: si e domibus caput proferat, concordia nuncupatur: si in ciuitate celebretur, pax dicitur: si eniteſcat in mundo, prouidentia nuncupatur. Omnes quidem virtutis species vno legalis Iustitiæ nomine contineri testatur D. Hier. ad Demetriadem. Et Cic. lib. Officiorum de ea sic scribit: Iustitia hæc vna virtus sola domina omnium & regina virtutum. Ambrosius item libro Hexameron hæc affert: Vbi Iustitia est, ibi concordia est ceterarum virtutum. non enim per se pars est Iustitia, sed quasi mater est omnium vnde 24. queſt. 1. vbi. Iustitia esse non potest ubi deest Fides, & Charitas. Quo fit ut sit omnibus perfectior. Et apud Philosophum ea Virtus, qua potest uir bonus uti, non solum ad se, sed ad alium, est Virtus maxime perfecta; sed Iustitia legitima est huiusmodi ergo &c. Adhuc Seneca de copia uerborum ad hunc modum loquitur: Iustitia

est

est tacitæ naturæ conuentio in adiutorium multorum inuenta ; et subdit : Iustitia non est constitutio nostra, sed Diuina lex, & vinculum societatis humanæ. in hac non est vt existimes quid expediat, nisi quidquid illa dictauerit. Quisquis ergo hanc assequi desideras, time Deum prius, & ama, vt ameris ab eo: amabis autem illum, si illum in hoc imitaberis, vt velis omnibus prodesse, nocere nulli. Et de isto amore iustitiæ Hugo Victorius sic ait: Sicut iustitia amatori suo deesse non potest ; ita illi a quo non amatur nullatenus adesse potest. Ratio secundum eum est, quia iustitiam perfecte amare est esse iustum, quam quo magis dilexeris, iustior eris. Hinc licet colligere, nihil aliud apud Philosophos esse iustitiam, quam Dilectionem Amorem, & vt proprie dicam, Charitatem apud Christianum. Vt enim Iustitia per legis imperium ordinat actus omnium virtutum in bonum commune : sic Charitas ordinat omnes fidelium pias actiones in diuinum bonum. Quare Gregorius Theologus oratione tertia de pace sic dicit : A nobis si quis sciscitetur quidnam colamus atque adoremus ; promtum est respondere quod charitatem veneremur. Quod si præterea rogemur quæ legis, ac Prophetarum summa sit, haud quidquam aliud quam charitatem nos Euangelista respondere sinet. Charitas enim omnia bona maxime continet, & est summa omnium, quæ per sanctam declarantur scripturam. Neque est ulla Virtutis species, per quam homo Deo fiat familiaris, & ei coniungatur, & sit superna gloriæ & regni hæres, nisi dependeat a Charitate, & ab ipsa comprehendatur inexplicabili ratione contenta, & custodita, aduersus quam, si quis crimen admiserit, iuremerito quidem totius legis reus efficitur ; attestante Iacobo Apostolo in Epistola canonica. Nam per vnicum illum in Vno defectum, non intelligit quodcumque minimum, ac veniale peccatum, quemadmodum impius Lutherus conqueritur, sed illud Vnum graue, ac magnum delictum, quo contra legem Charitatis Dei ac proximi delinquitur. Sic enim locum hunc exposuit Aurelius Augustinus sermone quarto de tempore : Qui offenderit, inquit, in Vno, factus est omnium reus. Quid est hoc Vnum, nisi illud quod Apostolus dicit : Omnis lex in Vno sermone impletur : Diliges Dominum tuum & proximum tuum ? Idem confirmat Epistola vigesima nona ad Hieronymum dicens : Qui in vno offenderit,

De sacra. lib. 1.

Gal. 5.

Aug.

fit omnium reus, si contra Charitatem facit, vnde tota lex pendet. reus enim fit omnium, si contra eam faciat, ex qua pendent omnia. Charitas enim primus est fructus Spiritualium donorum,
Gal. 5. *vnde eam non inordinatè ita posuit Paulus ad Galatas scribens: Fructus Spiritus est Charitas, gaudium, & reliqua &c. Hoc donum est a Deo protestante Iohanne in Epistola maiore, cap. quarto, quia Deus Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet. Hoc donum a Deo sibi conferri postulat Ecclesia. Quando enim Sancti Spiritus ad sanctificandum totius Ecclesiæ sacrificium postulatur aduentus, nihil aliud peti mihi videtur, nisi vt per gratiam Spiritualem in corpore Christi, quod est Ecclesia, Charitatis Vnitas iugiter infracta seruetur, quæ diffusa est in cordibus no-*
Rom. 5. *stris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Quod & sensit Augustinus in libris de Baptismo, cum quæstionem de Hæreticorum receptione sine Baptismatis iteratione tractaret, in tertio eiusdem operis libro inter alia sic inquiens: Spiritus autem Sanctus, quod in Catholica Ecclesia per manus impositionem dari dicitur nimirum*
Rom. 5. *hoc intelligi maiores nostri voluerunt, quod Apostolus ait: Quoniam Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ipsa est enim Charitas quam non habent qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt. similiter quod Iudas Apostolus in Epistola sua posuit, dicens: Hi sunt qui segregant semetipsos animales, Spiritum non habentes. Augustinus remoto dubitationis ambiguo, de Charitate Dei quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum dicit: Ipsa est enim Charitas, quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt.*
Cap. 1. *Sed & Matthæus eodem Spiritu Sancto repletus testatur, quod cum desponsata esset Maria Ioseph, priusquam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto. Quid verò factum est illius incarnationis Dominicæ mysterio, nisi vt vnirentur diuisa, & dissidentia pacarentur? Christus enim est lapis angularis consocians & glutinans disiunctos parietes, & reprobato dius a malignis fidei fundamento Charitatis suæ nexibus diuisas copulauit macerias, redigens partes in totum, & multa in Vnum. Ipse est pax nostra, qui dualitatem populorum respuens, illam vertit in Vnitatem; & diuersitatem populorum tollens, e duplici ouili Vnum tantum e*

cun-

cunctis mundi ouibus ouile confecit, Vnicum illi præficiens Pastorem. Dualitas quidem viguit in mundo quandiu differentia stetit Israelis & Gentium. quandiu hæ sub Idolorum nube vixerunt; & Israel sub veri Dei luce stetit, & vnius Dei cultor fuit. Sublata est Dualitas ab Vnitate quando inseruit Deus in Sanctam & proceram Abrahæ oliuam etiam filios alieginarum, dans illi gratiam vt melius fierent Abrahæ filij per regenerationem quam olim in naturali semine fiebant per circumcisionem. Voluit enim eo pacto Deus vniuersa a se ipso progressa suæ tandem reminiscí originis, vt sicut ab Vno pependit origo omnium, ita & in Vno figeretur stabilis palus & meta vniuersorum. Sed de hac Vnitate dissérentem audiamus Paulum ad Ephesios immo ad omnes Gentes scribentem. Vos qui quondam eratis longinqui, propinqui facti estis Cap. 2. per sanguinem IESV Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex vtrisque Vnum, & interstitium maceriæ diruit, simultatem per carnem suam, legem mandatorum in decretis sitam abrogans, vt duos conderet in semetipsa in Vnum nouum hominem faciens pacem, & vt reconciliaret ambos in Vno corpore Deo per crucem, perempta inimicitia per eam, & veniens euangelizauit pacem vobis qui procul aberatis, & his qui prope; quia in ipso habemus aditum vtrique in vno Spiritu ad Patrem. Diuus etiam Iohannes in 1. Io. 3. maiori Epistola: Scis, inquit, quia Christus apparuerit? Vt peccata tolleret, & dissolueret opera Diaboli, quæ separant nos a Deo. Et per quendam sapientem dicitur: Peruersæ cogita- Sap. 1. tiones separant a Deo. Et Esaiæ capit. quinquagesimo nono, vox Dei est: Peccata vestra separant Vos, & Me: Omnis autem, qui faciat peccatum; & iniquitatem facit; & peccatum est iniquitas. Quæ est autem iniquitas nisi mala concupiscentia? quam ex Deo non esse idem Iohannes manifestat his verbis: Si quis diligit mundum, non est Charitas Patri in eo, quia omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non a Patre, sed ex concupiscentia mundi est. Hic autem mundi nomine, homines insinuat istius mundi sectatores, qui non ideo pro dilectione mundi puniendi, quasi aliquam malam substantiam diligant, cum teste Moyse Dei interprete nulla naturaliter sit mala substantia, sed

quia dilectionis ordinem non tenentes, dum plus iusto diligunt mundum, minus Deum diligunt, quam par est. Atque hanc ni me mea fallit opinio, fuisse putarim primi hominis prævaricationem, amorem scilicet inordinatum. Mortis enim disseminator inuidens venenum suum, decipiendo primorum Hominum credulam nouitatem, in corpora nostra latenter transmisit, & ex duabus substantijs vnicam hominis perfectamq. naturam quadam diuisionis discordia dissecauit. Vt cum nobis Vna mens esset, id est, illa quam germanitas animæ & corporis gignebat, aliam voluntatem per vitiatam naturam contra animam parturiret. Audi Isidorum lib. de Summo Bono: Diuisio & pugna, vt sit in animo hominis, pœna peccati est, ex primo homine in omnes filios propagata, vt qui noluit esse cum Deo Vnitus, esset in semetipso diuisus. Est enim quædam inter spiritum & carnem colluctatio, & discordantibus aduersus se inuicem quotidiana congressio, vt non quæ volumus ipsa faciamus, dum spiritus cælestia quærit, et diuina; caro terrena, & secularia concupiscit. Rom. 7. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Peccati igitur initium si attendatur, nihil aliud esse putarim, quam inordinatam rationalis creaturæ dilectionem, quæ sponte perdendo dilectionis ordinem, perdidit & salutem. Peccatum, inquit D. Thomas, est actus deuians ab ordine debiti finis contra regulam naturæ rationis, vel legis æternæ. Et alio loco; peccatum vocat omne quod est contra naturalem inclinationem, quia aduersatur legi naturæ. secutus nimirum Aur. Aug. qui libro de libero arbitrio: peccatum dicit auersionem ab incommutabili bono, & conuersionem indebitam ad commutabile bonum. Ex quo efficitur quod in diuinis oraculis, vt euitetur peccatum, assidue Charitatis ordo legitur commendatus. Et in persona animæ amore incensæ, & diligentis ex Charitate, dicitur in Canticis: Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinauit in me Charitatem. Cui ordini congratulatur Vas electionis dicens Collos. Nam & si corpore absens sum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens & videns ordinem vestrum. Beatus etiam Prosper lib. de vita contemplatiua de hoc ordine hæc verba facit: Si Charitatem Deo exhibeamus ex toto corde, peccato vtique resistimus. ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum. Quoniam si ex. toto corde diligamus, nihil erit in nobis vnde peccati desideriis seruiamus. Et quid est Deum diligere, nisi illi copulari? animo concipere fruendæ uisionis eius affectum, peccati odium, mundi fastidium, diligere etiam proximum, quem

D.Hie. ad Ctesiphō.

Li. 1. c. 12.

Gal. 5.

2. 2. q. 162 art. 1.

2. 2. q. 133 art. 1.

Cap. 2.

Cap. 2.

in

in se censuit diligendum, in ipso amore seruare legitimum modum, nec peruertere dilectionis ordinẽ constitutum. hæc ille. Hunc sane ordinem seruari videmus, vbi Homo præ omnibus diligit Deum Creatorem suum, deinde seipsum, quo ad interiorem hominem, seu bonum animæ; postremo bonum proximi sui. Hoc natura, hoc dictitat ratio. Quæ namque in creaturis Vnitas consideratur, ea triplici dispertita ratione deprehenditur. Est enim primum ea in rebus Vnitas, qua Vnumquodq. sibi est Vnũ, sibique constat, atque cohæret. Est ea secundo per quam altera alteri creatura vnitur, & per quam omnes mundi partes Vnus sunt mundus. Tertia atque omnium prima est qua totum vniuersum cum suo Opifice, quasi exercitus cum suo duce est Vnum. Adest hæc trifaria Vnio cuique rei, per suam Vnam simplicem Vnitatem, deriuatam ab illo Vno, quod, & primum Vnum, & trinum simul est, a Patre inquam Filio, & Spiritu Sancto. Nam & Patris potestas omnia producens, suam cunctis elargitur Vnitatem. Et sapientia Filii rite cuncta disponens, omnia inuicem vnit, et coqulat. Et Spiritus amor ad Deum omnia conuertens, totum opus nexu Charitatis adiungit. Vt vero magis intimus, ita magis Vnus est nobis Deus, quam ipsi nobis. Et Vnaqueq. res arctius sibi quam alijs mundi partibus iungitur. Ita vniuersæ Charitatis ordinem edocti, si legem diuinam naturæ tabulis inscriptam sequi voluerimus, primo Deum ipsum supra nos, ac supra omnia, secundo loco nos ipsos, tertio proximum diligemus. Hunc ordinem docet et Raimunduns Lullus, cum ait: Charitas te ligat ad amandum Deum, te ipsum, et proximum tuum. Sed quoniã Lectori erga Scripturas diuinas amor et studium subiacet, hunc ordinem magis euidentibus Scripturæ sacræ testimonijs approbabo. Primo igitur dilectioni Dei, et Christi nihil esse præferendum ipso docente et monente addiscimus. Qui diligit, inquit, patrem aut matrem super me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus, & qui accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. Post amorem Dei sequitur amor sui, vnde scriptum est quod volenti ordinate dare eleemosinam, a se ipso debet incipere, de pœnit. dist. 3. qui vult. Quia prima charitas incipit a se ipso 25. q. 5. si non licet. Et qui in se ipsum ausus est, sæuire præsumitur quod in alios omnem tyrannidem exercere non dubitet. Martianus Digestis de bonis eorum qui sibi manum conscierunt. Qui sibi manum, inquit, inferre voluit, nec perfecit, puniendus est; nisi tædio vitæ, vel doloris impatientia id agere est coactus. Qui sibi non

Lib. Prou. & de philosophia amoris rub. 5.

peper

Matth. 3. pepercit, multo minus alijs parceret. De amore proximi in Euangelio loquitur Dominus: Diligite inimicos vestros, et orate pro his qui vos perMath. 22. secuntur, vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est: Item; Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his mandatis vniuersa lex pendet et Prophetæ. Vere hoc mandatum legem complectitur et Prophetas: Et in hoc verbo omnium scripturarum volumina continentur. Hoc verbi clamat auctoritas; primum est hoc mandatum et vltimum; hoc in libro vitæ conscriptum indeficientem hominibus exhibet lectionem. Legat hic Vnum verbum, et in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci, & huc referri quidquid ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse et inane quidquid non confirmat ordinata dilectio. Mystice vero proximi nobis est mandata dilectio, scilicet, vt agnoscamus illam nos debere diligere creaturam, vbi charitatem ipsam possumus inuenire. omne nãq. animal irrationale sicut non habet rationem, sic non habet charitatem, cum nihil aliud sit ratio quam competens atque ordinata dilectio. Vnde
Cap. 13. Paulus ad Romanos scribens, constanter asseuerat quod proximum diligens legem implet. et Dominus apud Iohannem solam de proximi dilectione mentionem fecisse legitur. Nam et qui diligit Deum, non potest eum contemnere præcipientem vt diligat proximum. Et qui sancte &
Nic. Cusa excit. li. 3. spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Qui proximum diligit, ideo diligit, quia habet Deum. Qui proximum non propter Deum, sed seipsum diligit, in charitate non est. Cum enim amor accedere faciat ad amatum, odium auertere, ita natura comparatum est, vt ad quẽ se homo conuertit, illũ præferat, & pro Domino habeat. Nõ potest
Idem li. 8. aũt quis duos æque sibi præferre. Cũ. n. duo amores æquales esse nequeant, alter nõ est verus amor: nam Vnus non cõpatitur alium. Qui igitur alium amorem nititur assimilare primo, ille odit primum cui detrahit, & quem abiicit, vnde quando studet seruire alteri cessat a seruitio primi. Quod in
Carol. Bouil. de sensu cap. 2. sensibilibus ostendit oculus: nã non potest oculus simul, et æque attente duos intueri: & vbi amor ibi attentio visus. Qui igitur seruit Deo, & alteri quod non est Deus, non vtique Deo solum seruit: sed ei quod non est Deus Quod in Euangelio testatus est Dominus noster dicens.

Matth. 6. Luc. 16. Nemo potest Dominis æque seruire duobus.
Vnius aut odijs cedet, vel cedet amori.

Dicit autem notanter Duobus: nam potest homo alteri seruire, sed propter

pter Deum. Tunc enim quia Deus finis est, non seruit duobus, sed vni. Idem enim est actus, quo amo id quod ad finem, & finem ipsum: sed si alterum est extra ordinem finis, tunc delinquitur. Quare in Epistola maiori dicit Apostolus quod perfecta Charitas foras mittit timorem. nam qui timet non perfecte diligit, cum timor dicat timentem nolle aliquid perdere propter amatum, nolle perdere dicit adhæsionem ad id quod nollet perdere. Sed perfecta Charitas refertur ad verum amatum. minus enim ille amat, quam amare potest, qui diuidit amorem, et diuersa diligit. Charitas igitur foras mittit omnem timorem: solum timẽs amatum offendere, et ob id nil timet perdere, perfecte Deum amans, quia nil amat, nisi ipsum, et proximum propter ipsum. Hæc cum ita sint, vt vno quidquid honesti in vita est, contineatur: nemini dubium videri debet quin vnaquoque sit methodus ac via, quæ nos ad virtutem ducat. vna enim perfectæ res, cuiusmodi virtus dicitur, Vnum ad se ingressum habere debet. 1.Io.4.

----- semita certe Iuuenal.

Tranquillę per Virtutem patet vnica vitæ.

Est autem ratio, quæ sensus regat ac moderetur, corpus vero etiam impedit hanc, tantum abest vt adiuuet. Hæc enim fere summa est sapientiæ, alienare se a corpore atque eius concupiscentijs. vt autem quis fruatur vitio, non solum mente sed & sensu, et ratione, & corpore opus est. Hæc enim vniuersa mala ad explendam suam malitiam sunt necessaria, alioquin quonam modo proditurus est arcana, si careat instrumento loquendi? Quomodo autem voluptatibus fruetur absque uentre, ceterisq. sensibus? Insinuat hoc liber Geneseos cap. 2. vbi dum hortatur Dominus vt ex omni arbore Paradisi comedat, secundũ septuaginta Interpretes Vnicum hortatur, intellectum dico: dum vero interdicit vsum arboris eius, quæ boni, maliq. caussa dicitur, vt plures alloquitur, intellectum videlicet & sensum. Illic enim dicit: Ex omni comedes. hic: Ne comedatis. & Quocumq; die comederitis, non: Comederis. &: Moriemini, non: Morieris. Recte, inquit, Philo, Vnam solam rationem alloquitur de quærenda virtute. Sola enim hac ad eius acquisitionem opus est; contra de vitio ad plures verba facit, animam, rationem, sensus corporis, nam hoc appareret in his omnibus. Inde & Serpens ait ad Mulierem: Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? Peccantes, ait Origenes, vix fere accidit, vt sine adiutore peccemus, sed aut ministros peccati, aut adiutores semper requirimus, verbi caussa, si adulterium quis Phi. Alex. alleg. li. 1. Gen. 3. Orig. in Exho. li. 8.

moli-

molitur; non potest hoc solus admittere, sed necesse est etiam adulteram consortē fieri, sociamq. peccati. Tunc praterea et si non plures, esse tamen necesse est aliquem, vel aliquam in ministerijs ad societatem peccati. Et vt ad ea, quæ scripta sunt veniamus, IESV Christus Saluator noster crucifixus est, huius piaculi auctor et pater sceleris, sine dubio Diabolus est. Sic enim scriptum legitur: Cum Diabolus iam misisset in cor Iudæ Simonis Iscariotis vt traderet Christum. Sed solus hoc Iudas implere non potuit. Quid ergo scriptum est? Abijt Iudas ad Scribas, & Pharisæos, et ad Pontifices, dicens eis: Quid mihi datis, et ego eum vobis tradam? Habes hic Diabolum, Iudam, Scribas, Pontifices, et Pharisæos. Atque hoc in ceteris cernere vel facile poteris. Vbi igitur peccata sunt, ibi est multitudo; vbi autem Virtus, ibi singularitas, ibi Vnitas. Ac vt manifestius dicam, principium malorum omnium est multitudo, principium bonorum, coangustatio, et a turbis in singularitatem redactio. Et puta nos omnes, si veram felicitatem, ad quam cum Angelis factus est Homo, consequi volumus, ad Vnitatem peruenire oportet, vt perfecti efficiamur in eodem sensu, & in eadem sententia, & simus Vnum corpus, & Vnus cum Deo spiritus; vt apud Deum, non apud nos, Deum possideamus, cognoscentes sicut & cogniti sumus. Ille enim nos, non per nos, sed per se ipsum cognouit. Ita et nos cognoscemus illum per ipsum, et non per nos. Hæc est tota merces; hæc est vita æterna, hæc est sapientia quam Sapientes seculi non cognouerunt, vt ab omni multitudinis imperfectione redigamur in Vnitatem per copulam indissolubilem cum eo, qui est ipsum Vnum. Si vero tales sumus, vt nos non circumscribat diuina Vnitas, sed et de nobis dici possit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, et adhuc a malitia scindimur atque diuidimur, non sumus futuri vbi sunt illi, qui rediguntur in Vnionem. Nam vti de Patre, Filio, & Spiritu Sancto scriptum est: Et tres Vnum sunt, sic qui Vnum spiritum habet, in Vnionem coarctatur. Ait quippe Saluator: Ego, & Pater Vnum sumus. Et pro Apostolis orans ad Patrem, dicebat: Pater sac quemadmodum ego es tu Vnum sumus, ita et isti nobiscum Vnum sint. Hanc Vnitatem sperabat Paulus, dicens: Cognoscam non ex parte, sed sicuti est. Et si sperabat, nonne iure dicebat: Quis me separabit a Charitate Christi? et cupiebat dissolui, vt cum Christo fieret Vnum. Vnde et alibi dicebat: Donec occurramus omnes in virum perfectum, et in mensuram ætatis plenitudinis, & Vnitatem Christi. Et rursum: Donec per-

Iohan. 13
Matth. 26
1. Cor. 1.
1. Iohã. 1.
Iohan. 10
17
1. Cor. 13
Rom. 8.
Philip. 1.
Epheſ. 4.

uenia-

ueniamus omnes in Vnitatem corporis et spiritus Christi. Amplius etiam ipse Christus ostensurus necesse nobis esse, si salutem adipisci percupimus, fieri Vnum, & multitudinem Virtuti aduersantem deuitare; ad Vnitatem redegit Ecclesiam suam, dicens: Et erit Vnus grex, & Vnus pastor. Io.10.
Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat Io.20.
potestatem, et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt Vnitatem manifestaret, Vnitatis eiusdem originem ab Vno incipientem sua auctoritate disposuit, dicens Petro. Ego tibi dico quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Matt.16
& tibi dabo claues regni Cælorum, et quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in Cælo. Hoc vtique erant ceteri Apostoli vt fuit Petrus, pari honore & potestate præditi: sed exordium ab Vnitate proficitur, vt Ecclesia Vna monstretur. Sicut Vna Arca Nohe, extra quam quisquis per- Gen. 6.7.
fidus euagatur, fluctibus obruitur. Quod & circa Raab expressum, vi- Ios.2.
demus, cui mandatur & dicitur: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipsam in domum tuam; & omnis qui exierrit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur in Vna domo sola, id est, in Ecclesia victuros oportere qui volunt salui esse. Hæc est illa domus in qua nonnisi concordes atque vnanimes habitant, loquente in psalmis Spiritu Sancto & dicente:
Deus qui inhabitare facit Vnanimes in domo. Hoc Vnitatis sacramen- Psal.67.
tum, hoc vinculũ concordiæ et inseparabiliter cohærentis ostenditur quando in Euangelio tunica Christi non scinditur: sed sortientibus de Veste, quis Io.19.
Christum potius indueret, integra vestis accipitur, ac indiuisa tunica possidetur. Vnitatem ille portabat de superiori parte, id est, de cælo, & a Patre venientem, quæ ab accipiente, & possidente scindi non poterat. Vnde Apostolus Paulus hanc nobis insinuans diuinam Vnitatem obsecrat, et
hortatur, dicens: Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri IESV 1. Cor.1
Christi, vt idipsam dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem compositi in eodem sensu, & in eadẽ sententia. Ipse denique Vnitatis magister Christus Dominus hanc vnitatem commendauit, quando nos edocens orare, singillatim noluit nec priuatim fieri preces Neque enim
dicimus: Pater meus qui es in cælis; nec: Panem meum da mihi hodie; Matt.6.
Nec dimitti sibi tantum vnusquisque delicta postulat; aut ne in tentationem inducatur, atque ut liberetur a malo: sed nobis est publica et commu-

nis

nis oratio. et quando oramus, pro populo toto oramus, quia totus populus Vnum sumus. Deus pacis, qui docuit Vnitatem, sic nos orare Vnum pro omnibus voluit, quomodo in Vnum omnes ipse portauit. Quod etiam apertius insinuasse videtur, quando Vnanimitatem suadens: Dico, inquit, vobis, quoniam si duobus ex vobis conuenerit in terra, de omni re quamcumque petieritis, continget vobis a Patre meo, qui est in cælis: & vbicumque fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. ostendens non multitudini, sed vnanimitati deprecantium plurimum tribui. Diuina Monade Pythagoras quoque illustratus cum omnia redegisset in numeros, & astrorum scilicet circuitus, & animalium generationes, binas faciens rerum series, seu familias, quas rerum principia vocabat, bonorum vnam, malorum alteram, ipsam finitam Vnitatem in bonorum serie collocauit, eam dicens dare cælo temperiem, animabus virtutem, corporibus sanitatem, vrbibus & domibus pacem atque concordiam; omnemq. virtutem, et fortitudinem plebis esse ex Vnanimitate; quando scilicet est anima Vna in multis siue cor Vnum, ibi pacem & firmitatẽ esse, uti inter membra Vnius hominis, quæ non habent nisi unicam aĩam At Dualitatẽ dicebat præbere contraria, aeri tempestatem, animis vitia, corporib. morbos, domib. et ciuitatib. discordias et inimicitias. Nullũ, inquit Plato, perniciosius ciuitati malum, quam quod eã diuidit, et ex vna plures facit, vel melius quidquam eo quod ipsam vincit simul et Vnã efficit. Hæc comprobat et Speusippus, rem proprie dici bonam atque perfectam dicens quando sit Vna; cum res qualibet in se habeat bonitatem suam per Vnitatem, qua suum suscipit esse. Tamdiu enim est quidquid est, quamdiu Vnum est, cum autem desinit esse Vnum, desinit esse id quod est, vnde est hoc. Materia quippe non habet esse, nisi per Vnionem sui cum forma. Omne enim esse ex forma est in rebus creatis, sed nullum esse ex forma est, nisi cum forma est Vnita materiæ. Esse enim non est, nisi ex coniunctione formæ cum materia. vnde Philosophi dicunt quod esse sit exsistentia formæ in materia. cũ autem forma vnitur materiæ, ex utriusq; coniunctione necessario aliquid Vnum constituitur, in qua constitutione illud Vnum non permanet, nisi quamdiu forma manet in materia. Quia enim Creator Vnus est, rebus, quas condidit, hoc dono dedit, ut unaquæq. res esset etiam Vna. Forma, quippe haud tenet Vnitatem cum materia, nisi Vnitas adsit. Ideo materia quæ de natura sua habet multiplicari, diuidi, & spargi; ne diuidatur et spargatur, necesse est ut ab

Matt. 18.

Plutarch° in Hom.

7.q.1. Ina pib.

De pœni. dist. 1.

Pla. d' rep. lib. 5.

Arist. Eth. lib. 1. c. 6.

vni-

Vnitate retineatur. Quo fit vt destructio rei, non aliud sit quam separatio formæ a materia, sed separatio siue diuisio & Vnitas Contraria sunt, ergo per Vnitatem res ad esse deducitur, & per Vnitatem in suo esse conseruatur, & tamdiu est quidquid est, quamdiu Vnum est. Quando enim vniuntur elementa, tunc fit compositum, & est Vnum, vt lapis, lignum, aurum & similia. Sic quæ multa sunt partibus, constat Vnum esse toto; Quæ multa accidentibus, Vnum esse subiecto: Quæ multa numero sunt, vel esse possunt, esse Vnum specie: Et quæ multa formis, Vnum genere. Quæ denique multa sunt eruptionibus, Vnum esse principio. Adeo nihil est quod non aliqua ex parte Vnius sit particeps, quippe quod hoc ipso quod est omni ex parte singulare, omnia & quæ tota sunt, & contraria singulari etiam modo ante in se comprehenderit. Ac sine Vno quidem multitudo non erit; Vnum autem erit absque multitudine; vt etiam Vnitas ipsa omnem numerum multiplicatum & auctum antecedit. Quod si quis cum omnibus omnia coniuncta esse ponat, toto Vnum erunt omnia. Omnis subsistentia inquit Nicol. Cusa. est Vnio, & ob hoc regnum æternum est pax, quies, & Vnio infinita. Regnum vitæ est in Charitate, quæ est Vnio; regnum mortis in odio, quæ est diuisio, dicente Iohanne: Qui non diligit, manet in morte, de consec. distinct. 4. quomodo. Vita præsens est Vnio, mors diuisio. vt enim scriptum reliquit Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia: Mors est in nobis non essentiæ interitus, vt quibusdam visum est, sed coniunctarum partium separatio, ad id quod nobis obscurum est atque inuisibile ducens, animam quidem quasi priuationecorporis euanidam, disparentemque effectam, corpus autem vt humo abditum. Idem testatur & Diuinus Plato in fine Gorgiæ cum ait: Mors est, vt mihi videtur, nihil aliud, quam rerum Duarum animæ, scilicet, et corporis a se inuicem dissolutio. Quando vnitur anima corpori, tunc fit Vnum, quod est homo. Quoniam igitur in Vnione posita est salus, contra in sectione, distinctione, & diuisione pernicies. ideo quo ad eius possunt efficere Vniuersa omnia siue naturalia, siue quæ arte constant, coniungunt sese ac coadunant, atque in Vnione ad sui tutelam persistunt. Lapis vt esset lapis, omnes eius partes, omniq. natura in Vnum solidata est. Quid arbor? arbor quidem non esset, si vna non esset. Quid membra cuiuslibet

animantis, ac viscera, & quidquid est eorum, e quibus constat? Certe si Vnitatis patiantur diuortium, non erit animal. Voluptas ipsa non ob aliud delectat vehementius, nisi quod amantia sese corpora in Vnum coguntur. Amor Vnum vult fieri cum eo quod amat, & si ei contingat, Vnum cum eo fit. Amici quidem quid aliud, quam Vnum esse conantur? & quanto magis Vnum, tanto magis amici fiunt. Populus Vna ciuitas est, cui est periculosa dissensio. quid est autem dissentire, nisi non Vnum sentire? Ex multis militibus fit Vnus exercitus. Itemque multitudo eo minus vincitur, quo magis in Vnum coit. Vnde ipsa coitio in Vnum, cuneus nominatus est, quasi couneus. Videmus enim ab Vnione generari virtutem, quia quanto Vnio strictior est, tanto fortior est virtus. Et quanto essentia est magis vnita, tanto maioris censetur esse virtutis. Nam & infinita, & simpliciter maxima Vnio, quæ est Vnitas benedicta, & Vnus absolute nominatur, infiniti vigoris est, quare etiam maxime necessarium. Hinc Christum arbitror in Euangelio secundum Lucam Vnum dixisse necessarium. Accidit ad hæc quod singula suo principio, quod Vnum est, desiderant assimilari, quod assimilatio sit caussa dilectionis, quo fit vt cuncta videamus ad Vnitatem dirigere suum finem, & cogi, seu vniri, seu constringi Vno, vt sint, & dum sunt, ne defluant in nihil. Quædam autem vt sint, vniri. Quædam vero magis vniri vt sint & viuant. Adhuc etiam strictius vniri quædam vt sint, viuant, & intelligant. Animam quippe experimur magis vnitam quam corpus, nam ipsa in vitam venit in corpus, illudq. tenet ne diffluat. Vnde & ter magnus Hermes nostra corpora ex quattuor elementis dixit esse constructa; habere siquidem in se aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terræ; & neque ignem esse, neque aerem, neque aquam, neque terram. Quæ vtique quam sint veritati consona nemo est qui non videat, cum in carne, sit terræ ratio: nec sanguis a corpore secerni potest; sicuti neque a terra, humor; nec vitalis calor, a spiritu; nec ignis, ab aere: adeo quattuor elementorum est in anima virtus vnita. Quam fortasse licet inspicere in figura intersectionis litteræ X. quam Platonici, præcipue Proculus Vnum esse, et multa significarunt; Vnum quidem, quia a puncto intersectionis medio exeuntes quattuor lineæ, ceu quattuor elementa, & primæ quattuor

Cap. 20. Nic. Cusa. excit. lib. 5 hic est verus Proph.

Ioan. Dee lib. cui titul. ē monas hieroglyphica.

qua-

qualitates, perpetuam rerum ostendunt generationem ; Vnum praterea colligendo rerum rationes per Vnitatem intellectus: multa uero, diuidendo rerum species et differentias. Pythagoras igitur Vnitatem apposite profitebatur esse Deum, & bonum intellectum ; Dualitatem vero, dæmonem, ac malum, in qua materialis est multitudo. Atque huius sententiam secutus Homerus, Vnius naturam in sorte boni, & dualitatis in sorte mali posuit, Vnitatem sæpius dicens bonum, & concordiam talem affectum; dualitatem vero vitiositatem. Quare Vlixem sic concionantem facit: O Achiui, non est bonus plurium principatus, Vnus Rex, Vnus Dominus. nam neque in bello dupliciter ire iussit, neque in consilio, sed Vnam habentes mentem ac prudens consilium. Ili.c.112.

Non in consilio, non nos dissensio, in ipsa
Turbauit pugna, semper fuit Vna voluntas. Od.γ.126

Hinc a diuino, ad humanum principatum descendendo, per analogiam quandam, necessaria concluditur Vnitas terreni principis, sicut, et diuini, cuius gerit simulacrum; quo quidem modo procedit auctor quidam, dicēs: Non possunt esse rectores multi in hoc mundo; nec in Vna naui gubernatores multi ; nec in vno regimine multi reges : sed Vnus rector in mundana fabrica, moderator Vnus, imperator Vnus ; in quamuis grandi exercitu Vnius signum expectatur : Grex Vnus est apibus, & Dux Vnus in gregibus; et in armentis Ductor Vnus. Grues Vnam sequūtur ordine literato. Quare βασύλειαν .i. Basylian, seu Vnius principatū cunctis Politijs anteponunt insignes Philosophi. Cum.n. ciuilis rationis tres omnino sint formæ, Monarchia, uidelicet, quæ Vnius est principatus, vt regnum Neapolitanum, ceterorumque principatus; Aristocratia, quæ paucorum, vt Venetorum, vbi optimates cum Principe regunt ; Democratia, quæ penes populum gubernationis sumamm ponit, quam vocant popularem, vt Lucensium, vbi ad magistatus, & consilium populus sine discrimine admittitur : illa tamen Reipublicæ forma censetur optima, quæ Vnius est dominatio, quam possit, neque vis, neque gratia a recto inflectere, & quæ possit virtutis sustinere contentionem. Ceteræ quidem id habent quod fere is, qui imperat, est ipse quoque sub imperio & potestate, nec habet solidam & stabilem vim, qualis est in Monarchia, sed sæpe cogitur, licet inuitus, illud Aeschyleum promere,

D. Hier. Epist. ad Rusticum. Lact. Fir. de vera relig. c. 3. D. Ambr. Hexame. lib. 5. c. 15 21.

Plato in ciuili.

quo vsus est Demetrius Poliorcetes amisso imperio:

Tu me creasti, tu fers exitium mihi.

Nic. Cus. lib. 3. de cō cor. cath. Oportet, inquit Nicolaus Cus. Vnum esse principē multis ex caussis, et si principatus ipse ex pluribus heroicis Viris vnitus & compactus foret; alioqui confusio exoriretur, quando in imperando plures concurrerent; et confunderetur ordo, quando subiecti cui obedire potissimum deberent, nescirent. Quid, ait Lact. ille Firmianus, faciet seruus, si multi domini diuersa imperauerint? Rursus si tres mundi partes Asiam, Africam, & Europam Regibus distributas tribus subegeris, facile admodum continget, vt vel Vnus duobus vel duo vni quandoque bellum inferant, aut saltem de finibus, aut alia quapiam de re disceptare cogantur. Quare vel inter eos ad Vnum ex tribus, litis erit deferendum iudicium, vel ad quartum quendam, præter tres prædictos, iudicem constitutum. Quacumq; tamen id fiat ratione, iudicem necesse erit, si modo sit acquiescendum sententiæ illius, imperium in eos, inter quos iudicatur, habere: alioquin nullius prorsus momenti erit iudicium, frustraque iudicabitur, quod videri possit regibus, vel magis, vel saltem æque potentibus dissoluendum.

Lact. de vera sap. c. 3

Herodiā. hist. de Imperio lib. 1. Quod si ad exempla deuenire licet. Commodus Imperator insidias pertimescens, non Vnum sed duos constituit Præfectos; tutius fore ratus tantam illam potestatem non vni dumtaxat credere, sed dissectam in partes, imbecilliorem eo pacto contra Principem reddere. Quando enim vnquā regni societas, aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? sic Thebanorū germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia. Et Romanos geminos Vnum non capit regnum, quos Vnum vteri cœpit hospicium. Nam ipse quidem Vrbis conditor Romulus germanū Remum interfecit suis tantum operibus illudentem. Antonius Getā morti dradidit. taceo Germanicum Neronis, ac Titū Domitiani fratres. Pompeiꝰ ac Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in amula potestate tenuerunt. In Rebecca vtero Esau, & Iahacob bella gesserūt.

D. Cypri. lib. q̄ ido lā nō sunt dij.

Gen. 25. Neq; hic tu de homine mireris, cum in hoc natura consentiat. Nam Solem duplicem, quo pacto terra patiatur, qua multis partibus ne Vnum quidem ferre valet? præsto sunt clarissima naturæ indicia. Cur enim partitis vicibus anni brumalis abscedit? nempe vt noctium opacitate terras reficiat, exusturus haud dubie, & sic quoq; exurens quadā in parte. tā excellens est illius magnitudo, tamq; incomparabilis vis. Quod admiratꝰ et Alexāder Rex magnus dixisse fertur: Neq; mundū Soles duos, neq; duo

sum-

summa regna, saluo terrarum statu posse concoquere. Quod prouerbij faciem habet, ac veteri confirmatur apophthegmate, quod passim iactatur, NVLLA *sancta reperitur regni societas. Et Regnum non patitur duos. vnde illud poeticum:*

Pius pp.ij in hist. de bello Cyprio. Luc. li. 1. Phars.

Nulla fides regni socijs: omnisq. potestas
Impatiens consortis erit.

In Vnum igitur conferendum est imperium, quo humana gubernatio diuinæ sit quam simillima. Quod Vna sit & Diuina Essentia fons omnis virtutis & potestatis, cuius etiam nomen vnica simplicissima expressum est litera י Iod. sic Vna est suprema intelligentia, prima creatura, fons vitarum, in mundo intellectuali. In supercælesti, Seraphim præest. Vnus in mundo cælesti Rex stellarum fons lucis Sol, quem Astrologi per excellentiam circulo, notant integro, centroq. visibili, ☉. Vnus quoque in mundo Phœnix; Vnum elementum vincens, & omnia penetrans, Ignis; Vna in elementali mundo res est a Deo creata, subiectum omnis mirabilitatis, quæ in terris & in cælis est. ipsa est actu animalis, vegetalis, & mineralis, vbique reperta, a pauciss imis cognita, a nullis suo proprio nomine expressa, sed innumeris figuris, et ænigmatibus velata, sine qua, neque Alchymia, neque naturalis Magia, suum completum possunt attingere finem. In multitudine membrorum corporis animati, Vnum est principium, quo reliqua viuunt, scilicet, Cor. quod est primum viuens & vltimum moriens. Vnus in mixtis Homo, in quo postremo, tota cæterorum perfectio continetur. Esse quippe habet vt inanima; viuere, vt plantæ; sentire, vt brutæ; et præter hæc, intelligere, per quod supercælestibus iungitur. In partibus deniq; potentialibus animæ est Vna potentia, quæ alijs præest, scilicet, Ratio, pro vt comprehendit intellectum, & voluntatem facit. Habet etiam hæc ipsa Vnitas admirandum suæ nobilitatis aliud indicium. Quemadmodum enim Dualitas mortalem corporum coniunctionem designat: ita Vnitas quæ in se ducta nihil generat, ut alij numeri angelicis spiritibus nos efficit virginitate persimiles, his verbis attestante Theologo: Eximia res est virginitas et cælibatus, atque in Angelorum natura q. singularis ordine censeri, vereor enim dicere Christi, qui cum propter nos procreatos esset procreandus, ex virgine procreatur, virginitatem lege præscribens, vt hinc abducentem ac mundum contrahentem, vel potius mundū ad mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum. Hæc multo præstantior est mortali corporum coniunctione & matrimonio, spirituales

Naturæ entia pscrutantur. Cic. 2. lib. dnat. Deorum. Sol ē q. astrorū obtīet prīcipatum. Lapis Philosophor.

Medici.

Greg. Nazianz. in laudē Basilij.

Nazia. ad virginem.

virtutes imitata angelicam vitæ rationem in terra consectatur. Apud nos nexus, & solutio, et corpora ex corporibus; apud superos autem quilibet Angelus solus est, nulli solutioni obnoxius, qui primi puræ Trinitatis radium ferunt, spiritus et ignis, ministri edictorum Dei. At materia venereum congressum inuenit, et perpetuo fluxu labens natura, cui Deus lata matrimonij lege modum finemq. præscripsit. Quare ad seruandam virginitatem Monachos hortatur dicens: Monachi monasticam vitam ducite. Nam si cum amasiis vitæ consuetudinem habeatis, non iam momonachi estis, societas enim a monachismo abhorret. Angelicæ gloriæ imago est Vnitas, quod si amasijs oblectamini, mortalis utique dualitatis amici estis. Marem & fœminam spes melior separauit: at natura occultum morbum intus habet: Matrimonium libidinis uenia est, uirginitas splendor. Matrimonium uirginitati radix est, sed interim tamen carnis atque æstus libidinosi seruitus est. Nam peccatum a primis parentibus per mandati diuini uiolationem admissum ueneream coniunctionem aduexit, atque ea rursus ad ipsorum posteros nonnihil sordis & inquinamenti secum traxit, dicente Psalmographo: In peccatis concepit me mater mea. Huc pertinent illa Damasceni dicentis quod abstinentia a nuptijs est Angelorum imitatio. Quod etiam allegorice insinuat Antæus ab Hercule suffocatus. Græcia enim quantum stupenda mendacio, tantum est admiranda commento. Porro Antæus in modum libidinis ponitur, ideo et de terra natus, quia sola libido de carne concipitur. Denique tacta terra, ualidior exsurgebat, quo magis enim carni libido consenserit, eo surgit iniquior; superatur autē ab Hercule, quasi a uirtute gloriæ, quia denegato sibi terræ tactu, moritur, altiusq. eleuatus materna non potuit mutuari suffragia, quo euidens fabulæ significatio demonstratur. Omnē.n. mentem dum uirtus in altum sustulerit, & carnalibus eam etiam aspectibus denegauerit, victrix ea statim exsurgit. Etenim si tota nostra cupitas ad Deum translata fuerit, a nobis utique spiritalis ac pestifer, & sinuosus ille draco uincetur & opprimetur, de quo Deus Iob alloquens, ait: Ecce fortitudo illius in lumbis, et potentia illius in umbilico uentris. Quibus verbis ostenditur Diabolum in his, quas diximus, hominum partibus, plurimum uirium habere, hoc est, in concupiscibili parte, quam grauiori tyrannide premit, vt pote plus opis ipsi ad hominem bello lacessendum afferentem ob voluptatis acrimoniam & vehementiam. Ideoque dicitur Hercules in eo certamine diu desudasse, quia laboriosa est pugna

Naz. iu sē ceptijs.

Psal. 50.

Cap. 38.

qua

quæ cum concupiscentia committitur. Hoc significat et Græcus Achilles, quem natum velut hominem perfectum mater in aquas stygias intingit, id est, obdurans contra omnes labores munit. Sed quia in carne præter carnem viuere, angelicum est, non humanum, talum haud tetigit aqua, quia venæ, quæ in talo sunt, ad renum, femorum, atque virilium rationem pertinent, & in eorum affectibus a Medicis secantur; illud aperte monstrantes, humanam virtutem, quamuis ad cuncta munitam, tamen libidinis ictibus subiacere patulam. Vnde et amore Polyxenæ periit, & pro libidine per talum occiditur. πολύξενη enim .i. Polyxene multorũ peregrina græce dicitur, quod amor peregrinari faciat mentes a recta ratione. Quod præuidens Apostolus: Volo, inquit, vos sine solicitudine esse, quia diminuta solicitudine seculi, in Dei rebus propensius vigilatur. Qui sine vxore est, cogitat quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. amputata enim solicitudine rei vxoriæ, quæ sola in mundo ceteris grauior est, ad Deum promerendum animus eruditur. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt huius mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est. Mulier quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro; innupta vero solicita est de his quæ Domini sunt, vt sit sancta et corpore et spiritu. Dum enim, spe cælestium, mariti & filiorum solicitudinem non suscipit, de Domino cogitat, quomodo propositum Deo deuotum custodiat, si tamen in corpore mundo animus, terrena abijciens, cælestibus studeat. Animus est qui aut sanctificat, aut polluit corpus. Quid enim prodest corpus habere mundum, et animam pollutam? cum merito animæ, aut honoretur corpus, aut damnetur? Sed quid dicemus, nunquid repudiandum est Matrimonium? cum dicat idem Apostolus: Honorabile connubium, et thorus immaculatus. et ipsemet Christus illud exornans, nuptijs in Chana contractis interfuerit, easque edito miraculo illustrarit? Ad hæc respondeo, laudandum esse Matrimonium, sed ante Matrimonium, laudandam virginitatem. Cum vigebat lex, et vmbræ, & temporarij cultus, tunc primas quoque ferebant nuptiæ, velut adhuc pueriles ac minus adultæ. At postquam se subduxit littera, spiritusq. illius locum subijt, Christusq. virgine, quo ad carnem progressus supplicio affectus est, tum vero fulsit cœlibatus mundum contrahens. Cum Deus dixit, non esse bonum hominem esse solum; terra erat replenda hominibus. Et ut perficeret Deus, quod coeperat condere, genus humanum, tum necdum consummatum, noluit hominem esse solum, hoc est, Vnius sexus: sed vt posset

D. Hier.

1. Cor. 7.

Hebr. 13. Iohan. 2.

Gen. 2.

pro-

propagare naturam, dedit Adæ adiutorium, natura quidem simile sibi; sexu vero, dissimile. Enimuero tum demum Vnumquodq. in suo genere perfectum dicitur, cum potest generare sibi simile. At vero cum prædicator Euangelij Paulus dixerit: Bonum esse mulierem non tangere, replendum restabat cælum animabus sanctis, tunc demum iam cæli patefacti, hominum genus multiplicatum, vt ruina Angelorum citius instauraretur, docuit continere a congressu carnis, quo hic inciperemus esse similes Angelis, quibus perpetuo posse sociari in cælis per IESV Christum iam donatum fuerat. Ne tamen putares, crimen esse nupsisse, scriptum est in Epistolis Apostoli: Bonum esse nubere, melius non nubere. Qui hoc enim illicitum credunt, ipsi præmium sui laboris imminuunt. Illicitis enim cauere, iugum necessitatis est; permissa vincere, munus arbitrij. Malis abstinere, disciplinæ merces est; bona supergredi, libertas meriti est; non finis imperij. Illud legis indultum est terminis; hoc gratiæ reseruatum est incrementis. Trina nempe sunt quæ de hominibus prædicantur, secundum naturam, præter naturã, & supra naturam. secundum naturam, est Matrimonium; præter naturam, scortum; supra naturam, Virginitas. Et secundum naturam sunt opes iuste acquisitæ; præter naturam, auaritia; supra naturam inopia. Item secundum naturam, est temperantia in cibo; præter naturam crapula; supra naturam, ieiunium. Similiter secundum naturam est pax; præter naturam tumultus; supra naturam, erga inimicos dilectio: & in ceteris similiter. Ceterum ne te lateat nomen, & locus quibus præ alijs gaudebunt Virgines in cælis, lege quam scribit Apoc. virgo Johannes cap. decimoquarto: Ecce, inquit, agnus stabat supra montem Syon, et cum eo centum quadraginta quattuor millia, habentes nomen eius, scilicet, agni, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Frons vtique sedes pudoris est, fronsq. palam ac primo obijcitur obtutibus aliorum ad notitiam, & eam ob causſam frontibus inscripta habent Virgines nomina Dei, & agni Christi, vt clare, vt palam, & quidem primo obtutu constet eas semper diuine pudibundas fuisse, vniq; Deo, ac Christo suæ integritatis pudicitiam perenni contemplatione dedicasse. Omnes quidem Sancti signum habebunt in frontibus suis; at solis Virginibus datum est, & Dei et Agni immaculati nomen circumferre in frontibus suis ad peculiarem tantæ virtutis prærogatiuam. Stant autem cum agno in monte Sion, in signum quod de ualle rerum mutabilium suauiumque secundum carnem, ad ascendentem sursum, & eleuatam

1. Cor. 7.

con-

contemplationem rerum cælestium animos suos abduxerunt. Illud deniq; ad laudis cumulũ magni momenti censetur Vnitatẽ semper laudabilẽ poni in diuinis litteris; Dualitatem vero vituperabilem, dicente Eccl. quod Vnus pugillus habet requiem, & duæ manus labore sunt plenæ. Et filius hominis in laudabilibus positus reperitur in singulari; secus in plurali. Quemadmodum & dies in singulari positus, venturum illum significat qui noctem non patietur, vt apud Euangelium Lucæ ait Christus: Venient dies quando desideretis videre Vnum diem filij hominis, et non videbitis. De quo etiam suspirans Psalmographus dicebat: Dies Vna melior est in atrijs Domini super millia. In illa enim beatitudinis gloria nulla est interruptio tenebrarum, proinde subdit: Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Adhuc & Psalmo vigesimo sexto: Vnam, inquit, petij a Domino. Genesi rursus cap. 3. singulari numero Deus vsum arboris interdicit; plurali autem numero pœnas transgressionem secuturas subiungit; quia quamdiu in bono sumus, Vnitatem nostram in eo qui vnus est, seruamus, nimirum Deo adiuncti; cum autem in malum prolapsi sumus, tum vero procul a Deo remouemur, ac pro Vno multi sumus. Sacra quidem scriptura singularem pro plurali numero quandoq. ponit; at non absolute, sed in laudabilibus fere semper id facere consueuit. Filius vnius anni legitur fuisse Saul cum regnare cœpisset, id est, simplex corde. Genesi cap. 2. Fons qui ascendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ. Expeditius & facilius intelligitur si Fons intelligatur pro quattuor fontibus irrigantibus uniuersam terram. Et in Apoc. vbi legitur quod exierunt septem angeli vestiti lapide mundo candido: Si numerum singularem, ait Beda, pro plurali positum intelligas, varia virtutum significat ornamenta. In eundem modum et Euangelium, & lex Domini immaculata conuertens animas, singulariter nobiscum vocat oraculum, quamuis plura sint Euangelia, mandataq. legis. Idiomaquoq; sacrorũ litterarum est, ut pro singulari pluralis apponatur, idque vt plurimum in re infausta. Iudic. 12. Sepultus est in Ciuitatibus Galaad, id est, in vna Ciuitatum. Et in Regum volumine Hieroboam ponens aureum vitulum in Bethel, idola feciisse narratur. sic in Exhodo de Iudæorum turba dicitur quod fecerunt sibi Deos aureos, vbi tamen paullo ante de vnico vitulo aureo facta est mentio. Quod fieri putatur, ne sacra detrahatur Vnitati. quare subdit Aaron: Isti sunt Dij tui qui eduxerunt te. Quin & in Psal. 11. scriptum est: quia diminutæ

Eccl. 4.

D. Hier. ī Ezec. c. 30

Psal. 4.

Cap. 16.

Psal. 83.

Psal. 83.

Psellus in oſone secũda Paschali Gregor. Naz.

Aug. d̄ gẽ. ad litterã li. 5. c. 20.

1. Reg. 13

Bed. d̄ creationẽ sex dierum.

Cap. 15.

Beda in Apoc.

Psal. 18.

D. Hier. ī Iou. lib. 2. & in Eccl. c. vltimo. Cassiod. Senen. in psal. 50. Cap. 32. Act. 7.

sunt

sunt veritates a filijs hominum, licet Vna sit veritas. Et in alio Psalmo
Psal.50. *cupiens Propheta liberari se de carnalibus delictis, ut iam desineret in ista*
Psalm.5.& 54. *fragilitate peccare, Dominum deprecatur his verbis: Libera me de sanguinibus, quod & si minus latine dictum sit, maluit tamen interpres pluralem numerum assumendo, contra latinam linguã peccare, quam a mysterio discedere. Nam si diceret a sanguine, Vnum forsitan peccatum ostendere videretur, sed plurali vsus numero multa peccata ex origine carnis peccati trahi, id est, ex carne per originale peccatum corrupta confitetur. sãguis enim pro corpore humano ponitur, quia inter ceteros humores eius*
Matth.16. *ipse prior videtur exsistere. Nam et in Euangelio dicitur Petro: Non*
1.Cor.15. *tibi reuelauit caro & sanguis. & Paulus testatur quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt, id est, peccata quæ de corruptione carnis, & sanguinis veniunt. Eiusdem doctrinæ censetur quod Psalmo 26. legitur scriptum: Ne tradideris me in animas persequentium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui. Nam secundum historiam de Saule potest intelligi, qui Dauidem acerrimo odio persequebatur. Eadem praterea ratione, cum Doegh Idumæus eum prodidisse legatur Sauli, plurali numero testes posuit. In Psalmo rursum 2. quod dictum est: Astiterunt reges terræ, et principes conuenerunt in Vnum contra Dominum, pro*
Cap.4. *singulari positus in Actis Apostolicis inuenitur. Nam Reges terræ propter Herodem, principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium eiusdem Psalmi adhibuerunt. Adhuc & de Herode vita functo*
Matth.2. *legitur dictum: Mortui sunt qui quærebant animam Pueri. Et Moysi*
Exho.4. *de Pharaone pronunciatum est: Quia mortui sunt qui quærebant animam tuam. Matthæus insuper de vnctione Dominica verba faciens refert quod videntes Discipuli indignati sunt: & Marcus quosdam scribit*
Cap.26. Cap.14. D.Hier.in Iouin. Cap.12. Orig.5 cat. cant.ho.2. *indigne ferentes, cum tamen iuxta Iohannis Euangelium super hoc, solus indignatus fuerit proditor Iudas. Maria, inquit Origenes, erat habens Alabastrum Vnguenti nardi pistici preciosi, & effudit super caput IESV: deinde super hoc indignantibus non omnibus Discipulis, sed Iuda solo dicente potuisse venundari trecentis denarijs. Quid de latrone illo,*
Matth.27. Mar.15. *qui ad sinistram Christi cruci affixus est? non ne scriptum legitur, quod Latrones, qui crucifixi sunt cum Christo, conuiciabantur ei? Quomodo*
Cap.23. *conuiciabantur, quãdo Vnus eorum conuiciatus est Lucæ testimonio, alter et obiurgauit eum, & in Deum credidit? Hoc profecto non aliter intelligendum quam pluralem infaustum in re infausta pro singulari positum.*

De

DE BINARIO.

DValitatem Phythagorici Ysidem, ac Dianam appellarunt, nam quemadmodum Diana sterilis est, vt Plato inquit in Theæteto, sic & prima Dualitas cum principium sit diuersitatis, inæqualitatis, dissimilitudinis, omni quoque caret efficiendi facultate, ex qua sua cuiq. fœcunditas inest. Est autem Dualitas primus par numerus. et par numerus dicitur quia partibilis et diuisibilis, immo quia partibus est diuisus. quare Dualitas est vnitatis destructio. nam diuisum est vnius negatio, quia rem diuidere idem est quod destruere, nec ita possumus rei cuipiam suam ac naturalem vnitatem adimere, vt nihilominus illius essentia in sua integritate remaneat. Neq; enim totum est sua partes, sed illud vnum quod exsistit ex partibus, vt docet Aristoteles libro 8. primæ Philosophiæ. Nam si in partes diuidas totum, partes quidem remanent, at totum quod diuiditur, non remanet, sed desinit esse actu, et potentia tantum est: sicut partes quæ prius in ipso toto erant potentia, tunc seiũctæ esse actu incipiunt, et propriam virtutem, quam prius in toto actu non habebant, tunc per sese subsistentes nanciscuntur. Iure igitur Dualitas, quia principium est diuisionis, cadit in ordine mali, sicut et sinistrum. priuatio in eandem seriem cadit, vt cum dicet iustus Iudex: Ite maledicti in ignem æternum, ad eos dicet qui in sinistris erunt, separando hœdos ab agnis. Hinc et Iudæi legem accipiunt a Deo digitis scriptam in Duabus tabulis lapideis, quo significatur vnitatẽ populi diuidi in Duas partes, partem quæ seruatur, et partem incredulam quæ perit, dicẽte Angelo ad Rebeccam: Duæ gentes in vtero tuo sunt, et Duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit, & maior seruiet minori. Ceterum cum in veteri testamento figuraliter scriptæ fiãt, quæ per nouum Testamentum re ipsa exsistunt; Rebecca figuram gerebat ecclesiæ & vir eius Isaac typum in se portabat Christi. cum ergo dicit: Duæ gentes in vtero tuo sunt; quia & de gentibus Duas partes futuras significabat, partem inquam idololatriæ deditam, & partem credulam viuentẽ per fidem, hanc vnam partem gentium designat in vtero Ecclesiæ permanere generationem in æternum in figura Rebeccæ, & partem populi infidelium Iudæorum a ventre tunc Rebeccæ diuidi et separari ab Ecclesiæ natiuitate. Hæc fuit præfiguratio per Angelum spiritualiter annuntiata. Cum vero Iudæorum status in deterius laberetur, & pontificatu amasse

Nico.Cus. lib.8.exci. quærite 1.

Matth.25.

Cypriã.de Syna&Syõ Exho. 34. Gen.25.

ad

ad exitium et vastitatem cuncta vocarentur, & ob mortem IESV innocentissimam gens illa bellorum cladibus esset affligenda, quo alio signo magis hoc indicandum fuerat, quam in Iudæorum pontificatu in Duas partes diuiso? et hoc est quod Christus patitur, non sub vno, sed sub Duobus Pontificibus Anna, videlicet, et Caipha, quo religionis eorũ scissumquoque monstraret errorem, quod Iudæis luctuosum ac triste futurum erat. quemadmodum præfiguratum fuit in immolatione Isaac. Nam sicut Abraham vnicum & dilectum filium Deo victimam obtulit; ita Deus vnicum filium suum pro nobis tradidit. Duo autem serui illi dimissi, et non perducti ad locum sacrificij, Iudæos declarabant, qui cum seruiliter viuerent, & carnaliter saperent, non intelligebant humanitatem Christi, non intelligebant passionem eius; ideo non peruenerunt ad locum sacrificij. Adhuc etiam in Heliseo propheta Christum præsignante, Dualis numerus maximam Iudæorum indicat stragem. paruuli enim illudentes salutãdo Helisæum, Iudæorum sustinuere personam, qui in Christũ crucifixum acri irrisione illudebant; irridentes autem pueri dicebant Heliseo ascendenti in Bethel: Ascende calue, ascende calue. quia in Caluariæ loco Christus assensurus erat ad crucem. Commotus Heliseus pueris maledixit, continuoque vrsi Duo exierunt de Sylua, & interfecerunt quadraginta duos pueros irrisores. Sic Iudæis propemodum contigit, in quos Vrsi Duo de Syluis gentium irruerunt Vespasianus & Titus Romanorum principes, qui post Duos & quadraginta annos ab ascensu Domini in cælum, captis Hierosolymis, tantam Iudæorum stragem fecere, vt deletum penitus sit eorum regnum. Notat itidem Dualis numerus obstinationem Iudæorum, qui Duas essentias & naturas in Verbi hypostasi non crediderunt fuisse coniunctas. Quod mysterium si cognouissent Iudæi, nunquam Filium Dei & Hominis IESV Christum morti tradidissent. Eorum insidias & consilium in Christi passione prospiciens Psalmographus, ita decantat, in secundo Psalmo: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Constiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum contra Dominum et Christum eius. Numeri calculo mysterium notans. quod idioma est Scripturæ Sanctæ. Est quidem apud Hebræos indiscretus Psalmorum numerus, & sine ordinis adnotatione descriptus, non enim illic primus aut secundus, aut quinquagesimus, aut centesimus. prænotatur, sed sine præscriptione aliqua ordinis in vnum permixtus est, Esdras enim, vt antiquæ ferunt traditiones, incompositos illos, et pro auctorum

D. Hier. in Ezec. c. 11. Io. 18. Luc. 3.

Gen. 22.

4. Reg. 2.

Hilarius 1 Psalmis.

ctorum et temporum diuersitate dispersos in volumen vnũ collegit & re-
tulit. At septuaginta seniores secundum Moysis traditionem ad custodiã
legis & doctrinam manentes in Synagoga, posteaquam illis a rege Ptolo-
mæo Lagi filio transferendæ ex hebræo in græcũ sermonem, totius legis cura
mandata est, spiritali cælestiq. scientia virtutes Psalmorũ intelligentes, in
numerum eos atq; ordinem redigerunt: singulis quibusq. numeris, pro effi
cientia sua et absolutione perfectis, perfectorũ et efficientium Psalmorũ
ordinẽ deputantes: Vnde primus Psal. titulo caret, quia capiti nostro Do-
mino Salnatori, de quo dicitur in Psa. 1. nihil debuit præponi, dum ipsum
rerũ oĩum constat esse principium. Quo fit vt secundus in ordine Psalmus,
sit primus in titulo, quando etiam inchoat ab increpatione Iudæorũ. Psal-
mus etiã 3. testante Reg. historia, actu posterior est quinquagesimo, quoniã
post culpas adulterij & homicidij Absalon filij eius persecutionẽ cõtigisse
dignoscitur; sed pro virtute sua cõpetenti numero probatur aptatus. tenere
.n. illũ locũ tertiũ oportuerat, qui & S. Trinitatis potentiam, et triduanæ
re surrectionis in se mysteria cõtinebat; nam per liberationem Dauid, quæ
commemoratur in 3. Psalmo, resurrectio Domini congrue significatur, ut
animi christianorũ tali exemplo roborati in aduersis casibus cõstanter eri-
gantur. Apologia rursus quinquagesimo loco deputatur, cũ tamen prio-
rum gestorum suorum historia subsequatur, ut de proditione Doegh Syri,
cuius est titulus in Psal. 51. & Zypheorũ, quæ comprehendi titulo videtur
Psal. 54. nam Doegh ante prodiderat, uel Zyphei, quã regnũ Dauid pro-
pheta susciperet. Quandoquidem regem Saul fugiẽs adhuc per deserta &
arida loca exul errabat, Bethsabea autẽ iam cũ regnaret, accepit. Nec my
sterij ratio est in abscondito. Nam cũ quinquagesimo, in quo est sabbathũ
sabbathorum, secundũ iubilei anni præformationẽ, peccatorũ sit constituta
remissio, quẽadmodum demonstraturi sumus vbi nos eo duxerit orationis
series, constanter hic Psalmus in quo est pœnitentia indicta, & peccatorũ
remissio postulatur, in ordine huius numeri collocationẽ obtinuit. Quinqua
gesimi siquidem numeri virtus & perfectio exigebat et Doegh Idumæi
impœnitens in Dauid odiũ anterius postponi, et posteriorem anteferri, ut
remissio peccatorũ collocaretur in numero 50. & pœna perfidiæ numerum
constitutæ remissionis excedens, careret uenia, cũ tẽpus et numerum pœni-
tentiæ perdidisset. Liquet ergo secundum gestorũ historiam non quadrare
Psalmorũ ordinẽ, quoniam non tam ordinem ordini, quam gestis cõueni-
re curarunt. Restat, inquit Cassiodorus, vt illud quod dictũ est definitione

Iustinus ī apologetico ad gentes.

Psal. 50.

Ambro. de apolo. Dauid c. 8.

Beda ī Ps.

Io. Picus ī apologia.

Cass. Senatorī ps. 26

maiorum credere debeamus, in numeris positis atque definitis virtutes omnium conuenire Psalmorum. Rationi quippe consentaneum, cali terræque Creatorem operationes, & dicta sua per diuersorum calculorum distribuisse sine ambiguitate virtutes, qui cuncta, sicut legitur, in pondere numero mensuraque perfecit. Neque enim quia guttæ pluuiarum, stellæ cæli, uel maris arena numerabilis non est nobis, apud illum quoque nullo est sub numero, nam etiam si nobis abdita et occulta, diuinæ sunt tamen notæ potentiæ. Sed redeamus ad institutam de Binario tractationem. Binarius quemadmodum primus ab vnitate recedit, pari ratione iniusti ab uno illo summo bono recedunt, quicquid autem a summo bono recedit, bonum esse nequaquam potest; ex quo efficitur vt Binario designentur qui relicta Dei Ecclesia priuatas elegerunt societates, de quibus Dominus indignatus dicit apud Oseam: Iuxta desiderium meum corripiam eos. Congregabuntur super eos populi, cum corripientur super Duas iniquitates. Item apud Hieremiam cap. 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontē aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Porro Duo vituli aurei quos condidit Hieroboam seducens populum ad adorandum eos, et scissa decem tribus a tribu Iuda & Beniamin et a templo Domini, quid aliud sunt, quam signum & initium omnis hæreticæ & schismaticæ prauitatis? Hæresis enim dicitur ab electione, quod scilicet sibi vnusquisque eligit quod sequatur, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet vnitatem. cui fortasse competit quod de Israele dicit Oseas propheta: Vitis frondosa Israel fructus adequatus est ei, secundum multitudem fructus sui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ suæ exuberauit simulachris, Diuisum est cor eorum. Hoc enim Binario apprime conuenit, quem discordiæ & confusionis numerum, & opinionem mutationi obnoxiam, motumq. numquam consistentem appellarunt Pythag. Neque Binario Hæretici Idololatræq. dumtaxat designantur, uerum etiam qui a charitate et unitate Ecclesiæ catholicæ recesserunt. Dominus.n. noster cum in Euangelio suo testaretur aduersarios esse suos qui secum non essent, et secum non colligentes gregem suum dissiparent, non aliquam designauit hæreticorum speciem, sed vniuersos prorsus qui secum nō essent, aduersarios suos ostendit, dicens: Qui non est mecum, aduersum me est, & qui non colligit mecum, spargit. Item Beatus Iohannes Apostolus nec ipse vllam hæresim aut schisma discreuit, aut aliquos sigillatim separatos

6. qu. 2. denique.

Cap. 10.

Isid. de sūmo bono lib. 1. c. 9.

3. Reg. 12.

Origī Gē. hom. 15.

Cap. 10.

Franc. Spinola lib. d nuerisquadratis.

Cyp. epist. ad Magnū q est sexta lib. 1.

Matth. 12.

Luc. 11.

posuit,

posuit; sed vniuersos, qui de Ecclesia exissent, quique contra Ecclesiam machinarentur, Antichristos appellauit, inquiens: Audistis quia Antichristus uenit, nunc autem Antichristi multi facti sunt. vnde cognoscimus quia nouissima hora est. ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum. His suum calculum adhibet Aur. Augusti. hunc in modum scribens: Si scissura, si discordia, si dissensio in nobis sit, non sumus digni benedictione Dei, nec Deum digne laudare possumus quandiu in hac malitia sumus. Quomodo .n. confidenter sermone paterno respondere ALLELVIA possumus, id est, benedic nos Deus simul in vnum, cum non veniamus in vnum? Non conuenit responsio ipsa Alleluia, Hæreticis, non schismaticis, non aduersarijs vnitatis Ecclesiæ, non sunt simul cum Ecclesia in vnum, qui nobiscum non colliguntur in vnum. Exponens etiam Ven. Beda illud Euangelicũ: Putatis quia ueni pacem mittere in terrã? non dico vobis, sed separationẽ. erunt .n. quinq; ex hoc in vna domo diuisi, tres in Duos, et Duo contra tres: Tres, inquit, contra Duo, et Duo contra tres diuidentur, quia boni malis et mali bonis sentiunt atq; agunt aduersa. Tria namq. ad eos, qui fidem Sanctæ Trinitatis seruant, pertinere nemo est qui dubitet. Duo quoq; illis congruere, qui ab fidei vnitate dissentiunt, multis scripturarum locis, & ibi maxime probatur, quod et immunda in arca animalia sub hoc numero retinentur. tantum Beda, secutus vt in cæteris antistitem Aug. qui tanti facit hunc locum, vt ex eo sumat argumentum diuinos libros haud esse simpliciter, nec secundum litteralem sensum duntaxat intelligendos, ad hunc modum scribens decimo quinto ciuitatis diuinæ: Quis nisi mente peruersus inaniter scriptos esse contendat sacros libros per annorum millia tanta religione custoditos, aut res solas gestas intuendas? vbi certe, vt alia omittam, si numerositas animalium cogebat arcæ tantam fieri magnitudinem, immunda Bina, et munda septena intromitti animalia quid cogebat, cum æquali possent numero utraque seruari? idem lib. contra Faustum: Ex animalibus in arcam ingredientibus septena sunt munda, & Bina immunda, non quia pauciores sunt mali quã boni, sed quoniam boni seruant vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Sanctum autem Spiritum diuina scriptura in septiformi operatione commendat. Vnde & ille numerus quinquaginta dierum ad aduentum S. Spiritus pertinens in septies septenis, qui fiunt 49. vno addito consummatur, propter quod dictum est: Studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Mali autem in Binario

1. Iohan. 2.

Aug. hom. de resurrectiõe fidelium.

Luc. 12.

Gen. 7.

Lib. 15. capit. 27.

Gen. 7.

Eph. 4.

numero ad schismata faciles & quodammodo diuisibiles ostenduntur, ad Binarium enim pertinet quicunque facit diuisionem in Ecclesia. D. Hier. in Agg. cap. 1. & epla 47. quæ est ad Pamachiũ contra Rufinum. Et in Iouinianum & habetur in canon. 32. q. 1. nupt Petrus Lõbar. lib. 2. dist. 14. D. Hiero. cõm. in Ezech. 11. Item Hier. tum alibi tũ in Aggeum prophetã hæc scribit de immundis animalibus & secunda die: Denique in Genesi cum in primo die dictum sit, & in tertio, & in quarto, & in quinto, et in sexto post consumationem operum singulorum: Et vidit Deus quia bonum est; in secundo, iuxta hebraicum, & Aquilam, et Symmachum, et Theodotionem non habetur. Neque enim poterat secundus dies qui numerum facit, qui ab vnione diuidit, quod bonus esset, diuina sententia comprobari. Vnde et in arca Noe quæcumque Bina & Bina introducuntur immunda sunt; Dominus autem scissionem in vnum coartans, fecit vtrumque vnum, et soluit mediũ parietem, inimicitias in sua carne condemnans. vnde & augustius quid loquitur atque sublimius: Ego & Pater vnum sumus. vt a Iudaica Dualitate in vnionem nos reuocet fidei christianæ. Binarius etiam quandoq. titubantẽ fidem significat. sic perturbatus Moyses ad aquas contradictionis murmure populi, & in fide hæsitans, quasi illud non potuisset Deus facere, ut aqua de petra proflueret, quod ante iã fecerat, Bis silicem virga percussisse legitur. quare offenso Domino Iordanem transire prohibetur. Huius est mysterij quod Mulieres, quæ venerant ad monumentũ ut vngerent corpus IESV, cum mente consternata, sublatũ non resurrexisse crederent quod quærentes non inuenerant, attestante Iohan. vident Duos viros arguentes earũ dubiam de resurrectione fidem: Quid, inquiũt, ò mulieres quæritis eũ, qui viuit, in sepulcris mortuorũ? Non est hic, surrexit; Recordamini qualiter locutus est. prædixerat. n. sic esse definitũ cõsilio Patris, vt ad salutem humani generis filius hominis, in crucem sublatus, occideretur, sed reuiuisceret terra die a morte. Tempus agnoscite. Sub vesperam parasceues depositus est de cruce, primus hic a morte supputatur dies, in sepulcro totum quieuit sabbathum, nũc tertij diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis toti mundo lætum voluit esse. Quibus verbis auditis, Mulieres regressæ a monumento, cuncta nũciasse referuntur undecim Discipulis & ceteris omnibus, qui oblitifere omnium quæ dixerat IESV, ac prorsus desperantes, non crediderunt, immo exploraturi an mulieres delirarent, Duo ex Discipulis Petrus & Iohannes ad monumentum cucurrere. Ex his rursum quibus per mulieres nunciatum fuerat de sepulcro uacuo, dicit Lucas quod Duo ex Discipulis, de resurrectione dubitantes, & quasi nihil sperantes, ibant ipsa die Nicopolim insignem

Iohan. 10.

Exho. 17. Num. 20.

Luc. 24.

Cap. 20.

Luc. 24.

Pale-

Palæstinæ ciuitatem ab Hierosolymis, vbi crucifixus fuerat Christus, stadijs sexaginta, conitnet autem stadium octauam partem milliaris italici, quo fit vt sit in spatio passuum septem millium quingentorum: quod siquidem spatium Discipulis apprime competit, qui de morte ac sepultura Saluatoris certi, dubij de resurrectione gradiebantur varios commiscentes sermones. nã resurrectio, quæ post septimam sabbathi facta est, octauo numero continetur, Discipuli ergo, qui de Domino loquentes incedebant, sextum cœpti itineris milliarium compleuerant, quia illum sine querela viuentem vsque ad mortem, quam sexta sabbathi subijt, peruenisse dolebant; complerant et septimum, quia hunc in sepulcro quieuisse non dubitabant; verum de octauo dimidium tantum peregerunt, quia gloriam celebratæ iam resurrectionis necdum perfecte credebant.

Emaus vide D. Hie. đ viris Ill. de Iulio Africano. Petrus Appianus cosmograp. lib. 1. Iulius Hypsus.

Eiusdem considerationis est quod dum circumfusa nube sublatus esset IESV, vt hominem quem dilexit, quem induit, quem protexit a morte, ad Patrem victor attolleret, postea venturus e cælo ad pœnam diaboli, et censuram generis humani, Duo Angeli adstitisse referuntur iuxta Discipulos, eorum ignorantiam increpantes, & de die illa tremendi iudicij verba facturi: Quid, inquiunt, statis viri Galilei aspicientes in cælum? non admiramini: Hic IESV qui assumptus est a vobis in cælum, iterum veniet, & quemadmodum abijt, iudicatus iudex est terribilis redituru, et videbit collecta in vnum generalitas hominum quas foderat manus, quod terebrauerat latus, faciem quam conspuerat: non miserebitur vltra Deus, neque tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio; & cum clausa fuerit ianua, frustra carentes oleo acclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. A dextris erunt peccata hoc est acres & acerbi accusatores, a sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia vrens, et prolata in medium inflexibilis sententia, occurrentibus Saluatori electis, remanebunt impij infinitis deputati tormentis, immortales miseri viuent inter incendia, & inconsumtibiles flammæ nudum corpus allambent, ardebit purpuratus diues, nec erit qui æstuanti linguæ stillam infundat aquæ, in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget.

Act. 1.

admiratio ab ignorãtia descendit sm̃ Philosophũ. Metaph. 1. Cyprianus de ascẽsione.

Anselmus đ similitudinib' mũdi. Vid Greg. Naz. ī plagam grãd.

Dualis Angelorum numerus etiam Sodomitis infausta diraque por-

Gen.19. tendit, vt nemo vsque adeo sit imperitus, neque tam nullius ingenij, qui non magnæ significationis caussa factum putet, quod treis Angeli ueniunt ad Abrahã stanteis super eum luce meridiana, & fulgentißimo iam sole, vt pote felix negocium. sed ad excidium Sodomæ Duo dumtaxat veniunt, sub vesperam, & primis tenebris intendentibus, sedentes in platea, quod tanto exterminio non competeret ternarius, quo gaudet Deus, sed Origen. in Gen. lib. 4. Binarius, ab vnitate & trinitate recedens. Vide quomodo dispensatione Spiritus Sancti pro meritis aptati sunt numeri? Vbi gratia largienda, ternarius adest; vbi exercenda seueritas, solus Binarius.

2. Mach. 3. Tentante Heliodoro rapere thesauros Ecclesiæ Sanctæ, scriptum est quod spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidentiam, ita vt omnes qui ausi fuerant ei parere, ruentes diuina virtute in desolationem et formidinem conuerterentur, dum illis apparuerunt Duo Iuuenes virtute decori, qui circumsteterunt flagellantes ex vtraque parte sine intermißione multis plagis verberantes. Sic in quodam Psalmo Psal. 108. Greg. pp. de impijs scriptum legitur: Operiantur sicut diploide confusione sua. Diplois enim duplex est vestimentum, quo figuraliter induuntur, qui iuxta reatus sui meritum & temporali & perpetua animaduersione feriuntur; sicut Antiochus et Herodes, qui vtrique suo tempore aduersus Deum repugnantes, quid tormentorum in gehenna perpetuo passuri essent, præsentium afflictionum miseria cunctis ostendebant. Quibus congruit illud Hiere. contritio super contritionẽ, id est, gemina damnatio, & hic & in futuro seculo. Nec non et cap. 17. Duplici contritione contere eos, id est, duplici pœna præsenti, scilicet, & futura. solos enim pœna liberat a supplicio, quos mutat. nam quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia perducunt. Notat igitur Dualis numerus duplicem peccatorum damnationem, quarum prima fit per culpam, altera per pœnam, illa per tribulationem præsentem, ista per futuram. De quibus dicit Iudas in canonica sua: Arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, fluctus feri maris, dispumantes suas confusiones. Bis mortui enim dicuntur peccatores, per culpam & per consuetudinem, vel per mortem corporis & mortem animæ. Vnde Eccli. cap. 21. Quasi Romphæa bis acuta omnis iniquitas. Timeamus ergo ne quod scriptura comminatur apud Esaiam cap. 40. Dei iudicium a nobis incipiat, ne de manu Domini duplicia suscipiamus, id est, duplices pœnas pro peccatis nostris, per huiusmodi namq. duplicationem mensura scelerum impletur, secundum quam emendatur

Cap. 4. Bed quæst. in Deuter. cap. 22. Iudæ vnico.

datur & Israel. Sic in Apoc. scriptum est, quoniam peruenerunt peccata Babylon vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius: Reddite illi sicut et ipsa reddidit vobis & duplicate duplicia secundum opera eius, in populo quo miscuit vobis, miscete illi duplum. Greg. Naz. lib. in plagã grand. Cap. 18.

Duo sunt genera eorum qui in die tremendi iudicij reprobandi sunt, vnum quidem illorum qui fidem Christi velumquam susceperè, vel susceptam, per apostasiam deseruere. de quibus scriptum est. Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine filij Dei. Alterum eorum qui fidei Christianæ mysterijs initiati, opera fidei exercere contemnunt, quibus Iudex dicturus est: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. esuriui enim & reliqua. Iohan. 3. Matth. 25.

Duo rursum sunt duces dæmoniorum, Behemot, & Leuiathan.

Duo quæ comminatur Christus damnatis, fletus, & stridor dentium. Matth. 22.

Duplex plaga est ab æterno regno Dei separari, et semper in inferno cũ Diabolo damnari, præsentiam dico amittere Angelorum, & terribilem semper pati Dæmonum præsentiam. Aug. de triplici habitaculo.

Duo sunt genera delictorum, propria, scilicet et aliena: Diabolus suo delicto cecidit: Adam alieno deiecit. August. in Psal. 18.

Duplicem in pœnitentia debet habere fletum omnis peccator, siue quia per negligentiam bonum non fecit; seu per audaciam malum perpetrauit. Quod enim oportuit, non gessit; et quod non oportuit, egit: sic Duas iniquitates commiserunt qui Barabbam sibi dimitti, Christum autem cruci affigi petierunt, bonum reprobantes, & malum eligentes. Ose. 10. Rupert. in Iohann.

Duo iuuenes euntes cum Abraham, possunt significare duos populos, qui consenserunt in mortem Christi. Gen. 22.

Duo hædi quos Iahacob obtulit patri suo, signant peccatores ex duobus populis. Gen. 27. Glo. ĩterl.

Duæ vxores Dauid captiuatæ figurant duos populos a Dæmonibus in seruitutem adductos. 1. Reg. 30.

Gemina percussio petræ de virga in deserto significare potest Duo ligna, quæ in crucis patibulo eriguntur; quia Christus in vno ligno sacras manus expandit, in alio vero a capite vsque ad pedes immaculatum corpus extendit. Exho. 17. August. in Iohan. c. 6.

In Duas partes diuisum velum templi in passione Domini, significabat Duo testamenta diuisa in scripta. Matth. 27.

Vigin-

Ezech.11. *Viginti & quinque viri in introitu portæ, qui cogitant malum, & tractant consilium peßimum in vrbe, habent duos principes, quia Binarius*

1. Paral.1. Gen.10. D.Hier.de hebrai. nominib. *scindit vnitatem, vnde & Eber nati sunt Duo filij, nomen vni Faleg, id est, diuidens, quia in diebus eius diuisa est terra, & fabricata est turris, vbi confusio linguarum facta est.*

Matth.2. *Herodis etiam impietatem in Christũ & æquæuos eius Binarius taxat, quando omnes Lactentes pueros a Bimatu et infra iußit iuterimi. si quomodo etiam IESV cum æquæuis exstinguere potuisset.*

Cap.32. Ibidem. *Deus apud Hieremiam facit misericordiam in milibus, et reddit iniquitatem Patrum in sinu filiorum eorum post eos fortißime. In quo grandis clementia Creatoris ostenditur, misericordiam suam in mille generationes extendens, & iustitiam in Secunda generatione demonstrans.*

Gen.41. *Ioseph falso accusatus, carceratus detinetur Duob⁹ annis in Aegypto.*

Dan.13. *Duobus testibus Susanna est appetita.*

Matth.26. *Duos testes inuenit & Synagoga, qui aduersus Christum dominum falsa iactarent.*

3.Reg.21. *Duobus falsis testibus pauper occiditur.*

Iudic.2. *Duos menses filia Iephte fleuit virginitatem suam.*

Exho. 22. *Duæ Mulieres fornicatæ in Aegypto Oolla, scilicet, & Ooliba.*

3.Reg.3. *Duæ Meretrices altercantes coram Salomone.*

Matth.20. *Duo cæci in Hierico sedentes secus viam.*

Act.19. *Duobus horis clamitat turba: Magna Diana Ephesiorum.*

Eccl.1. *Duæ manus labore sunt plenæ.*

Ezech.43. *Duobus cubitis crepidinis altaris terrena & corruptibilia designantur; quibus apposite competit Binarius cui symbolice tribui solet materia diuisibilis, informis, permutabilis, impotens, expers vitæ, verum non ens, imago entis, appetitio substantiæ, stans non in statu, apparens omnia, nihil ens, siens omnia, nihil manens, totius entis defectus, promissa sẽper mentiens. D.Hier. com. in Aggeum: Materia in qua reparatio mundi sobolisq. cõsistit, Duplicem numerum diligit, quare Darius quia amator erat coitus, & socius draconis, cuius omnis virtus in lumbis est, in secundo anno viso cernitur populo, in immundo numero, et post vnionem virginitatis, et Paradisi nuditatem, tunicas significante pelliceas.*

Cap.1. Gen.3. Mat.6. Beda. *Tunicas Duas portare vel habere prohibet Dominus. In quibus videtur duplex ostendere vestimentum; non quod in locis Scythiæ glaciali niue rigentibus, vnica quis tunica debeat esse contentus, sed quo in tunica*

vesti-

veſtimentum intelligamus, ne aliud veſtiti, aliud nobis futurorum timore ſeruemus. Duas etiam tunicas habere dicitur, qui colere vult veterem & nouum hominem. Etiam. Quia per vnicam tunicam vita ſimplex atque ab omni verſutia et improbitate libera deſignatur, ſcite qui ad Euã gelium promulgandum mittitur, Duabus tunicis vti prohibetur. In legequoque Moyſis, cognata quippe ſibi eſt diuina Scriptura, legitur: Veſte, quæ ex duobus texta, non indues. Nam in veſtimento ex Duobus contexto lana, ſcilicet, et lino, interdicitur coniunctio ſimplicitatis innocentiæ, quæ ſignificatur per lanam; & ſubtilitas malitiæ, quæ per linum denotatur. Et nimirum veſtis quæ ex lino lanaq. conficitur, linum interius celat, in ſuperficie lanam demonſtrat. Glo. ſuper. Exho 26. Leuit. 19.

Prohibemur etiam vti duplici menſura, ſecundum illam ſententiam Salomonis, qua dicitur: Abominatio eſt Domino pondus duplex et ſtatera doloſa non eſt bona in conſpectu eius. Prou. 21.

Duo cornua beſtiæ ſimilia agni, ſunt ſimulationes Hyppocritarum & Antichriſti. Apoc. 13. Glo. ſuper.

Binarius enim Hyppocritas maxime notat, qui nunc ſpiritualia ſectari videntur, nunc terrenis actionibus & negocijs inuoluuntur, ſimiles prorſus quibuſdam piſcibus ſiue animalibus, quæ nunc in aquis nunc in terris verſantur, inde ab Iſidoro appellantur dubia, quod non ſolum ſunt natabilia, ſed & greſſibilia per naturam, cuiuſmodi ſunt, phocæ, caſtores, & huiuſmodi, quæ communiter ſunt animalia ſæua, vel maligna, & huiuſmodi homines dubium videtur vtrum ſint Dei vel mundi: deceptores tamen ſunt & iniqui, de quibus legitur ſcriptum: Omnis hypocrita eſt et nequã; et alibi dicitur, quia nemo militans Deo implicat ſe negocijs ſecularibus, vt placeat Deo. Hos Prophetæ regius dicebat corde, & corde loqui, quod aliud in corde occultum geſtent, aliud in lingua promptum oſtentent. Iacobus Apoſtolus: vir, inquit, duplex animo inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. Et per quendam ſapientem dicitur: Ne acceſſeris ad Deũ duplici corde, nec fueris hypocrita in conſpectu hominum. Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, et peccatori terram ingredienti Duabus vijs. Omnis peccator inuidus, & bilinguis. ſuper furem eſt confuſio, & deuoratio peſſima ſuper bilinguem. Item: Cor ingrediens duas vias non habebit requiem. Quibus enim duplex eſt mens, perpetuos belli tumultus neceſſe eſt patiatur, carne nimirum & anima ex aduerſo caſtra habentibus. Hæc enim Chriſto impigre ac libenter paret ac lucem petit, illa contra carni & Eſa. 9. 1. Tim. 2. Pſal. 11. Iac. 1. Eccli. 1. 2. 6. Ecc. 3.

ni & sanguini dedita est, Beliamque ad tenebras pertrahentem excipere
3. Reg. 18. parata. Et hos quidem arguens Helias, dicebat; vsque quo vos claudicatis in Duas cogitationes, nunc Baal, nunc Deo adhærentes? Si Deus est Dominus, sequimini eum, nam nec Deus commentitijs Dijs honorem haberi vult, nec hi verũ Deum volunt adorari. Iahacob qui Angelum tenuit,
Gen. 32. vno pede claudicauit. quia qui vero amore sublimia respicit, iam in hoc mundo Duplicibus incedere desiderijs nescit. Vno enim pede innititur,
1. Co. 10. qui solo Dei amore roboratur. Non potestis, inquit Paulus, participes fieri mensæ Domini, & Dæmoniorum. Duplicia sic se habent, quod vnum est contra vnum. Dei proprium est vnitas. at Sathan ille Duplicis est formæ atque obliquo & versipelli consilio, alios aliosq. subinde laqueos nectit. Est quidem ille caligo obscurißima; sed si tenebras suas cognitas & deprehensas intelligat, confestim se conuertit in Angelũ lucis, sicque leniter arridens animum demulcet.

Nic. Cusa. Lib. 8. exc. Greg. Oaz. de calamitatib. animæ suæ.

2. Cor. 11.

Antonin. in sũma pt. 1. tit. 5. c. 2.

Legitur in vitis patrum, quod cuidam ægroto apparuere Duo dæmones in forma Angelorum bonorum, dicentes se a Deo missos, vt eius animam portarent in cælum; sed adeo grauem reperisse, vt eam deferre non possent. nihilominus daturos sibi modum ad alleuanda peccata sua, videlicet, vt exinde teneret silentium continuum. Quibus recedentibus, cum nulli loqueretur insanus, nec responsum interrogantibus dare curaret; fuit admonitus ne permitteret se decipi a Diabolo, qui se aliquando transfigurat in Angelum lucis. Ex quorum verbis illuminatus Aegrotus, verba formauit, apparitionem narrans. Et postmodum recordatus fuit de quodam peccato mortali, quod per obliuionem non confessus fuerat.

Non incongruam hoc loco historiam referre piget ex Philonis Iudæi libro biblicarum antiquitatum desumtam. Cum recordaretur Deus Israel, voluit reuelare Samueli sermones suos; Samuel autẽ erat dormiens in templo. et factum est cum vellet eum Deus vocare, cogitauit primo dicens. Ecce nunc Samuel puer, quamuis sit dilectus in conspectu meo, ta-
1. Reg. 3. men cum nondum vocem Domini audierit, neque ad locutionem altißimi sit corroboratus, est sicut Moyses famulus meus octogenarius, cum ad eum primum locutus sum. Samuel autem est octo annorum, at Moyses vidit ignem in spinis & expauit cor eius, quod si viderit ignem Samuel modo, quomodo sustinebit? et ideo nunc erit vox ad eum tamquam hominis, non tamquam Dei, & cum intellexerit, tunc loquar ad eum tamquam Deus. igitur in media nocte vocauit eum vox de cælo: & expergefactus

factus Samuel cognouit ueluti vocem sacerdotis Heli, et cucurrit ad eum & dixit: Quid me excitasti Pater? Ego enim timui quod numquam me vocasti de nocte. Et dixit Heli: Heu nunquid spiritus immundus seduxit filium meum Samuel? Et dixit ei: vade dormi, non vocaui te, tamen dic mihi an memor sis quoties qui te vocauit clamauerit. et ille dixit: Bis. & dixit ad eum Heli: Dic mihi cuius vocem cognouisti Fili mi? Qui dixit: Tuam, propterea cucurri ad te. In te, dixit Heli, video hoc signũ quod habebunt homines ab hodierna die, & vsque in seculum, quoniam si clamauerit Bis alter ad alterum per noctem vel in meridie, scient quoniam spiritus peßimus est; si autem adijciat ter clamare, sciant quia Angelus est. Et abijt Samuel et dormiuit, et audiuit secundo vocem de cælo, & exsurgens cucurrit ad Heli, et dixit ad eum: Quis me vocauit, quoniam audiui vocem patris mei Helcanæ? et tunc intellexit Heli, quod inciperet Deus vocare eum; dixit enim Heli: In Duabus vocibus, quibus clamauit ad te Deus, aßimilatus est patri et magistro, nunc autem tertio Deo. Et dixit ad eum: Aure tua dextra intende, sinistra tace. Et Abijt Samuel, et dormiuit sicut præceperat ei, & adiecit Dominus tertio loqui. Hæc cum legissent multi factum est vt prima facie vera putarent, quæ a Magis prodita sunt, Binarium, scilicet adferre spectra vmbrarum, terriculamenta laruarum, nocumenta malorum spirituum his qui nocte iter faciunt.

Etiã in sternutatione oscitantis volunt Binariũ portendere infelicitatem, similiter in uolatu auium Binarius mala portendere solitus erat. considerabant nẽpe Magi vtrum tarde vel festinanter, si quando ad dextrã vel ad sinistram volitarent, quotoque numero inuicem. hoc modo enim Grues quando festinanter uolarent, tempestatem; quando silenter, serenitatem; quando Duæ simul conuolassent, malum minitari dicebant. Simili modo de ceteris inuestigabant, rationem de numeris hic transferendo.

Aiunt denique Binarium in auspicijs infelicißimum, præsertim si res illæ a quibus auspicium capiebatur Martiæ Saturniæue fuissent; namque hæ Duæ vt infortunia numerantur ab Astrologis. Ouidius de infeliciter nato.

Te fera ne quidquam placidum spondentia Martis
Sydera presserunt, falciferiq. senis. Ouid. in Ibin.

Hanc Binarij naturam non ignorauere Romani, secundum anni mensem

Marsic. in Plat. de leg. lib. 8.

sem appellantes Februarium, Plutoni dicatum (est enim Pluto prouidentia proprie & separans animas, & iudicans separatas) in eo secunda die vrbem lustrabant, iustaque Dijs Manibus soluebant, ac purgationibus quibusdam vtebantur, mortuis parentantes.

Ouid. Fast. lib. 2.

Nam februare quidem dicunt purgare Latini.
Mos viguit talis Romanis ciuibus olim,
Anno sub quinto dum census fertur ad vrbem,
Mœnia cum muris templa & lustrare Deorum,
Scilicet, istius mensis sub luce secunda,
Vt quasi purgarent delicti excessibus vrbem,
Et venia atque salus per supplicia ista daretur,
Dicere lustrare, sic & purgare solemus,
Sic & multotiens dicitur quinquennia lustra.

Manfred. in ratione computi.

Lib. hist. Vide Beda de ratione tẽporum.

Gregorius Cedernus Romanos scribit existimasse Februam, Romanam quandam esse Deam piacularem. Anysius lib. de mensibus etrusca lingua dicit Februum nuncupari eum qui est apud inferos. Labeo Februarium a dolore putat esse dictum, quia Februs Romanis dolor dicatur. Quemadmodum sunt sacra quædam tempora apud omnis religionis gentes summa veneratione semper obseruata, quæ aut a Dijs ipsis sanctificari præcepta, aut a Patribus et Maioribus in accepti beneficij commemorationem, perpetuamq. gratiarum actionem dedicata; sunt eadem ratione his contraria tempora, quæ piacularia dicimus, & quos dies atros vocamus, quod illis diebus aliquam cladem vel calamitatem Respublica passa fuit, qua ratione dicti sunt dies Aegyptiaci, olim ab Aegyptijs obseruati. Nam quælibet natio hac ratione suos habet vel fastos, vel infastos dies. Quidam etiam narrantur certis anni diebus ægrotare, vt teste Valerio, Antipater Sidonius poeta, in die natalis sui. Quibusdam euenire felicitates, ut est auctor Aelianus de Athenienſibus, qui mense Thargilione, id est, Februario, victorias maximas eos adsecutos fuisse dicit. In quo etiam mense nempe die Sancti Matthiæ in hanc lucem editus est Carolus V. Imperator, a Clemente VII. P. M. Bononiæ coronam accepit, Galliæ Rex Ticinensi agro ab eo captus. Olim quoque Pisanis ter victoria de inimicis die Sancti Sixsti contigit, adeo ut ei templum ex truxerint. Christianæ reipublicæ faustus fuit dies ante nonas Octobris memorabili clade a Fidelibus aduersus Turcas apud Naupactum, non longe sane ab eo loco vbi olim Antonius fuit ab Augusto superatus feliciter pugnatum

2. digesto. lib. 8.

Raphael Volater.

est

est, cum Selinus Turcarum Imperator Cyprio regno paucis ante diebus potito vniuersum Ionium atque adeo ipsum Adriaticum sinum ingenti classe infestaret, omnium fere principum Christianorum classis, qui ad id communis hostis bellum reprimendum in vnum conspirarant Marco Antonio Columna, Iohanne Austria et Sebastiano Veniero Ducibus, tandem Nonis Octobris Turcis occurrunt. Ibi Turca, & recenti victoria terrestri ferox, et quod Fideles tertiam fere partem superaret, se inuictum existimans, classem summo mane educit, et aspirante vento dat pugnæ signum. faciunt idem non impigre Christiani Duces, qui maiorem in Deo, quam in viribus, quibus longe cedebant, spem collocatam haberent; itaq. magno clamore & tormentorum strepitu concurritur. sub ipso vero pugnæ initio diuinitus statim ventorum tanta mutatio consecuta est, vt iam Fidelibus aspirarent qui ante reflarant venti. quare eodem die paucis quidem horis deijciuntur Turcæ de spe totius orbis imperij, quam antea concœperant; magna superantur strage; & vniuersa classis præter quindecim triremes, quæ Duce Ochialino turpiter in principio pugnæ fugam capesserant, partim capitur, partim obruitur. Fuerunt quidem Romanis in vniuersum Nonæ, Idus, & Kalendæ fausti, & agendis rebus felices dies. Tranquillus in Augusto: Sanxit, inquit, ne plus quam Bis in mense legitimus Senatus ageretur, scilicet, Kalendis, & Idibus. tantum ille. Qui prædictos proxime sequuntur dies, Dijs Manibus attributi, atri & tristi omine infames ab ipsis Romanis habiti sunt, tamquam secundi quidam dies, in quibus exercitum conscribere, legiones educere, manus cum hoste conserere, sponsalia inire, peregre proficisci, quidquam publicæ vel priuatæ rei moliri, aut aliquid nouæ rei inceptare, inceptum sedum & exitiale existimatum, eo quod illis maxime diebus insignem aliquam cladem calamitatemue passi fuissent. Fuit enim obseruatum vt qui hostes bello tentare, vel acies eo tempore committere curarent, rem in non mediocre periculum discrimenque adducerent, magno postea exitio consecuto. De hoc meminit Ouidius Fastorum lib. 1.

Vendicat Ausonias Iunonis cura Kalendas:
Idibus alba Ioui grandior agna cadit.
Nonarum tutela Deo caret, omnibus istis
Ne fallare caue, proximus ater erit.
Omen ab euentu est; illis nam Roma diebus

Marte sub aduerso tristia damna tulit.

Tacitum Imperatorem posterum calendarum diem nec legere, nec quidquam scribere voluisse narrat Flauius Vopiscus Syracusius. & apud Nonium ex Aphranio: Septembris heri calendæ, hodie ater dies. Macrobius in Saturnalibus dicit Nonis prohiberi celebritatem nuptiarum, quod primus nuptiarum dies verecundiæ detur, postridie autem nuptam in domo viri dominium incipere oportere adipisci, remq. facere diuinam. Ideog. ne nupta postera die libertatem auspicaretur vxoriam, aut atro immolaret, quo nefas erat celebrari, nonas inhabiles nuptijs esse dixerunt. Quid vero de Allienſi pugna, quæ facta est anno ab. u. c. 363. postridie idus quintilis, scripserit Verrius Flaccus in tertio de verborum significatione, videamus: Vrbe a Gallis Senonibus recuperata L. Attilius in senatu verba fecit, Q. Sulpitium tribunum militum ad Alliam flumen aduersus Gallos pugnaturum, rem diuinam dimicandi gratia postridie idus fecisse. tum exercitum populi Rom. occidione occisum, & vrbem, præter Capitolium, captam esse. Complures q. alij Senatores recordari sese dixerunt, quoties belli gerendi gratia res diuina postridie Calendas, Nonas, Idus a Magistratu populi Rom. facta esset, eius belli proximo deinceps prælio rem male gestam esse. Tum Senatus eam rem ad Pontifices reiecit, vt ipsi quod videretur, statuerent. Pontifices decreuerunt nullum his diebus sacrificium recte futurum. Hæc ille. Postridie nonas Aprilis, quod inter septem mirabilia huius mundi opera maxime celebrabatur, templum Ephesinæ Dianæ combustum est. Postridie calendas Iunij consulatu Lupicini & Iouiniani grandinis multitudo in Constantinopolitana vrbe, saxorum gerens similitudinem vehementer effunditur. & post natum Christum anno 1083. Henricus quartus Imperator Romam captam reddidit, post annorum duorum obsidionem, quod referunt Achilles Pirminius & Albertus Crantus. Accedit quod eam diem mensi extraxerant Athenienses, quoniam tunc contentio Mineruæ cum Neptuno fuisse crederetur, vt apud Plutarchum. Postridie calend. sextilis anno duodecimo ante Saluatoris Christi aduentum vult Q. Claudius Quadrigarius factam fuisse illam vastissimam cladem Cannensis pugnæ: de qua ita Florus Aemilio Paullo & Terentio Varrone Coss. & ducibus cum maxima clade aduersus Annibalem ad Cannas pugnatum est, cæsaque eo prælio Romanorũ quadraginta quinq; millia cum Paullo consule, & Senatoribus octo-

Plutarc. in Cami. Aulus Gel. libr. 5. c. 17.

Petr. Crin. lib. 1. c. 15.

Hist. eccl. lib. 7. c. 22.

Plut. 1 sym posio lib. 9 cap. 6.

Libr. 5. annalium.

ginta

ginta consularibus atque prætorijs, aut ædilitijs triginta. Postridie nonas Augusti salutis anno 1546. Mechliniæ in Brabantia accidit clades memorabilis. fulmen incidit in portam Arenariam, in qua seruabatur puluis tormenti, quæ illo cælitus lapso igne inflammata, tam horrendum edidit fragorem & tonitruum, vt plerique mortales putarent supremum adesse mundi diem. fuit id reuera spectaculum horroris, & terroris plenissimum. momento temporis porta illa mirabiliter dissipatur. vicinorum murorum fundamenta reuelluntur. fossarum aquæ vi tanti ardoris exiccantur. multi homines partim extincti, partim grauiter saucij reperti sunt. quidam post triduum è specu progressus sciscitabatur num mundus adhuc subsisteret. Postridie idus Septembris grauissimus qui vnquam fuere omnium terræ motus Antiochiam inuasit anno sui natalis quingentesimo sexto. Domos eius fere omnes disiecit, cum quidem populosissima foret, ita vt in in ea solitudo nulla aut locus quisquam inhabitabilis aut neglectus esset. Eademquoque die post natum Christum 1509. vrbem Constantinopolitanam, qua parte spectat mare horrendum in modum concussit terribilis terræmotus, domosque subruit, & ruderibus fossam complens solo æquauit. Arcem vbi regis Turcici immensi thesauri in quinque turribus munitissimis asseruabantur, domumque egregiam, in qua leones alebantur, euertit. Cuniculos per quos longis itineribus etiam per montes è Danubio in vrbem aqua adducuntur, summis & impensis & sudoribus effectos, adeo quassauit, vt maximis opibus instaurari nequiuerint. Ipsum quoque mare inter Constantinopolim & Peram vsque adeo intumuit, vt vtriusque vrbis muros suis fluctibus excederet, & vndas in vtranque inferret. Multaquoque alia damna eo ipso die Turcis illata sunt. Feruntur tum Constantinopoli ad tredecim hominum millia interijsse. Nostro vero seculo anno, scilicet, assumpti verbi 1566. circa tertiam vigiliam noctis Nauale Venetum totius orbis celeberrimum, casu ne an fraude ignoratur, exarsit, & momento temporis turres, in quibus asseruabatur pulueris tormentarij immensa vis, mirabili temporis velocitate dissipantur, et non modo turres, sed et vicinæ domus reuelluntur, et longe lateq. per aera iactantur, tam horrendo fragore et tonitru vt ad quinquaginta milia stadiorum exaudiretur strepitus, flammaq. conspiceretur; Patauij. n. & Taruisii, quod mirum est, in continenti quasi terræ-

Fr Laurēt. Surius Carthusian.

Nicepho. Call. hist. eccl. li. 15. cap. 20.

Fr Laur. Surius.

motu domus aliquot maximè concussæ sunt, atque culminum pinnæ (caminos vocant) decussæ. Vrbs certè vniuersa ita a fundamentis commota est, vt penitus ui diuina versam iri arbitrarentur, cum interea æstuaret mare, quateretur ciuitas, & crebri per aerem ignes fulminis instar coruscarent, multæ funditus euersæ ædes, multæ a fundamentis vitiatæ, & vitreæ fere omnes fenestræ perfractæ sunt, vrnaque aheneæ atque aliæ id generis vasa non aliter vbique per domos resonabant, ac si rerceis aut Bacchi orgia celebrarentur. Sed quod maximè admirandum est, in tanta ædium ruina duo tantum homines, qui in ipsis Nauales ædibus erant, oppressi vitam cum morte mutarunt, & cum sacrarum Virginum cœnobium, quod Cælestia vocatur, funditus è vestigio euerteretur, omnes tamen Virgines, quæ illic erant, incolumes euaserunt, vna excepta, quæ in sacrarij limine deprehensa grauem tulit sinistro humero lapidis iactum. Postridie Kalendas Octobris anno incarnati Verbi 1187. Hierusalem, ob discordias Christianorum, in ius & potestatem Saracenorum reuersa est. Postridie nonas Octobris anno recuperatæ salutis 1530. circa horam vndecimam noctis Tybris ita repente creuit, & intumuit, vt maximum damnum & iacturam Romanis importarit.

An Cereris?

Binario vitia designantur; quia cum virtutis sit vnica ratio (nunquam enim discedit a mediocritate sed circa illam semper uersatur) vitiorum contra duplex est præcipitium: vnum quod in excessum; alterum quod in defectum prolabitur. Hinc illud Virgilij.

Aneid. li. 6

-------tum tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum.

Virtutes igitur, quarum aliæ morales, aliæ intellectuales dicuntur, in mediocritate duorum uitiorum oppositorum consistere propalam est. quod in sequenti diagrammate liquido perspici queat.

Vitium	Virtus	Vitium
Superabundantia	Status	Defectus
Maius	Medium	Minus
Fugiendum	Eligendum	Fugiendum
Audacia	Fortitudo	Timiditas
Intemperantia	Temperantia	Insensibilitas

Pro-

Prodigalitas	*Liberalitas*	*Auaritia*
Ruditas	*Magnificentia*	*Pusillitas*
Lentitudo	*Magnanimitas*	*Pusillanimitas*
Ambitio	*Modestia*	*Honorum contemtus*
Ira	*Mansuetudo*	*Iræ vacuitas*
Adulatio	*Affabilitas*	*Contentio*
Arrogantia	*Veritas*	*Dißimulatio*
Scurrilitas	*Comitas*	*Rusticitas*
Plus	*Iustitia*	*Minus*
Plus	*Amicitia*	*Minus*
Ignorantia	*Scientia*	*Sinistra persuasio*
Stultitia	*Intellectus*	*Error intellectus*
Insipientia	*Sapientia*	*Error sapientiæ*
Atechnia	*Ars*	*Error artis*
Imprudentia	*Prudentia*	*Error prudentiæ*

Sic corporis bona, quæ et sensibilia sunt & materialia, tantum in medio rationem sibi vendicant; ita in extremis mala & vitanda reperiuntur, Horum enim id dumtaxat, quod neque plus, neque minus fuerit bonum et eligendum est: quod vero exuperat aut deficit, malum est et protinus fugiendum. Hinc perspicuum fit omnem prorsus miseriam nasci ex Dualitate. est enim miseria, vt mihi videtur, vel necessariorum & naturalium bonorum priuatio, vel eorum desiderium irrationabile, veluti cum subiectum aliquod & naturalis potentia, aut proprio priuatur obiecto, propriorumue et naturalium suorum bonorum fit exsors, aut quando ipsa appetitio, vtriusque & subiecti & naturalium eius bonorum seu potentiæ & obiecti, quantitatē transcendit, vt si & finita est potentia, & finitum eius obiectum, illius tamen ad hoc irrationabilis appetitus. Pari modo et cum finita sunt subiecta et naturalia bona, illorum tamen ad hæc irrepressibilis & in exstinguibilis ardor. Hanc Dualitatem abhorrere visus est Sapiens ille, quando Dominum suppliciter his verbis exorabat: Diuitias Prou. 30.
uel paupertatem ne dederis mihi, sed tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Cui simile est illud Apollonij Tyanei, quando sic Deos precabatur: Concedite mihi pauca habere, & nullius indigere. Hanc quidem Dualitatem

Seneca

deuitarent homines, ac quietissimam vitam agerent in terris. si ex Pythagoræ præcepto omnia forent communia, Duoq. illa frigida verba Meum, et Tuum, a natura omnium rerum tollerentur. Vnus enim puluis omnes sumus, ab eodem fictore genus omnes ducimus, in Duas partes non natura, sed tyrannis homines secuit ac distinxit.

Greg Naz. ī nobilem memorat.

Duplices rursus animæ sunt passiones, quibus in varia hinc inde intranquilla mens diuellitur, honoris, scilicet, appetitio, & carnis delectatio. Ex honoris appetitione homo, cum supra se ipsum extolli, & medio sui æqualitate fieri superior cupit, in tres scopulos impellitur, Superbiā, Iram, Inuidiam, quas spiritales vocant animi labes. At ex carnis corporisue illecebris fit tripliciter homine inferior, quia mergitur in Luxuriam, Gulam, Acediam, quas hominis corporeas maculas dicunt. Auaritia commune est malum: nam & diuitias ipsi partim comparandis honoribus deuouemus, partim ipsas expetimus, ne illecebroso genio defraudemur. In vtramque igitur partem digressus a medio homo euadit infelix.



Ad hæc quemadmodum vna est scientia & simplex veraque rerum notitia, contra duplicem esse dicimus ignorantiam. Aut enim ignorantia scientiæ priuatio est; aut contrarius oppositusue habitus. Hunc errorem; illam puræ negationis ignorantiam vocant. Duorum quippe oppositorum quod præstantius est, medium est et vnum; quod vero est imperfectum, geminum diuisum, Dualeq. reperitur.

Augustī. de Doct. Christian.

Sunt eodem modo duo genera falsi. vnum eorum quæ non sunt, quamuis esse possint; alterum eorum quæ omnino esse nequaquam possunt. Nam qui dicit Calendis Aprilis, uerbi gratia, pluisse, tamen et si factum non sit, id dicit quod fieri potuerit. At qui dicit Hominem esse Leonem, id dicit quod omnino esse non potest, quia semper contradictionem claudit. Et sicut numquam ad vnionem, ita numquam ad veritatem redigi potest.

Bina-

Binarius denique mystico significato corpoream naturam declarat, quod Dualis numerus sociandis generandisque corporibus aptari soleat. Neque tamen cum D. Hier. paulo infensior nuptijs videri vellem, vt vnitate, quæ tota Dei est, virginitatem dumtaxat, Dualitate vero matrimonium vel fœdera nuptiarum hieroglyphice significari cõtendam: Cum matrimonium quandam immortalitatẽ inducat, ac in noua lege habeat institutionem, quatenus repræsentat coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Quo fit vt sit sacramentum nouæ legis ob duplicem coniunctionem, quæ est in Christo. Prima quidem coniunctio est animorum; corporum altera. notat illa vnionem fidelis animæ ad Deum; significat ista coniunctionem Christi & Ecclesiæ. Inde Aug. super illud. Numquid qui dormit, non adijciet vt resurgat? Nota, inquit, quod dicit, qui dormit, quia sicut de latere dormientis Adæ, qui erat forma futuri Christi, assumta est costa, de qua formata est Heua, ita dormiuit Christus sõno mortis, vt de latere dormientis, de quo profluxerũt sanguis & aqua, quæ sunt nostræ redẽptionis sacramenta, formetur sibi sponsa Ecclesia. Corporum etiam coniunctione significatur coniũctio Diuinitatis & Humanitatis facta in vtero Virginis, vt habetur 26. dist. Acutius. Cum ergo tam coniunctio Christi & Ecclesiæ, quã vnio Diuinitatis et Humanitatis vnica sit irreiterabilis & indiuisibilis, merito significata est in primi matrimonij coniunctione carnali: sed vbi quis ad secundam transit vxorem, recedit ab hac diuina vnitate cadens in Dualitatem, & ideo non poterit de cetero significare dictam vnitatem, et irreiterabilem ac indiuisibilem coniunctionem. Ex quo enim significatum, scilicet, coniunctio Christi et Ecclesiæ, item coniunctio Diuinitatis et Humanitatis vnicũ et irreiterabile et indiuisibile est, oportet quod suum significans, scilicet, matrimonium carnale consumatum, vnicum & irreiteratum ac indiuisum fuerit. His de caussis, licet cõiugatus ad sacerdotium priscis canonibus admitteretur (nam Petrus, Paulus, Philippus Apostoli Christi vxores habuisse leguntur, & Iustinianus Epiphanium Patriarcham œcumenicum laudat, quod ex Sacerdotibus genus & originem ducat) Digamus tamen omnino repulsus, quod vel ex Paulo colligi datur, dum prima ad Timoth. capit. 3. & ad Titum cap. 1. Episcopos et Diaconos vnius vxoris viros esse vult. & prima ad Timoth. 5. Vidua deligatur, quæ vnius viri vxor fuerit. Non debet, inquit Ambrosius, in sacerdotem Digamus ordinari, non quia deliquerit, sed quia prærogatiua exutus est sacerdotis, quod in eo sit defectus

Psal. 40.

sacra-

Glo.26.di. c.vnius & ca.sacutius lia.off.

sacramenti vnitatis, cu mcarnem suam diuiserit in plures Item: vna tantum nec repetita nobis copula permittitur: & in ipso coniugio lex est non iterare coniugium, nec secundæ coniugis sortiri coniunctionem. Item: Homini vnam vxorem decreuit Deus cum qua benedicatur: nemo enim cũ secunda benedicitur. Item alio loco: Primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ autem et in præsenti carent gloria: concessæ sunt autem propter incontinentiam, & quia solent viduatum iuniores incurrere. Porro quod de digamis dictum est, in his quoque, qui viduam duxerunt, locum habet. Hos enim canon Apostolorum decimus septimus Digamis omnino comparat, hac vt arbitror ratione, quia digamiam vxoris, quam ducunt, probare videntur, eiusq. digamiæ occasionem eis præbere. Nam digamia mulierem non minus, imo magis, quam virum dedecere videtur. Quare Porcia cum laudaretur apud eam, inquit Hieronymus in Iouinianum, quædam bene morigerata, quæ secundum habebat maritum, respondit: Felix & pudica numquam præterquam semel nubit. Itaq. apud veteres Romanos et alios gentes, Digami a sacerdotio repellebantur. Idem Hieron. ad Gerontiam: Flamen vnius vxoris ad sacerdotium admittitur. Flaminea quoque vnius mariti eligitur vxor.

Lenit.21.

Ad Thauri Aegyptij sacra semel maritus assumitur. Sed et lege Mosaica præceptum fuit, vt Pontifex virginem tantum vxorem ducere posset. Vir enim seu Pontifex significat Christum qui sibi copulauit Ecclesiam, quæ semper virgo permansit mente. Quare dicit Apostolus: Despondi vos vni viro virginem castam. Quod si mulier carnem suam diuiserit in plures destruetur significatio sacramenti vnitatis, & fiet diuisa. Non est autem plenus Binarius, quia diuisus. quod vero non est plenum, vacuum habetur. Adde si lubet quod ridicula vulgo res est, & cauillis hominum obnoxia, vxorem viduam ducere, quod uel tritum apud Legistas dicterium, Bulgari Iureconsulti discipulorum in præceptorem satis ostendit.

Ambr. lib. de Noe & arca c. 12.

Glo. l. rem nõ nouam C. de iud.

DE

Quæsitus iuuenis viduam cur ducere nollet:
Ex qua quis periit, non libo, dixit, aquam.

DE NVMERO III.

AGgredimur Triadem, qua nihil est vberius ad mysticas significationes & reconditas. Est autem hæc primus numerus: nam Pythagoræi binarium non esse numerum dicunt, sed confusionem quandam vnitatum, et Plutarchus vnitatem a Pythagoræis Apollinem refert nuncupari, Diada litem & audaciam, Triada Iustitiam, quæ ad summa perfectio, & quatenus Virtus est etiam medium duorum vitiorum vtrinque reductum, quorum alterum est afficere iniuria; alterum affici, quæ vtraque sunt fugienda. Impar numerus incorporeis indiuiduisq. similis esse videtur. Par primus nempe dualitas est diuisio primaq. diuersitas ac casus primus ab uno; Ternarius autem primus numerus impar est quasi reditus ad vnum atque principium, et perfectior est pari, cum illum comprehendat, non ab eo comprehendatur. Vltra parem abundat vno, ob quam plane copiam masculus appellatur. Par autem ob inopiam, partitionem, & recessum a perfecto, quasi femellus numerus apparet. Parium quidem numerorum humana laus est atq; moralis, quatenus in eorum partitione iusta vtrinque fit distributio. Imparium vero sacratior est laus, atque diuina, siquidem Iustitia in ipso pari quasi dissoluta est, nec vllum habet cardinem quo innitatur, sed in ipso impari semper ipsum vnum est medium quasi centrum atque numen quo aqua distributio regitur, & ad quod, quasi finem refertur. Impar etiam propter medium, sui ipsius vinculum intra se possidet, & propter centrum circulare exsistit, & propter comparationem extremorum ad medium, vniuersi ordinis est principium. Primo Ternario numero contigit vt inter duo summa medium, quo uinciretur, acciperet. in Ternario enim est principium, medium, finis, unde et Tria sunt omnia, et prisci Theologi, ut designarent principium, medium, & finem esse referenda in Deum, Tria in sacrificijs offerebant. Et Tria posita sunt a Philosophis in cultu Dei, Adoratio, propter reuerentiam; Tus, ob distributionem suauissimæ cognitionis diuinæ, et cælestium, ac terrestrium uirtutum; Hymnus secundum Pythagoram, propter concentum cæli. Atqui ne uerbis solum egisse uideamur Aristotelem hoc ipsum testantem audiamus. Magnitudinis ea quidem quæ ad unum est diuisibilis, linea est; quæ uero ad duo, superficies; at ea quæ ad Tria, est corpus. Atque præter has nulla alia prorsus est magnitudo, propterea quod ipsa Tria omnia sunt, & ipsum Ter in

Plutarc. de Pyth. disc.

omnem

omnem partem se fundit. Nam, vt Pythagorei inquiunt, ipsum omne ac omnia, tribus sunt definita. Finis enim & medium, & principium vniuersi numerum habent, hæc autem Triadis. Quapropter a natura quasi legibus acceptis, et in Deorum sacrificijs celebrandis hoc vti numero solemus. Hactenus Aristoteles. Est igitur Ternarius numerus sacer, numerus potentissimus, plurimum conferens ad ceremonias Deorum et religionis, vt cuius auspitio & preces & libamina tertio repetuntur, vt tertio quoque die aut trimestri spacio peragerentur. Quod his verbis astruit Nicomachus: Ter libant & ter sacrificant qui vota sua petunt a Deo cosumari. Apud Theocritum.

Ter libo, Ter & hæc pronuncio mystica verba.

Valerius Flaccus in Argonauticis.

Ipse Ter æquoreo libans carchesia patre

Apollinis oracula:

Terna quidem diuis cælestibus hostia, & ipsa
Candida mactanda est, terna & terrestribus, atque
Atra eadem.

Item Aratus:

Forma sacrificij perfecti prisca canistro
Tres panes offerre iubet.

Sic Homerus, disparem numerum in sorte boni ponens, semper imparia ducit superis sacrificari, vt facit Nestor Neptuno, ac vt iubet Vlixi Tiresias; Achilles vero ingulat manibus Patrocli omnia paria, quattuor quidem equos, duodecim Troianorom filios; sed superis Ternario. Cuius disciplina non ignarus Virgilius Maro ita canit in Eglo. 8.

Numero Deus impari gaudet.

Neque enim quouis impari Deum gaudere significauit, sed eo qui primus est numerorum imparium, & initium corporum solidorum constantium ex pluribus areis. Porro sicut Deus est principium omnium quæ aguntur, ita primus Ternarius numerus omnium reliquorum, per se ipsum auctus, Triangulum constituit parium laterum, quæ prima est earum figurarum, quæ pluribus constant lateribus. Profecto simplex Triangulum æquilaterum Diuinitatis indicium est siue rerum cælestium effigies, vt pote quod sit sibi ipsi æquale, et propterea difficiliter moueatur, et ad malum declinare minime possit. Ita Pythagorei non numeros tantum, verum etiam figuras, Deorum nominibus dedicarunt, quippe qui Triangulum

aquilaterum Mineruam nuncupabant. Etiam Ternario vsi sunt in purificationibus. Ter enim spargebantur qui lustrationis aqua irrorabantur, vt apud Virgilium lib. 6. Aeneid.

Idem Ter socios pura circumtulit vnda
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Ouidius lib. 7. Metamorph.

Ter se conuertit, ter sumtis flumine crimen
Irrorauit aquis, Ternis & hiatibus ora
Soluit, & in dura summisso poplite terra.

Quin etiam cum fierent lustrationes aruorum, Ter hostiæ circa fruges agebantur, vt docet his versibus Virgilius in primo Georg.

Terq. nouas circum felix eat hostia fruges.

Fuit præterea Ternarius ligationibus aptißimus, hinc illud eiusdem Poetæ in Pharmaceutria:

Terna tibi hæc primum Triplici diuersa colore
Licia circundo, Terq. hæc altaria circum
Effigiem duco.

Et paulo post:

Necte Tribus nodis Ternos Amarylli colores.

De Medea quoque legimus:

Verbaq. Ter dixit placidos facientia somnos,
Quæ mare turbatum, quæ flumina concita sistunt.

Etiam in sacris feralibus Deæ Mutæ apud Ouidium: Fast. 2.

Ecce Anus in medijs residens annosa puellis.
Sacra facit tacite nec tamen ipsa tacet.
Et digitis Tria tura Tribus sub limine ponit.

Carna quoque siue Crana Dea liberans Procam filium regis Albani a strigibus obsessum.

Protinus arbutea postes Ter in ordine tangit. Ouid. Fast. 6.
Fronde Ter arbutea limina fronde notat.

Fuit enim Pythagoræorũ constans opinio numeros impares ad omnia esse vehementiores, in primis vero Ternariũ. Plinius natural. hist. libro 28. Terna despuere deprecatione in omni medicina mos fuit, atque ex hoc effectus adiuuati. Huic rei argumento est Claudia Vestalis, quæ in impudicitiæ suspitionem veniens, quo integritatem suam manifesto aliquo exemplo comprobaret, nauim, in qua mater Deum vehebatur cingulo

suo

suo duxisse narratur, prius tamen Ternario numero usa est inter precãdũ.

Ouid. li. 4. Fast.

Ter caput irrorat: Ter tollit ad æhera palmas,
Et subito nauim paruo conamine traxit.

Ferunt priscorum Theologorum fabulæ Cererẽ Deam toto errasse Mundo, cum Proserpinam filiam quæreret, cumque in Atticam diuertisset, a Celo Attico sene receptam hospitio. cuius beneficium, vt aliquo munere pensaret Ceres, filium eius infantem è cunis raptum immortalem reddere cum destinasset, sacrificia peregit:

Ibidem.

Terq. manu permulsit eum, Tria carmina dixit,
Carmina mortali non referenda sono.

Sed & Hippolytum fato functum, dum Aesculapius a Diana exoratus, ab inferis reuocatum pristinæ incolumnitati restituere intendit,

Ouid. li. 6. Faust.

Pectora Ter tetigit, Ter verba salubria dixit:
Depositum terra sustulit ille caput.

Ternarius etiam funeribus sacer fuisse perhibetur. nam fato functum proprio nomine Ter clarum inclamabant. fortasis quod ad nihil æque, ac ad propriũ nomen citius expergiscamur, ad quod si uitalis aliquis adhuc calor inclusus lateret, vitæ signum aliquod ederetur. quod si ne tum quidem se proderet Spiritus vitalis, de eo conclamatum dicebant. Vnde dicebantur conclamati. De qua Proclus inquit: Mortuorum vocationes Ter consueuimus facere. Apud Homerum Vlisses asserit se prius naues non recepisse, quam socios suos, qui in prælio contra Ciconas occubuerunt, Ter vocasset.

Οὐδ' ἀρά μοὶ προτέρωνῆες ἦτον ἀμφιελίσσαι
Πρὶν τίνα τῷ δειλῶν ἑτάρων τρὶς ἕκαστον αὐσαι
Οἳ θάνον ἐν πεδίῳ ὑπὸ δηϊωθέντες.

Theocritus:

Et supremum Ter voce ciemus.

Sed & Virgilius inquit:

Manes Ter voce vocauit.

De Pallantis etiam funere verba faciens, hæc canit Æneidos lib. 11.

Ter circum accensos cincti fulgentibus armis
Decurrere rogos; Ter mœstum funeris ignem
Lustrauere in equis, vlulatusq. ora dedere.

Item lib. sexto:

Tunc egomet tumulum Roethæo in littore inanem
Constitui, & magna Manes Ter voce vocaui.

Sed

Sed quid Ethnicos conamur afferre, ad huius numeri mysteria demonstranda? cum etiam in sacris litteris videamus complura arcana Ternario significata. Apud Iudæos quidem funeribus & vita defunctis consecratus erat hic numerus. Dauid enim Rex ab Absalone filio suo regno pulsus, tandem receptis viribus, & iusto exercitu conflato, ducum suorum auxilijs regnum recuperauit: tamen ducibus suis in prælium exeuntibus mandauerat ne filium Absalonem occiderent. ceterum contra quam Dauid præceperat, Absalon in bello perijt tribus hastis a duce Ioab confixus. quam filij necem Pater agre ferens, illum his verbis cœpit deplorare. 3. Reg. 18. & 19.

Fili mi Absalon, Absalon fili mi,
Absalon fili mi, Fili mi Absalon,
Fili mi Absalon, Absalon fili mi,

Tertia die populus Israel, cum exisset de Aegypto, ad montem Synai perueniens obtulit sacrificium Deo, & in die tertia legem accepit.

Sed & in Exhodo & in Iosue populus Iordanem transmissurus in die. Tertium paratus esse iubetur. Helias Ter infundit aquam super holocausta. 3. Reg. 18.

Tertio cum uerberasset asinam Balaam, apparuit ei Angelus. Nu. 22. 2. qect. 7 c. nos. §. ité Balaam.

Ter Balaam benedixit populo Israel. Num. 23. 24.

Ter Petro apparuit Angelus Domini, dum mentis excessus in eum cecidisset.

Tres viros Cornelius misit ad Petrum. Act. 10.

Ter in anno comparere omne masculinum coram Deo Mosayca lege Exho. 24. *sancitum, in Paschate, scilicet, Pentecoste, et die Tabernaculorum Pascha, id est, transitus Israel ex Aegypto, aut rerum ex non esse ad esse, cõpetit Patri, qui nos eripuit de manibus Diaboli. Pentecoste, quando lex tanta celebritate fuit data, competit: Filio collatio enim competit Filio et Verbo, in quo lex erat, antequam daretur, secundum Elchanam. Remissionum ac Tabernaculorum dies in memoriam umbraculi a nube in deserto facti respondet Spiritui sancto, in cuius virtute et numero datur remissio.*

Trinũ præterea cultum Deo exhibemus, cordis, linguæ, & operis, ne tres sunt gradus pœnitẽtiæ cordis, contritio, oris confessio, & operis satisfactio.

Ternario numerantur, & partes satisfactionis, ieiunium, eleemosyna, oratio. Deum quoque diligere iubemur ex toto corde, vt omnes cogitationes nostras; ex tota anima nostra, vt omnem vitam nostram; D Aug. de doc. christ. & quest. eubn. lib. 2. in Ciu. De. lib. 10. c. 4.

ex tota mente nostra, vt totum intellectum nostrum in illũ confirmamus, a quo habemus ea quæ conferimus.

Tres partes facit sacerdos sacratissimi corporis in Missa;
Ter dicit Agnus Dei, et Ter Sanctus.
Ter oportet dicere culpam suam, qui a peccato vult absolui.
Ter cum Centurione dicere oportet: Domine non sum dignus, si digne sanctam Eucharistiam sumere volumus.

Tres gratiæ a Deo proueniunt:
Præueniens, Illuminans, Perficiens.

Tria sunt vota sacerdotum claustralium:
Paupertas, Obedientia, Castitas.

Tria erant in arca fœderis:
Virga, Manna, Lex.

Nic. Cusã. de concor. cath. lib. 1. cap. 6.

Tria sunt in quolibet Sacramento: Nempe Sacramentum tantum, Res tantum, & Res ac Sacramentum simul. Et quemadmodum Homo ex spiritu, anima, & corpore constituitur; ita Sacramenta Ecclesiæ vnius sunt spiritus & sacerdotium, vt anima, & fideles vt corpus.

Tribus modis homo saluatur { *Agnitione suæ iniquitatis,* / *Obedientia,* / *Et in doctrina Christi perseuerantia.*

Per tria ornatur anima: { *Per cognitionem rectam,* / *Per sermonem veritatis,* / *Per operã iustitiæ.*

Per tria reuertitur Christus ad Ecclesiam vel ad animam: { *Precibus,* / *Ieiunijs,* / *Lacrymis.*

Tria sunt Ecclesiæ, vel cuiusque animæ:
Baptismus, Pœnitentia, Martyrium.

Tribus modis inuitat Deus ad se peccatorem:
Virtutibus signorum, Occulta compunctione, Ore doctoris.

Tres status sunt hominis, in quibus Deus posuit Adam: Primus vbi facultas illi data est manducandi & bibendi; secundus, in quem deuenit postquam de Paradiso eiectus est, vbi habuit mori; tertius, ad quem venturus esset per obedientiam consummatam, videlicet, ad supernam beatitudinem, in qua nulla necessitas manducandi et bibendi.

Tres

Tres paradisi: primus terrestris floribundus, in primordijs seculorum plantatus, et omni iucunditate amœnus, cuius incola protoplastus. secundus Ecclesia Sanctorum, quem fundauit & inhabitat secundus Adam cœlestis, id est, Christus. tertius etiam cœlestis est; quod est regnum Dei & vita æterna inuisibilis Sanctorum patria. In primo paradiso lignum vitæ est arbor materialis. in secundo lignum vitæ humanitas Saluatoris. in tertio lignum vitæ est sapientia Dei, fons vitæ, verbum Dei, et origo boni. Psal. 103.

Sed illud huius numeri admirabile videtur, quòd in tentationibus Ter a nobis superatus Diabolus, ita eneruis & confusus discedat, vt vltra nos adoriri vel nequeat, vel erubescat. Quare merito Satanas Pardo comparatus legitur, qui in capienda præda, nisi Tertio saltu eam fuerit assecutus, indignatus vltra aggredi cessat. Tanta est huius numeri vis & potentia. quod dico discere potes plurimis locis sacrarum scripturarum.

Tertio & nouissimo puteo effosso, cessauit iurgium. Et lib. Iudicum legitur, quod eum omnis Israel ad vlciscendum scelus Beniamin in Gabaa iubente Domino ascendisset, semel atque iterum cæsus, Tertio victor extitit. Quo docemur per Tertiam pugnam Deum perpetuam requiem ac triumphum præstare solitum. Sic Apostolus Paulus post Triplicem victoriam, per Triplicem orationem, impetratam, quieuit securus dicens: Propter quod Ter Dominum rogaui, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea. Sic Iamnes & Mambres magi Pharaonis, quia per ipsam mentis corruptionem iniquissimi fueruut, virgas in serpentes conuerterunt, aquam in sanguinem, & aquam fecerunt ranis ebullire, sed cyniphes educere minime potuerunt: vnde dixerunt sibi aduersum esse Spiritum sanctum. & ita defecerunt in Tertia plaga, quia primum miraculum non fuit plaga, ideoque in Tertio miraculo defeciſſe dicuntur, Gloss. prima quæst. prima, teneamus. verb. magi, & Augustinus de celebratione paschæ. Gen. 26. Iudic. 20. 2. Cor. 12. Ezech. 7. Ezech. 8.

Sic Satanas in bello Christo illato in deserto in pinnaculo templi, Ter repulsus & superatus receßit. Quare post Tertiam pugnam & victoriam IESV Christus quietus & triumphans dicebat apud Iohannem: Venit princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sic denique debellatis hostibus inferni die Tertia Matth. 4. Cap. 14.

Dominus resurrexit in gloria et pace. Hinc in Ecclesia ipsa die sanctissimæ Resurrectionis legitur Euangelium secundum Marcum, cui ex quattuor animalibus Leo per D. Hier. fuit attributus. Ait enim Adamantius Phisiologos hæc de catulo Leonis scribere. Eum quidem simul ac natus est, Tribus diebus & Tribus noctibus dormire, tum deinde patris rugitu tamquam tremefacto, concussoque cubilis loco, catulum dormientem expergefieri. Eoque trahit dictum illud a Iahacob in sacra lectione: Catulus Leonis Iuda, ad prædam Fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt Leo, & quasi leæna quis suscitabit eum? Atque etiam illud ex secundo Balaam responso: Recumbens vt Leo requiescet, & quasi Lœna, quam suscitare quis audebit? Quod dubio procul ad Christi sepulturam & resurrectionem pertinet.

Ezech. 1. Apoc. 4.

Gen. 49.

Num. 23.

Hactenus quæ sunt exposita fuerunt tamquam leuioris pugnæ præludia quædam. nunc conabimur, ordine quodam proposito, tractationem de Triade institutam persequentes, diuinam probare Trinitatem, a qua fluxerit aliquando triplex creatura sui Creatoris imaginem præ se ferens. Quemadmodum enim opus omne imaginem quandam & similitudinem refert sui opificis, adeo vt ex opere qualis sit opifex, & ex opifice quale sit opus futurum in promtu sit intelligere: ita in rebus omnibus animaduertere est Diuinæ Trinitatis effigiem in Vnitate substantiæ.

Deus summæ vigorositatis, nihil imperfecti, parui, & minuti in essentia habens, ocium necesse est abhorreat, aliter summe ociosus esset: & sic summa felicitas esset in pigritia & ocio, quod est impossibile. Et quoniam hoc sic est, quod apud Diuinam essentiam impossibile est ocium reperiri, consequens est illum summæ actionis existere. In omni autem actione perfecta Tria correlatiua necessario reperiuntur, quoniam nihil agit in seipsum, sed in aliud distinctum a se, & Tertium surgit ex agente & eo in quod actio fit, id autem est agere. Erunt ergo hæc correlatiua in essentia Diuina Tres Personæ. Quare Deum Trinum vocamus. Est enim Deus deificans, generans, iustificans, amans cum ceteris perfectionibus, quem vocamus Patrem. Est Deus deificabilis, generabilis, iustificabilis, amabilis, & sic de reliquis; & hunc Filium a Patre Genitum nominamus. Est postea Spirando deificare deificantis & deificabilis, id est, Patris & Filij, & sic iustificare, conciliare, & amare amantis & amabilis:

bilis: & hunc Spiritum Sanctum ab vtroque procedentem nominamus. Cum autem summa incommensurabilis bonitas vellet non solum intra se ab æterno producere, multiplicauit etiam creando in tempore extra se suam bonitatem. Sed non potuit Deus optimus ad imaginem alicuius extrinseci creasse omnia, nec ad alium finem; nisi ad summum, scilicet, seipsum. Quamuis autem difficile sit admodum in his infimis creaturis Diuinarum rerum coniecturam facere per similitudines, immo inconueniens dici possit ex humanis rebus imaginem colligere Diuinitatis, & res immobiles ad naturas fluxas exigere; Deus tamen sic ab initio temperauit notitiam sui, vt sicut numquam totus voluit comprehendi, sic numquam totus prorsus potuit ignorari. Et sicut totus noluit manifestari, quo fides haberet meritum, sic nec totus voluit occultari, vt infidelitas de ignorantia non excusaretur. Vt enim scribit a Sancto Victore: Deus conditor mundi contemplato mundo conspicitur, & qui videri non potest, fecit quod videri posset. Et visus est per id quod fecit. inuisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius Virtus & Diuinitas, ait Paulus ad Roman. primo. Quem locum expandens Scholiastes asserit potuisse Philosophos in lumine naturali peruenire ad tributa trium diuinarum personarum. Nos igitur operæprecium facturos existimamus, si in mundo angelico, celesti, sensibili, humano, vniuersaque creatura diuinæ Trinitatis imaginem quandam reperiri probabimus, vt his presidijs, & non parui ponderis coniecturis natura nos ad tantum mysterium erudiat, ad arcanumque tantæ scientiæ quatenus fas est attollat. Postquam igitur Deo non fuit satis sola sui ipsius contemplatione frui, sed operæprecium videbatur, vt quo plures beneficium sentirent, latius se ipsum diffunderet, deriuaretque (quod summæ benignitatis erat) primum quidem cogitatione concepit Angelicas potestates ac cælestes, et statim ipsa cogitatio transiuit in opus, quod verbo complebatur, & spiritu perficiebatur. Eorum enim quæ fiunt causſam Patrem cogites opus est; effectricem Filium; perfectricem Spiritum, ita ut Patris quidem uoluntate administri spiritus exsistant; actione uero Filij in rerum naturã producantur; Spiritus autem præsentia perfectionem accipiant, & expletionem. Sic sunt constituti velut secundi splendores, primi illius lucis ministri, siue eos dicas Angelos, siue spiritus intellectuales, siue ignem abomni materiæ pondere immunem et incorporeum, iuxta illud Psalmographi.

Actio ex. manans.

Psal. 103. *Qui facit Angelus suos Spiritus, et ministros suos flammam ignis; siue aliam aliquam naturam impatibilem, et mobilitatis expertem, ac tenuẽ, et simplicem ab his quas commemorauimus proximam. sed longo proximam interuallo. Ad hunc ergo modum Angelicus chorus, siue caelestis Hierarchia, siue Intelligibilis mundus institutionem accepit, & creationem. quantum nobis de his rebus differentibus paruo rationis lumine licet examinare. Postea vero quamprimum hoc opificium ipsi artifici satis arrisit, alium quendam mundum expressit cogitatione, qui & materia constaret, ac per hoc oculis corporeis pateret. atque hoc est vniuersum illud, quod ex caelo, terraq. et quæ in medio sunt, omnibus cernitur concretum ac concinnatum; laudabile quidem felici singulorum, ex quibus compingitur, statu, dexteritateq. laudabilius vero omnium rerum admirabili concentu, quo fit vt cum singula singulis pugnent, vniuersa tamen ad vnum mundum consummandum, mirabiliter conspirent. Sic materialis, corporeus ue creatus est Mundus. Ceterum nullum erat adhuc vtriusque temperamentum, nec aliqua diuersissimorum mixtura, quæ indicio esse potuisset, et sapientiæ maioris, et ingentis, quod Deus in creaturas insumeret impendij. Quare cum Artifex ipsum Dei Verbum hæc vellet ostentare, animal quoddam vnum ex vtraque natura visibili, scilicet, & inuisibili, nempe Hominem fabricat, corpore quidem a materia, quæ iam ante suppetebat, accepto; vita vero per ipsum indita, quam rationalẽ animam nuncupamus. Hunc compositum, vt alium quendam mundum in re tenui magnum, in terris constituit, vt mixtum quendam adoratorem, visibilis quidem creaturæ inspectorem, intelligibilis autem cultorem.*

Deus igitur cum Verbo suo & Spiritu Sancto, quæ Tria vnum sunt Deus vnus omnipotens, Tres condidit mundos Angelicum, materialem, & humanum; intelligibilem, scilicet, corporeum, & mistum.

Mundus { Angelicus, Materialis, Humanus, / Intelligibilis, Corporeus, Mixtus,

Omne autem quod creatum est, aut est extremum, aut medium; si extremum, intellectus est, aut angelicus, aut humanus; si medium, est sensibilis creatura posterior Angelis Homine prior creata. Angelicus intellectus est esse omnium, & vniuersalis omnium actus. sicut enim a materia abiunctus est; ita & sine specie intelligit, nouitq. omnia, non per ipsa omnia, neque per ipsorum omnium species; sed simpliciter, & per se, intuitu & contemplatione sui esse, antequam omnia fiant. Humanus intel-

lectus

lectus est omnium posse, & vniuersalis omnium potentia. Et quæcumq; intra vtrumque intellectum relinquuntur, sunt omnia secundum substantiam ex actu et potentia. Intellectus enim angelicus est, vt simplex omnium actus; humanus, vt simplex et vniuersalis omnium potentia. Quidquid vero superest, sensibile est, & eorum medium, ex actu & potentia. Fit igitur vt omnia sint tantum Tria, duo videlicet, extremi intellectus, quorum vterq. est omnia; & reliqua omnia, quæ vtriusque intellectus medio clauduntur. Et eorum quodlibet est quodlibet; & eorum quodlibet est omne; & omnia, omnia. Ante omnia igitur creatum est omne; Angelus, scilicet. In omnibus creata sunt omnia; cetera omnia. Post omnia creatum est omne; Homo. quod subijcitur oculis per sequentem figuram:

MVNDVS

Intelligibilis	Sensibilis,	Intelligibilis et sensibilis.
Angelus,	Cetera omnia,	Homo,
Extremum,	Medium,	Extremum,
Ante omnia	In omnibus	Post omnia,
Actus simplex,	Actus et potentia,	Potentia simplex,
Actus omnium,	Vtriusque vnio,	Potentia omnium,
Omne et totum,	Omne & totum,	Omne et totum,
Vnum.	Vnum.	Vnum.

Est enim horum Trium vnumquodq. vnum, totum & omne; quia Actus simplex est totus actus; Potentia simplex, tota & vniuersalis potentia; Actus & Potentia, simul totum sunt ex actu & potentia.

Creauit etiam Deus Vniuersale affirmatiuum, Angelum; Vniuersale negatiuum, Hominem, in quo nullus est actus a principio; Particulare affirmatiuum & negatiuum, cetera media.

Trifariam etiam Deus omnia creauit, in { Esse simplici, Posse fieri, Continue fieri, } per { Angelicum intellectum, Humanum intellectum, Esse & posse; }

quando humanus intellectus continue perficitur, fitque actu id quo fieri natus est.

Quidquid est, est vnum, & nihil est præter vnum. Angelicus intellectus vnus est: similiter & Humanus est vnus. Omnes item mediæ creaturæ inter vtrumque intellectum, sunt vnum aliquid. Sicut enim

in

in Trino rerum ordine, vtrumque extremum est vnum; ita & medium quodãmodo oportet esse vnum. Triplex igitur est vnum quod creatũ est.

Vnum ante esse, *Angelus:*
Vnum in esse, *Reliqua omnia:*
Vnum post esse, *Homo.*

Vniuersa deniq; creaturæ mediæ: (nãhæ sunt oĩa) { *Sunt in* { *Intellectu angelico, Seipsis, Intellectu humano* } *vt* { *Ante esse, In esse, Post esse* }
Subsistũt in { *Angelo, Seipsis, Homine* } *secũdũ esse* { *Intellectuale, Sẽsibile et naturale, Rationale* }

TRINITAS in mundo Intelligibili, seu Angelica Hierarchia.

Angelica hierarchia Triplici ordine distinguitur, et quilibet ordo Triplici choro, vt per omnes cælestium angelicorum spirituum choros sit Vnitas hierarchica, et signaculum Trinitatis et Vnitatis in Trinitate, et Trinitatis in Vnitate. Est autem Angelorum Ordo multitudo cælestium spirituum, qui inter se aliquo munere gratiæ similantur. Nec a mysterio vacat Angelicos Ordines sub Ternarij quadrato contineri. Est enim Trias Triniter prima summi illius principij numerus. summum autem primumq. principium ab vniuersis Theologis in eiusdem substantiæ Vnitate sub personarum Trinitate sine sui diuisione celebratur. Rationabile itaque est sacrum principij numerum nempe Ternarium in se ductum antistantium illi antiquissimarum ac immaterialium substantiarum peperisse frequentiam. Neque reprobandam iudicamus Raymundi Lullij rationem dum probat in Angelicis Choris esse maioritatem, æqualitatem, & minoritatem. Quemadmodum nouem, inquit, sunt glorificationes speciales in Diuinis, ita sunt nouem Ordines Angelorum. Gloriatur enim Deus Pater in se, in Filio, et Spiritu Sancto. Et Filius gloriatur in se, in Patre, & Spiritu Sancto. Et Spiritus Sanctus gloriatur in se, in Patre, & in Filio. Sic et omnes Angeli in Deo Trino et vno.

Sunt in superiori Hierarchia. { *Cherubim, Seraphim, Thronus* } *considerantes Dei* { *Bonitatem, Veritatem, Aequitatem.* }

In { *Cherubim, Seraphim, Thronis* } *Deus* { *Amat, Nosçit, Sedet* } *vt* { *Charitas, Veritas, Maiestas,*

Tri-

Triplex est & Ordo media Hierarchiæ. { Dominationes, regentes officia Angelorum, Principatus, capitibus præsidentes populorum, Potestates, potestatem Dæmonum coercentes.

In { Dominationibus / Principatibus / Potestatibus } Deus { Dominatur / Regit / Tuetur } vt { Maiestas, / Principatus, / Salus.

Triplici quoque ordine subsistit infima Hierarchia:

Habet .n. { Virtutes / Archangelos / Angelos } ad quos pertinet { Miraculorum operatio, / Negociorum denunciatio, / Solicitudo humanæ custodiæ.

In { Virtutibus / Archangelis / Angelis } Deus { Operatur / Reuelat / Mittit } vt { Virtus, / Lux, / Inspirans.

Huiusmodi autem gradatio in Angelica seu spirituali natura necessaria censetur, sicut & in corporali, cum in tali gradatione totius vniuersi pulchritudo consistat: & certificatio æqualitatis et inæqualitatis fiat per gradus perfectionis Tribus modis, scilicet, aut per excessum, siue secundum maius; aut secundum minus; aut secundum æquale: Et sic assignantur Tres Hierarchiæ, Tribus Ordinibus distinctæ. Sunt tamen qui putent repugnare rationi, Cherubim, scilicet, considerare Dei bonitatem; & in Cherubim Deum amare, vt charitatem, quinimo hoc de Seraphim, qui præ ceteris ardent charitate dicendum putant; interpretatur enim ardens, vel succedens, quare dici potest in Seraphim, Deum amare, vt charitatem, ac Seraphim considerare diuinam bonitatem; Cherubim vero, cum præ ceteris in scientia eminere dicantur (interpretantur enim scientiæ plenitudo) asserimus considerare Dei veritatem, atque in hoc ordine Deum vt veritatem agnoscere. Aug. in ps. 79.

{ Seraphin, / Cherubin, / Thronus } considerant Dei { Bonitatem, / Veritatem, / Aequitatem.

In { Seraphim / (herubim / Thronis } Deus { Amat / Noscit / Sedet } vt { Charitas, / Veritas, / Maiestas,

Hoc igitur modo dispositi sunt Cælestes Ordines Angelicarum mentium secundum Greg. Pap. Hom. 34. super Luc. capit. decimoquinto Bernar. lib. quinto de cons. ad Eugenium, Petrum Lombar. sent. lib. 2. dist. 9.

Sera-

Seraphin, Cherubin, Throni:
Dominationes, Principatus, Poteſtates:
Virtutes, Archangeli, Angeli:

Apud Athanaſium Alexan. lib. quæſtionum cap. 4.

Throni, Cherubin, Seraphin:
Dominationes, Virtutes, Poteſtates:
Principatus, Archangeli, Angeli:

Hugoni a Sancto Vict. de ſacramentis fidei lib. 1. part. 5. cap. 33.

Cherubim, eraphim, Throni:
Dominationes, Virtutes, Poteſtates:
Principatus, Archangeli, Angeli:

Raymundo Lullio.

Seraphin, Cherubin, Throni:
Poteſtates, Virtutes, Dominationes:
Principatus, Archangeli, Angeli:

Iuxta Dionyſium Areopagitam lib. de Cæleſti hierarchia.

Seraphim, Cherubim, Throni:
Dominationes, Virtutes, Poteſtates:
Principatus, Archangeli, Angeli:

Suprema Hierarchia, vt idem ſentit Dionyſius, ſoli contemplationi vacat, Deumq. perenni ſono, continuaq. aſſiduitate nullo vnquam tempore deſutura collaudat: Media cæleſtibus officijs atque muneribus delegata, per firmamentum, quod ab excellentia Cælum appellant, ſignificatur: Poſtrema, & ſi natura ſupra omne corpus eſt, ſupraq. cælum, curat tamen ea quæ ſub cælo ſunt. cum enim diuidatur in Principatus Archangelos, & Angelos, omnium horum munus circa ea tantum verſatur, quæ ſub Luna ſunt. Principatuũ cura circa Reſpublicas, Principes, ac Reges, vt ex Daniele cognoſcimus; Archangelorum circa myſteria, & ſacras cæremonias; Angeli priuatis ſtudent rebus, et ſinguli ſingulis hominibus adhibentur, vt aſſerunt Damaſcenus, Origenes, Gregorius Papa Hieronymus lib. 3. ſuper Matthæum, Auguſtinus lib. 83. qq. 10. Picus in Heptaplo lib. 3. cap. 3.

Tres Dionyſio ſunt actiones Angelicæ:

Purgatio, Illuminatio, Perfectio,

ita inter ſe diſtributæ vt purget vltima Hierarchia; illuminet media; ſuprema perficiat.

Tri-

Triplex Angelorum cognitio:

Habet.n. Angelus cognitionem { *Matutinam.i.cognitionem rerum in verbo,* / *Meridianam.i.apertam Dei visionem,* / *Vespertinam.i.cognitionem rerum in se.*

Triplex Angelorum status:

Innocentiæ, Gratiæ, Gloriæ.

Ternario rursum distinctus est Angelorum motus apud Dionysium.

Circularis, Rectus, Obliquus.

Triplex item in Angelo mobilitas est, nempe:

Naturæ, Intelligentiæ, Voluntatis.

Naturæ mobilitatem habet, quia omne creatum est vertibile in nihilum, nisi a Deo contineatur. Intelligentiæ quoque mobilitate ditatus est; quia licet in Angelo non sit intelligentiæ vicissitudo, quo ad scita in Verbo, cum deiformem habeat intellectum, potest tamen in eo quo ad cognitionem rerum in propria natura esse vicissitudo intelligentiæ, & quo ad discenda. Et hoc est quod dicit Augustinus: Omne creatum habens intellectum, intelligit vnum, et post, aliud. Habet denique Angelus voluntatis mobilitatem, quia non simul vult hoc, & illud.

TRINITAS in Ecclesiastica Hierarchia:

Militans. Dormiens. Triumphans.

Trinitas in Ecclesia militante:

Virtus regitiua, quæ est in Ecclesia, ex qua pastoralis omnis cura, tres Ordines habet varios, & in quolibet tres choros.

Primus, Secundus, Tertius } *Ordo constituitur ex* { *Papali, Patriarchali, Archiepisc.* / *Episcopali, Archidiac. Decanali.* / *Sacerdotali, Diaconali, Subdiac.*

Etiam in Ordinibus Religionis, et illius partis Ecclesiæ quæ spiritualior censetur, sunt nouem Chori ab Episcopali, vsque ad Monachalem supremus Ordo ex Episcopali, Sacerdotali, & Diaconali constituitur totus sacer; medius ex Subdiaconatu, Acolito et Exorcista mixtus; infimus ex Lectorali, Ostiariali, et Tonsorali. Monachatus autem ad Tonsoralem connectitur chorum, quoniam est vt medium inter laicos, & Clerum.

Tres sunt status bene viuentiũ in Ecclesia, quos enumerat Aur. Aug. de Ciuit. Dei lib. 1. cap. 28. et Ambr. lib. de Viduis,

Virginalis castitas, Vidualis continentia, Thori coniugalis fides.

de

de quibus etiam Matt. 13. in parabula seminantis, in qua ponit Triplicem differentiam bonæ terræ, reddentis fructum,

Centesimum, Sexagesimum, Trigesimum.

Ternarius numerus in his qui salute æterna donantur.

Greg. Naz. in S. bapt. *Eorum qui salutem assecuntur Tripartitus est ordo. Primus est Filiorum, cum quis Dei amore flagrans præclare vitam instituit: quandoquidem filius nec verborum metu, nec præmij, ac mercedis spe, sed amore patrem colit atque obseruat. Medius Mercenariorum, cum quis futurorum bonorum pollicitatione illectus probis atque honestis actionibus se ipsum addicit. Postremus seruorum, cum quis suppliciorum metu, virtutis studium amplectitur.*

Aug. lib. d Vrbis excideo. Ezech. 14. *Tres sunt viri apud Ezechielem, quos Deus de magna tribulatione liberaturus est, Nohe, Daniel, Iob.*

In quibus Tria hominum genera significantur. Jam enim illi Tres Viri dormierant, & apud Deum sunt spiritus eorum; quare nullam timent, a qua liberari debeant, tribulationem. In Nohe significantur Præpositi boni, qui regunt & gubernant Ecclesiam eo modo quo Nohe in Diluuio gubernauit arcam. In Daniele Somnes ancti continentes. Jn Iob omnes coniugati iuste; & bene viuentes. Hæc igitur sunt Tria hominum genera, quæ liberat Deus, Præpositi, Continentes, Coniugati.

Trinitas in Ecclesia Triumphante.

Lib. de sacram. c. 21. *Beatitudo nostra Trinitate perficietur secundum Hug. a sancto Vict.*

Ibi .n. { *Esse, Nosse, Amare* } *nostrum non habebit* { *Mortem, Errorem, Offensionem.*

Idē. c. 22. *sed* { *Vacabimus, Videbimus, Amabimus* } *&* { *Videbimus, Amabimus, Laudabimus.*

Tria rursum principalia erunt in Paradiso, quæ commemorat Psalmographus, Psal. 111.

Gloria, Diuitiæ, Iustitia.

Ecce quid erit in fine sine fine,

Trinitas in Cælesti Mondo.

Jnterrogatus Anaxagoras, cur nam se natum arbitraretur, respondisse fertur: Cæli ac Solis videndi caussa. digna profecto Philosopho sententia. Nam qui rem tota pensitarit comperiet cæleste charitatem

adeo

adeo præcellere naturæ quadam præsigni maiestate, vt in illa vitali luce Diuinæ Triadis mysterium facile sit deprehensurus, quando Vertiginosus ille motus ampliorem nobis indicat potestatem; Lux nitidissima sapientiam; Calor suauissimus Amorem. Quibus, videlicet:

Potestate, Sapientia, Amore,

a Deo mouentur, illustrantur, perficiuntur atque seruantur vniuersa.

Triplex dimensio reperitur in cælo relato ad terram seu ad centrum. sunt enim Tres viæ continuæ, nempe Longitudo summo ad imum, vel è conuerso; Latitudo a dextro ad sinistrum; Altitudo ab ante, & retro. In Cælo igitur ad terram relato, relatio circumferētiæ ad centrū caussat lō gitudinem ascendendo & descendendo. Ordo vero signorum in circulo aliquo facit altitudinem, quia ab occidente, in orientem facit ante; sed retro est ab oriente, in occidentem. Alius vero motus facit latitudinem, id est, dextrum, ad sinistrum.

Triplex est planetarū circulus, Deferens, Aequans Epicyclus.

Triplex est gradus in quinque planetarum cursu, quia quandoq. planeta est retrogradus, quandoq. stationarius, quandoq. directus. Quasi stationarius Pater a nullo est procedens. Sed quasi retrogradus est Filius carnem assumens. tunc enim Sol retrocedit ad decimam lineam, quemadmodum figuratum Esaiæ cap. 38. id est, vsque ad humanam naturam, quæ quasi decima est post nouem Ordines Angelorum, vt aperte monstratur numero Denario. Quasi Directus est Spiritus sanctus qui missus est ad directionem fidelium. Vnde Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me.

Planeta { Stationarius, Pater,
Retrogradus, Filius,
Directus, Spiritus sanctus.

Cælestia luminis subiecta, & luciferæ faces sunt trinæ, Sol. ceteri Planetæ, qui erratici dicuntur. & stellæ fixæ. Sol enim fons est et lucis initium, a quo in ipsos errones et in firmamenti stellas deriuatitia lux transfertur.

Trinitas ī corporib. cælestib.

Corpora cælestia diuiduntur in Lucentia, Non lucentia, & Diaphana Lucens est Sol. Non lucens stellæ & planetæ: lumen enim suum a Sole recipiunt. Diaphana corpora sunt omnes sphæræ cælestes.

Corp. cælest. { Lucens, Sol,
Non lucens, Stellæ,
Diaphanum, Sphæræ.

Baptist. Egnat. racemat. 21.

Tres & sphærarum sunt status.

Centrum, Dimetiens, Circumferentia.

Syderum quoque totidem.

Propodismos, Hypopodismos, Achronychia.

Triplex in sphæris cælorum est differentia, est enim aliquod cælum mobile & stellatum, vt Firmamentum, cum quo septem planetarum orbes sub eo existentes computantur. Aliquod vero est mobile, sed minime stellatum, vt nona sphæra, Tertium quod nec est mobile, nec stellatum, sicut Empyreum, quod est Beatorum locus, ad quod raptus est Paulus Apostolus.

1. Cor. 12

Cælum { *Stellatum mobile,* / *Mobile carens stella,* / *Immobile sine stellis.*

In Sole eniteſcere imaginem Diuinæ Trinitatis miram.

Quod Sol in sensibilibus, hoc Deus in intellectibilibus. Quemadmodum ille visibilem mundum illuminat, eodem hic modo inuisibilem. Vt ille eos, qui aspiciunt, claros efficit; ita hic Diuinos reddit. Sicut vnus est Sol, sic vnus est Deus. In Sole sunt tres quasi personæ Solis, scilicet, substantia, radius, & lumen. Radius discedit lampadis instar percutiens terram: Lumen illuminat loca tenebrosa absque radio. Ecce itaq. tres quasi personæ, corpus solare, radius, lumen: Non tamen dicimus tres soles, sed vnum: nec vnam dicimus personam, sed tres. Namq. si fueris interrogatus quot sint in cælo soles, respondebis profecto vnum esse tantum. At si de personarum numero facta quæstio fuerit, respondebis nimirum tres, solare corpus, radius, & lumen. Eãdem quippe de Deo responsionem afferre licet, Deus. n. vnus, personæ autem tres, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Vt igitur in Sole tria sunt distincta; ita est & vnus Deus trium personarum. Pater ipse est corpus solare, Filius autem est radius, et Spiritus sanctus est lumen Solis. Et sicut in Sole est corpus solare, est radius, & lumen, & tamen vnus est Sol, non tres; similiter & in Deo Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnus Deus, nõ tres sunt Dij. Sicut simul sunt corpus Solis, radius, et lumen sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et quamquam vtrique causa est Pater, non tamen antiquior est, nõ hercle magis quã Sol illis tẽpore prior. Et quemadmodum substantia Solis producit radios, & a Sole & radijs procedit lumen: ita Pater generat filium, et a Patre & Filio procedit Spiritus sanctus. Et sicut radius Solis descendit de cælo ad terram, & cor-

Gẽnadius Scholari⁹.

Trinitas corporis cælestis

pore

pore Solari, et nō separatur, et neq. a cælo abest, neq. a terra, sed est in corpore Solari, in cælo, in terra, & vbiq. neque sursum neque deorsum abest: ita & Filius Dei descendit in terram, et neque a Patre abest, nec a cælo, nec a terra; sed fuit semper & est in gremio Patris, inseparabilis, & sursum, & deorsum, & vbiq. & numquam deest. Et quemadmodum est lumen solare & in corpore solari, et in radio, et in cælo, & in terra, & ingreditur interiora domus, & omnia illuminat: ita & Spiritus sanctus, vbiq. et cum Patre, et cum Filio est sursum & deorsum, et omnes homines illuminat, et nullibi deest. Spiritus enim, vt ait Paulus, etiam inquirit et profunditates Dei, Solitaque visibilis & vnus est, & in se habet Tria distincta pariter & vnita. Quare Solem credidit Plato perspicuam Dei statuam esse in hoc templo mundano ab ipso Deo positam, quem etiam, vt refert Plotinus, venerabantur vt Deum. Et Heraclitus vocat fontem cælestis lucis. Et qui non videt Solem in mundo esse imaginem, vicariumq. Dei, is certe noctem numquam considerauit, nec Solem suspexit exorientem, nec illius animaduertit munera. Extat et alia Triadis effigies in Sole, qua Deum veneratur homo. Tribus enim differentijs mortalium oculis Sol reuelatur: primo in ortu, deinde in meridie, tertio in occasu. In septentrione autem, et media noctis puncto nobis est occultus. Sic prisca Theologia tres regiones faciens, Ortum, Occasum, et Meridiē: Inferos in septentrione locabat, propterea quod Sol numquam eo perueniat: quemadmodum & sacræ litteræ impios ad sinistram a Deo in extremo iudicio sistendos asserunt: sinistram vero in eodem septētrione eße priscis Theologis quis dubitet? nam T. Liuius libro ab vr. con. primo, dexteras ad Meridiem partes Augurū instituto, ad Septentrionē sinistras statutas ait. Atq; ad hanc sententiam facit, quod Psal. 88. legitur: Aquilonem et dextrum tu creasti, quod nos mare interpretamur: vnde quia in sinistra constituta sunt mala per Hier. Prophetam, dicit Dominus: Ab Aquilone exardescent mala. et rursum: Malum ego adduco ab Aquilone. item alibi: Vox auditionis ecce venit, et commotio magna de terra Aquilonis. Consentiunt Platonici qui aßerunt septentrionales dæmones esse malos. idipsum cōprobāt Astronomi. Orbe. n. in quattuor quadrantes diuiso, partibus extremis Aquilonaribus Martē, et Saturnū Ptolmo. tribuit. Quare nullum inuenias ad septentrionem suas fundere preces, sed Lex Hermetis, et Maumethi ad meridiē adorat: Lex Moysi ad occidentem. Lex Pythagoricorū, et Christianorū ad orientem. Pythagorici quidē

1. Cor. 2.

Matth. 25.

c. 1. 4. 10.

ideo adorant ad orientem, non quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus, aut specialiter habitet; sed quia Deus lux est vera dicitur que; eam ob caussam ad creatum istud lumen conuersi, non illud quod creatum est lumen, sed eius luminis Creatorem adorant, & ex elemento omnium splendissimo, omnium splendidissimum Creatorem Deum venerantur. Nos autem fideles scimus, quod Apostoli Christianorum Ecclesias ideo instituerunt orientem versus orare, vt ad paradisum respicientes, suppliciter a Deo petamus, vt in antiquam nos patriam & locum, vnde cecidimus, restituere velit. Sed & Spiritus sanctus per Psalmographum precipit, vt adoremus ad locum vbi steterunt pedes Domini. Docet autem Zacharias Propheta, pedes Domini stare in oriente in monte Oliuarum è regione Hierusalem. Apollini quoque, qui idem cum Sole est, Tripos datus est, ob Ternarij numeri plenitudinem. deinde etiam a Tribus aquidistantibus circulis, quorum vnum quidem secat Sol anniuersarium motum conficiens, ac duos pertingit tropicos. Hinc Albericus lib. de Deorum imaginibus: Apollo, inquit, sub pedibus depictum habebat monstrum, cuius corpus erat serpentinum, triaque habebat capita, Caninum, scilicet, Lupinum, & Leoninum, quæ quamquam inter se diuersa forent, in vnum tamen corpus coibant, vnam solam habentia caudam. Dicebat item Pythagoras vaticinari Apollinem ex Tripode, eo quod per Trinitatem primus numerus.

D. Athan. lib. quæst. cap. 14.

Psal. 131. Zach. 14.

Zach. 14.

Phornut.

Iamblicus in uita Pythagoreæ.

Trinitas in his quæ in Mundo sunt.

Sol primus est, & per se lucidus, ipsiusq. lucis initium. a Sole lux in Lunam deriuatur. a Sole vero, et Luna, in Terram. Sol a nullo lumen recipit. Luna a Sole illustratur. Terra ab vtrisque.

Sol,	Luna,	Terra,
Per se,	Ab vno,	Ab vtroque,
Pater,	Filius,	Spiritus sanctus.

Ex his quæ sunt in Mundo manu ducitur ad cognitionẽ Diuinæ Trinitatis. Mundus enim sine Fecunditate, Prole, et Amore perseuerare non potest. nam his sublatis, Mundum deficere oportet. Et Fecunditate Partu et Amore vnus est Mundus. Vnius igitur Mundi sunt Fecunditas, Partus, et Amor. Nec Fecunditas est alius Mundus, et Partus alius, et Amor alius, sed sunt vnus & idem Mundus. Et sic hæc sunt vnius Mundi, vt nihil Mundi sit absque illis, participatur enim Fecunditas

mundi,

mundi, & partus, et amor in Angelis, angelice; in Hominibus, humane; in brutis (vt ita dicã clarioris doctrinæ gratia) brutaliter; in mineris, mineraliter; in sole, solariter; in entibus, entice; in elementis, elementaliter; & ita de singulis suo modo. Et vnde habet Mundus illa, vt sit necessario ita Trinus, sicut vnus, nisi a Creatore? Est enim in Deo naturalis hæc perfectio, quam omnibus tribuit, vt sint meliori modo quo esse possunt. Nam sine hac Trinitate Mundus naturam non haberet; neq; naturalem imperfectionem: nec benedictionẽ a Deo possideret, quæ in vnitate essentiæ sic Trinitate lucet. Quemadmodũ igitur Creator est vnitrinꝰ; ita et creatum Trinum, & vnum est, cui creatũ a se nihil sit, & omne id, quod est in hoc subsistat, quod est imago, et similitudo Creatoris. Trinitas igitur, quæ in creatura videtur est a Trinitate increata, tamquam imago ab exemplari; et caussatum, a caussa. In Diuina igitur natura est Fecunditas, Proles, et Amor. Fecunditas Deus est, qui & origo, & Pater. Proles autem ipsius Fecunditatis, Filius. Amor vtriusque nexus.

Fecunditas, Proles, Amor.
Pater, Filius, Spiritus sanctus.

Trinitas eadem in intellectuali natura.

In natura etiam intellectuali speculatiua, quæ magis Deo similis est, quanta sit Fecunditas, Proles, & Amor, ostendunt libri innumerabiles nam quot theoremata circa veritatem genarauit intellectualis Fecunditas? quot delectationes processerunt ab illis, & suauitates spirituales, quæ fecerunt illos pro nihilo habere gaudia huius mundi? In illa enim natura intellectuali est Fecunditas, quæ de se generat Verbum, seu conceptum intellectualem, et ab ipsis procedit amplexus seu voluntas. Quando enim mens verbum generat, seu notitiam, statim procedit amplexus, seu voluntas, sicut enim id quod non scitur, non amatur; ita non potest non procedere a mente & notitia voluntas. Scientia enim est de numero bonorum honorabilium. bonum autem est quod appetitur, omnia enim bonum appetunt.

Trinitas ad omnem effectum concurrens.

Trinæ actionum nostrarum sunt caussæ; Trina agendorum initia; Triæ ad omnem effectum concurrentia. quorum si quid defuerit, nihil absoluitur: et, si adsint omnia, pariter consummantur.

Scientia, Potentia, Voluntas.

Vbi igitur hæc Tria, Intelligere, Posse, Velle, vna, & concordi

chorea inuicem colligantur, libera est, facilis, et non impedita actio; si tollas vnum aliquod, perfectionem imminuis. Hac Trinitate rerum conditor Deus opera sua perfecit. Nam cũ sit ipse perfectus, in ipso perfecta sunt oĩa, quæ neque in parte augeri possunt, quia plena sunt; neque in toto consummari, quia perfecta sunt; neque in vnitate diuidi, quia vnũ sunt.

Aliud Trinitatis vestigium est in creaturis omnibus, quod sexto de Trinitate comprobat Aug. quando in vnoquoque est quod ad Diuinas personas, ceu ad caussam referre debeas. quodlibet enim subsistit in suo esse; habet formam, per quam determinatur ad Speciem; habet ordinem ad aliquid aliud. Patrem indicat substantia; Verbum autem forma, vt quæ ex Artificis conceptione proueniat; Spiritum sanctum nobis præfert ordo. amor est enim, ac ordo effectus ad aliud quippiam ex creantis voluntate profluit.

Substantia,	Forma,	Ordo,
Pater,	Verbum,	Spiritus sanctus.

Quæ significantur ab eodem Aug. lib. octogintatrium quæst. dicente.

Quod constat,	Aliquid enim	Constat per substantiam,
Quod discernitur,		Discernitur per formã,
Quod congruit.		Congruit per ordinem.

Adhæc Tria reuocantur & illa Numerus, Mensura, Pondus, de quibus meminit auctor libri Sapientiæ: Cap. 11.

indicat enim	Substantiam,	Mensura;
	Speciem,	Numerus;
	Ordinem,	Pondus.

Vniuersa quidem Mẽsuram habent ab illo artificis spiritu, qui unicuique conuenientem tribuit portionem. Numerum ab illa summa vnitate, & fonte omnium numerorum. Pondus ab illa sapientia, quæ omnia librat.

Quia Trinitas est in vnitate, gerit intra se omne creatum in suo esse Trinitatis imaginem, per hoc quod

habet	Esse,	Virtutem,	Operationem:
est ex	Potentia,	Obiecto,	Actu.

est ex suis innatis correlatiuis. sicut enim Diuina bonitas est ex bonificante Patre, bonificabili Filio, & bonificare Spiritu sancto; ita bonitas effluxa hoc Trinitatis vestigium intra se gerit, vt nulla bonitas creata esse possit sine

Bonificante,	Bonificabili,	Bonificare.

Ita

Ita quidem de amore, esse, veritate, et ceteris omnibus a Deo effluxis. Ergo in omnibus infimis, & supremis creaturis, vt ait Diuinus Dionysius, est Essentia, de qua generatur Virtus. ex his autem procedit Operatio, quæ fit per motum: omnis autem motus dicitur Spiritus, sicut aer motus dicitur ventus, seu Spiritus. Nic. Cusa. li. 2. excit. Fid. cath.

Essentia, Virtus, Operatio,
Pater, Filius, Spiritus sanctus.

Trinitas in omni essentia.

Omnis essentia cuiuscumque creaturæ est ex
Posse, Actu, Vnione.

Posse se mouet vt ex se eliciat actum; ex posse, & actu oritur vnio, quies, & delectatio. Potentia enim visiua exerit actum, & oritur visio, in qua delectatio est, et quies visionis. Item ex potentia intellectiua oritur notitia, seu sapientia, vt intellectus ex sua potentia actum exerat: atque ab vtroque procedit delectatio, et quies.

Alia Trinitatis similitudo in creaturis.

In omni creatura alia exprimitur Trinitas, nimirum:
Quia est, Quia sic est, Quia ad aliquid est.

Quodlibet enim creatum quantumcunque paruum: primo habet esse cum omnibus alijs commune; dein & propriam formam, qua distinguitur ab omnibus alijs; postremo & suum finem, in quem ordinatur. Nihil enim frustra creatum est: et quo nobilior in se est aliqua creatura, eo perfectius in se illa habere dignoscitur. Homo enim habet suum esse, suam formam, suum denique finem; sed omnia hæc perfectius cæteris creaturis.

Tria quoque in quaque creatura requiri scribit August. scilicet: Lib. 11. ciuit. di. cap. 23. 24.

Quis eam fecerit, *Deus,*
Per quid fecerit, vt respondeatur *Per verbum,*
Quare fecerit. *Quia bonus.*

Gen. 1.

Pater. n. intelligitur verbi, qui dixit, vt fiat; quod autem illo dicente factum est, proculdubio per verbum factum est. In eo vero quod dicitur: vidit Deus quia bonum est, satis significatur Deum nulla necessitate, nulla sua cuiusque vtilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factũ est, id est, quia bonum est, quod ideo posteaquam factum est, dicitur, vt res, quæ facta est, congruere bonitati, propter quam facta est, indicetur. Quæ bonitas, si Spiritus sanctus recte intelligitur, vniuersa nobis Trinitas in suis operibus intimatur.

Nic. Cusa. li. 2. exoit. Fid. Cath.

In creaturarum { *Magnitudine* / *Dispositione* / *Ornatu* } *cognoscitur* { *Potentia Patris*, / *Sapientia Filij*, / *Bonitas Spiritus sancti.*

Nic. Cusa. ibidem.

In quolibet individuo inuenies { *Vnitatem* / *Speciem* / *Vtilitatem* } *conuenien:* { *Patri*, / *Filio*, / *Spiritui sancto.*

In omni creatura est { *Vnitas* / *Veritas* / *Bonitas* } *siue* { *Modus* / *Species* / *Ordo* } *vt sit in omni creatura, quo vna ostenderetur principij vnitas; & quo Trina personarum Trinitas.*

Adhuc in omni creatura relucent Dei

Potentia, Sapientia, Benignitas.

Potentia Dei apprehenditur per immensitatem creaturarum; Sapientiam decor; Benignitatem vtilitas ostendit. Immensitas in multitudine, et magnitudine attingitur. Decor in situ, motu, specie, & aqualitate. Vtilitas in grato, apto, commodo, necessario.

Immensitas, Decor, Vtilitas.

SVBSTANTIA Trina.

Tria in se genera habet Substantia, secundum Peripateticos; vnum eorum, quæ sensibus subijciuntur, & generantur, & intereunt, de quibus nemo vnquam dubitauit. eiusmodi sunt animalia omnia, & quæ gignuntur è terra. Alterum ea complectitur, quæ licet sub aspectum cadant, semper tamen sunt, neque vllum habent ortum: cuiusmodi illam quintam naturam Diuinam esse arbitrantur Peripatetici, ex qua cælestes Sphæræ, & Stellæ vagæ, & inerrantes constitutæ sunt. Tertium genus earum substantiarum est, quæ nullo motu agitantur. eas Pythagoras, & Platonici simplices, & ab omni corporis societate liberas esse dicunt. sed hoc tertium genus a Platonicis secatur in duo; Mathematicas, inquam, formas, & Ideas. Verum Pythagorici, et Peripatetici Ideas repellunt; & Mathematica relinquunt.

Triplex est Substantia, Materia, Forma, Compositum: sic et Triplex definitio per Materiam, per Formam, per Compositum, & illæ tantum sunt perfectæ.

Arist. primo physi.

Tria sunt vera principia rerum naturalium omni composito concurrentia, scilicet, Materia, Forma, et Priuatio. nam vnum subiectum (hoc est Materia) quod Græci hylen vocant, sufficit ad patiendum: &

duo

& duo contraria, scilicet forma & priuatio, ad agendum.

Tria generationis et corruptionis sunt principia, Materia, Forma, & Efficiens ad generationem & corruptionem requisita. Nam nihil est mobile, nisi habeat materiam; & materia nuda non potest esse mobilis, cum non possit existere: ergo in motu requiritur forma: Et cum nihil reducit seipsum de potentia ad actum, ergo requiritur Efficiens. Arist. lib. de generatione & corrup.

Platoni Tria sunt vniuersorum principia. Mens quæ opus conficit. Materia fit, ex qua fabricatur. Exemplar, quod cum aliquid fabricat.

Tria apud Orphæum ab initio rerum principia pullularunt. Nox, Terra, Cælum.

Trinitas in Natura.

Elementorum quædam sunt simpliciter leuia, vt Ignis; quædam simpliciter grauia, vt est Terra; Quædam grauia & leuia, vt Aer, qui est grauis respectu ignis, leuis respectu terræ; & Aqua, quæ est leuis respectu terræ, & grauis respectu aeris.

Respectu loci est in elementis Trinitas. Tria enim dumtaxat Elementa se contingunt in loco generationis, scilicet, Aer, Aqua, Terra.

Prisci Theologi asserunt in Alphabeto Hebræo tres esse litteras, Tria significantes Elementa, Terram, Aquam, Ignem: ex quibus vniuersa componantur, & conglutinentur per aerem, quem non elementum, sed glutinum Elementorum esse affirmant.

Trinitas in Igne.

Inuenimus in Igne Tres Diuinas proprietates: prima ipsa est substantia corporalis quod Ignis est; deinde splendor eius, qui in ipso permanet; Tertia calor, qui ab vtrisque procedit. quæ hoc modo æstimanda videntur, vt quod est in igne substantia corporalis, ita intelligatur in Trinitate quodammodo persona Patris; & quod est in igne splendor eius, hoc sit in Trinitate persona Filij, sicut Apostolus dicit. Splendor gloriæ eius; quod autem est in igne calor, hoc est in Trinitate persona Spiritus sancti, sicut legitur in Psalmo: Quis se abscondet a calore eius? In Igne igitur primo animaduertitur ipsa fecunditas sensibus nostris prorsus occulta; deinde lux eiusdem manifesta ex ipsa manans fecunditate, ipsique semper æqualis; postremo est ab vtroque propagata vis calefactoria penitus vtrisque par. Cass. Sen. in psal. 50. Hebr. 1. Sal. 18.

Ignis,

Ignis	*Pater*	*A nullo*
Splendor	*Filius*	*Ab vno*
Calor	*Spiritus sanctus*	*Ab vtroque.*

Triplex esse habet ignis. Est enim ignis purus in propria sphæra; ignis coniunctus rei combustibili, videlicet, in aliena materia; Ignis mixtus, scilicet, in re elementata, in qua secundum quosdam Ignis et alia elementa sunt actu, non quo ad esse primum, videlicet, formarum substantialium; sed quo ad esse secundum, nempe qualitatum suarum, quæ sunt reducta ad medium; & ideo sunt ibi sicut extrema in medijs, & secundum aliquos non sunt ibi in actu; sed in virtute.

Tria habet interstitia sphæra Ignis, videlicet: supremum, quod vocatur igneum; medium; & infimum, quod dicimus Olympum.

Arist. Top. lib. 5. c. 15.

Tripliciter apparet Ignis, nempe in

Flamma, Luce, Carbone.

Trinitas in Aere.

Tres sunt aeris regiones, seu partes secũdum diuersas qualitates differenter, scilicet: suprema, quod dicitur athereum; media; et infima, quod uocatur aereum. Suprema lucida, et excessiue calida, & sicca exsistit propter ignis vicinitatem, cui contigua est, atque circulariter cum ipso ad motum cælorum rapitur. Semper enim vnum elementum circundat alterum, & est altero in decupla quantitate maius. Infima simili modo lucida & calida, atque humida ob radiorum Solis repercussionem a terra, temperata per accidens: quandoq. frigida, ob solis elongationem, seu distãtiam multam. Media autem est perpetuo frigida, quia radiorum solarium reflexio eo pertingere nequit. Frigiditatem eius, effectus in ea geniti, probant.

Aer	*Supremus*	*Calidus*	*Lucidus*
	Medius	*Frigidus*	*Opacus*
	Infimus	*Calidus*	*Lucidus.*

Trinitas in Aqua.

Aquarum natura Triplici uirtute fungitur, id est: Liquida, Fecunda, Potabili. Hinc Neptunus aquarum præsul Tridentem ferre pingitur, ipsiq. Amphitritem in coniugium deputat. Amphi enim græce circum circa dicimus, eo quod omnibus Tribus elementis conclusa sit aqua, nempe in Cælo, Aere, id est, nubibus, & in Terra, vt fontes.

Aqua

Aquæ locus { *Cælum*, *Aer*, *Terra.* } *Natura* { *Liquida*, *Fœcunda*, *Potabilis.* }

Potest & alio modo distingui Trinitas in aqua, vt dicatur

Condensata, Congelata, Liquida. } *In* { *Nube*, *Glacie*, *Flumine vel fonte.*

Nubes vna & liquida substantia in hac Tria potissimum & vsitatissima soluitur Pluuiam, Niuem, Grandinem, a quibus anni tempora, sicut ipso eorum lapsu variantur, ita & mira vtilitate distinguuntur. Pluuia æstate vtilis est, vt torrefacta a Sole & adusta terræ superficies ab ea rigetur. Grando consueuit medijs temporibus gigni, vti in æquinoctio veris, tunc enim ruere è nube plus solet. Nix præsertim hyeme decidit, vtilis quidem operiendis terræ seminibus, tuendisq. illis a nimia & insolentiore frigoris ui. Hæc tria, sicut distincte sursum nascentia, ita et in imo efficientia vnum, nimirum Diuinarum Trium personarum mysterium nobis exponunt. Quod tetigit Dauid hæc canens de eloquio Dei quod pluuiæ comparatur & imbri. Qui emittit eloquium suum terræ, & infra: Qui dat niuem sicut lanam. Postremo grandinem submittens sub crystalli nomine inquit: Mittit Crystallum suam sicut buccellas. Nam & in quibusdam plagis, & partibus orbis in media aeris regione verâ crystallum cum communi grandine gigni, & in terras è nube decidere frequens experientia docuit; cuius magnitudinem tangens, buccellæ similem dicit, tantum, scilicet, quantum potest vna vice ori hominis intrudi.

Trinitas f nube.

Psal. 147.

Trinitas in aquarum delatione.

Aquarum motus tribus differentijs adimpletur, Fonte, Fluuio, Mari, Fons prima est aquæ apparitio, & ex ipsis terræ visceribus emanatio, Fluuius medius est earum motus, quo in suum naturalem locum deuehuntur. Mare vero earum est receptaculum.

Motus aquarum: { *Fons*, *Fluuius*, *Mare*, } { *Initium*, *Medium*, *Finis.* }

Est igitur in Aqua quædam Trinitatis imago. Nec mirum, cum ipsa sit vnum ex illis tribus, quæ testimonium dant in terra ipsi Trinitati beatissimæ: Iohan cap. 5. Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus,

Aqua,

Aqua, & Sanguis. Spiritus, inquam, sanctificationis, Aqua ablutionis; Sanguis redemtionis. Extra de celebr. miss. cap. in quadam nostra.

Mundus trinus.

Tres mundos apud antiquos fuisse figuratos asserit in Phædro Plato, quorum supremum vocarunt Vltramundanum, Philosophi Intellectualem, Theologi Angelicum: proximum huic cælestem: postremum sublunarem hunc, quem nos incolimus.

Sic Tres sunt partes materiæ apud Raymundum Lullium,

Materia	*Suprema,*	*Intelligibilium,*
	Media,	*Cælestium,*
	Infima,	*Sensibilium.*

Sic trinus erit et calor. est enim.

apud nos	*Calor elementalis*	*Ignis elementum,*
in cælestibus	*Virtus excalfactoria*	*Sol,*
in Angelicis mentibus	*Idea caloris*	*Seraphicus intellectus.*

Est eodem modo triplex aqua,

Est aqua apud nos elementalis;

Est aqua in cælis huius motrix & domina, vestibulum, scilicet, calorum Luna,

Est aqua super cælum, Mentes Cherubicæ.

Idem de ceteris elementis iudicari potest. Tres enim mundi sunt vnum, quia ab vno principio, & ad eundem finem omnes referuntur, tum quoniam debitis numeris temperati, & harmonica quadam naturæ cognatione colligantur; tum etiam quoniam quidquid in omnibus simul est mundis, id & in singulis continetur, neque est aliquis vnus ex eis in quo non sint omnia, quæ sunt in singulis.

Io. Picus 1 hept. li. 2.

Trinitas in voce.

Tria versantur in voce, nempe nomina, quæ sunt signa eorum quæ animo cogitantur principaliter, per consequentiam autem etiam subiectorum. Secundo cogitata, quæ res subiectas referunt et exprimunt, vnde sunt omnibus eadem cogitata, propterea quod ex subiectis rebus eadem forma et typus ingeneretur omnibus, non itidem etiam nomina propter diuersos sermones. Tertio numerantur loco res subiectæ, ex quibus imprimuntur nobis cogitata.

Clem. stro. lib. 8.

Nomina,	*Cogitata,*	*Subiecta.*

Trinitas

Trinitas in Artifice.

Ars oritur de exercitio artificis, & est artificium in arte vt Pater in Filio; & ars in artificio, vt Filius in Patre. Hoc autem quod conseruat operantem in opere, est delectatio, quæ est hoc bonum quod procedit ex exercitio, & arte. Tres igitur causas ex artificiato deprehendimus, scilicet, efficientem, formalem, et finalem, et vna non est alia, coincidunt tamen in vnitate magistri, qui est causa

Nic. Cusa. exercit. lib. 8 Sanctus.

Efficiens, Formalis, Finalis:

Trinitas in omni opere intellectualis naturæ.

Sicut Creator omnium est purus intellectus, qui de se generat suum verbum, seu conceptum, siue ideam rerum creabilium, & ex ipso patre, qui purus intellectus, et verbo eius procedit Spiritus, seu voluntas, quæ mouet vt fiat creatura; sic fiunt omnia opera intellectualis naturæ; puta intellectus meus vult sui ipsius similitudinem in nobis formare, concipit primo seipsum, generando de se verbum suæ intelligentiæ, in quo seipsum intuetur, & facit conceptum illum quandam ideam seu formam exemplarem, ad cuius similitudinem vult formare naturam intellectualem, quæ est in interiori homine nostro. Et quia hæc forma est ei grata, ipsam amplectitur tamquam bonam. Et quia bonum est sui ipsius communicatiuum, tunc oritur motus in voluntate, & mouet linguam & omnia alia, vt formetur vox quam exspiro, in qua voce sensibili & formata, est Spiritus desiderij mei, in quo est verbum conceptus mei, & in conceptu intellectus qui est pater verbi. Vnde in omni opere intellectualis naturæ relucet similitudo Creationis Dei. Et videtur quomodo perfectio requirit Trinitatem, scilicet, Patrem, Filium & Spiritum sanctum.

Tria doctrinæ insignia.

Humana mens est, cuius notæ & expressiones sunt tres.

Conceptio, Vox, Scriptura.

in quibus aut vniuersa disciplina continetur, aut eorum medio disciplina paratur. et ab his signis Trini procedunt disciplinares actus.

Conceptio, Locutio, Scriptitatio.

Menti quoque Aristoteles tres attribuit species, ex quibus tres Ideæ exortæ.

Natura, Disciplina, Exercitatio.

Ipsa rursus cognitio, quæ de possibili est, perficitur tribus, nempe Sensu, quo manducimur. Imaginatione, qua indagamus verum ex his quæ manducunt. Intellectu quo conspicimus inuentum.

Tria sapientiæ genera.

Phornut. in spec. de natura Deor.

Musas, quas cander dixit genus ducere a Ioue et Memoria, & reliqui Poetæ scriptores ut Deas habent et colunt, Tres tantũ esse volunt Antiqui, quod Tria quoq; fecerint sapientiæ genera, quibus tota philosophiæ ratio impletur, immo vt Aug. verbis vtar, tripartitã esse sapientiæ disciplinã animaduertere potuerunt. Neq; n. ipsi instituerunt vt ita esset, sed ita esse potius inuenerunt, cuius vna pars appellaretur Theoretica, altera Logica, tertia Ethica, quarum nomina latina iam multorum litteris frequentata sunt, vt Speculatiua, Rationalis, Moralisque vocarentur. At cum iam facultates istæ multis post temporibus latius se proferrent, ac eas in partes seu formas diuiderent, cognouerunt vnamquanq; Tria in se continere discrimina, vt in se ducta conspiceretur Trinitas. Nam Rationalis, quæ circa orationem et differendi subtilitatem versatur, Tres in partes est pariter distributa, nempe in Grammaticam, Rhetoricam, & Dialecticam. Moralis, quæ vitæ actionibus occupatur, in Monasticam, Oeconomicam, Politicamq. diuiditur. Theoretica seu speculatiua, cuius finis est veritas, secatur in Physicam, Mathematicam, et Theologiam. Physica de inuisibilibus naturis rerum visibilium disputat. Mathematica de inuisibilibus formis rerum visibilium agit. Theologia de inuisibilibus essentijs et earundem naturis agit.

Aug. in Ci. Dei lib. 11. c. 7. & 25.

- Sapientiæ disciplina
  - Logica
    - Grammatica,
    - Rhetorica,
    - Dialectica.
  - Ethica
    - Monastica,
    - Oeconomica,
    - Politica.
  - Theorica
    - Physica,
    - Mathematica,
    - Theologia.

Atq; has Theoretica partes Theologiam dico Mathematicam & Physicam, sunt qui Palladis nomine, quæ Dea fingitur sapientiæ, significari putent, Triplicique proinde subnixam veste, vel vt scribit Arbricus triplici colore Aureo, Purpureo, Cæsti.

Abric. lib. de Deorũ imaginib.

distin=

distinctum habentem pallium, quod omnis doctrina Trino subiaceat numero. Cum igitur scientia & ars, qua ratione & sermone absoluitur, in Tria genera diuidatur, atque horum vnumquodq. in Tria singularia deducatur, cuique suam contingere Musam eius fouentem ornantemq. facultatem opinati sunt philosophi, nouem fingentes Musas, vt apud Hesiodum in Theogonia.

Trinitas in cæleſti philoſophia.

In Psalmis cælestis philosophiæ verus ordo prolatus est, vt primus ad moralem pertineat disciplinam, de quo & bonus imbuitur, & peccatorum mens scelerata terretur: secundus ad naturalem, id est, substantiam humanitatis et pietatis Christi: tertius de resurrectione ipsius loquens, inspectiuam quodammodo continet partem. Quæ ratio per omnes Diuinas scripturas decurrit. Inde & Isahac Patriarcha Tres puteos fodit, demonstrans præcepta Domini doctrina triplici contineri. Sic & sapientia monet vt describamus eam nobis in corde tripliciter. Cass. Sen. in psal. 3.

Cælestis Philosophia { *Moralis, Naturalis, Inspectiua.*

Sic Salomon, disciplinarum ordinem seruans, dumtaxat Tres totius disciplinæ partes agnouit, Moralem, Naturalem, et Contemplatiuam, quas per Tria identidem volumina pertractauit, Prouerbia, Ecclesiasten, & Canticum canticorum, Mores vtiq. per Prouerbiorum præcepta docens; naturam rerum per Ecclesiastem; per Canticum autem speculationem. Neque enim Logicen distinctam ab his portionem arbitratus est, quæ in vnaquaq; disciplina per se ipsa conseritur, et instar staminis, ad firmitatem contexta, cuiuscumq; subtegminis laborem admittit, siue pexum plumatile, siue beluatum opus intexere volueris. Nam cum institutio omnis per sermonem fiat, quomodo quispiam probabilem sermonem suum efficiat, nisi ita loquatur, vt ipsius rei quæ in promtu est ratio, verisimilitudo, ipsa denique veritas deposcere videatur? Vnumquemq; igitur sermonem dirigit Dialectica. Neq; tamen inficiabor Logicam post has disciplinas fuisse repertam. Nam priusquam esset Grammatica, & scribebant & loquebantur homines; priusquam esset Dialectica, ratiocinando verum a falso discernebant; priusquam esset Rhetorica, iura ciuilia tractabant; priusquam esset Arithmetica, vsum habebant numerandi; priusquam esset Musica, canebant. Hugo a S. Vi. Didas. lib. 2. 11.

Exho. 3.4. *His similia videntur, quæ de Deo Abraham, Deo Isahac, & Deo Iahacob habentur in sacris litteris. Nam quod Abraham vbique locorum se morigerum & obsequentem Deo præbuerit, moralem innuit. Isahac dum scientia puteos fodit, profundaque & abdita quæq; rimatur, naturæ indicat Philosophiam. Contẽplationis vero munus Iahacob ostendit, ob inspecta cæli castra, Dei sedes, & Angelorum vias, scalas quippe a terris in cælum vsque subuectas, de quibus in hanc omnes sententiam Theologi plurima disputarunt. Salomonem plerique Græcorum sapientes, qui eius inuenta sibi vendicant, non temere secuti sunt. Vt enim refert Laertius de vita Philosophorum, miscuit Plato Heracliteorum, Pythagoræorum, & Socraticorum rationes. Ac in ijs quidem, quæ sensibus subiacent, Heraclii partes tuebatur. Quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoræ acquiescebat. In rebus ciuilibus Socratem suum maxime amplectebatur. Atque ita in vnũ corpus triplicẽ Philosophiæ cõpegit rõnem.*

Diog. Laert. lib. 3.

Platonica philosophia	*Heracliteorum,*	*Sensibilium,*
	Pythagoræorum,	*Intellectualium,*
	Socraticorum:	*Ciuilium.*

Diog. Laert. lib. 10. *Tres in partes Disciplinas diuidit etiam Epicurus:*

Physicam, Canonicam, Ethicam.

Physica naturæ totam continet speculationem: Canonica accessum continet ad opus: Ethica de electione disserit & fuga. Appellant autem Naturalem de generatione & corruptione, & de natura. Canonicam de iudicio, & principio sine introductione. Moralem de his quæ eligi, vel deuitari debent, & de vitis, & de fine. Dialectica in hac diuisione prætermita, quod ea minime particularis scientia esse videatur, sed tamquam spiritus harum vnicuique partium insita, coalitaue: per eam enim morum rationes varias edocemur, per eam naturæ vim perscrutamur, per eam demum ipsam diuinarum rerum imaginẽ intelligimus. Quare, vti superius dictum, etiam Plato & Epicurus dialecticam, vt pote cuiuslibet institutionis ministram, in partem non admisere.

Trinitas in prima littera alphabeti.

Quemadmodum apud Italos, Latinos, Græcos, Hebræos, & ceteras linguas A *siue alpha, &* א *aleph primum in Alphabeto continet locum secundum ordinem aliarum litterarum; sic & Deus respectu creaturarum, a quo, diuino ordine emanant omnia. Et sicut* A *est Triangulus figura & Tribus lineis sicut &* א *Aleph construi-*

tur;

tur; sic et Deus est Trinus in personis, et vnus in potentia. Et quemadmodum A, suapte natura nullius, veluti reliqua, instrumenti indiga, ut puta linguæ, dentium aut labiorum, et libera pronunciatur, et prima in infantibus articulata dignoscitur, solaq. in corde et imo barathri caussatur, vt E, in gutture, I in capite gutturis, O in faucibus, et V in labijs; & consonantes ab his vocalibus originem trahunt: sic vniuersa creatura, a Deo effectiue, quorum caussa caussatißima dicitur. Et idem etiam dici potest de corde respectu aliorum membrorum, quorum vita ab ipso corde pendet. Quare per allegoriam Anima dicitur cor, vt apud fatidicum vatem: Qui requirunt Dominum, viuet cor illorum in seculum seculi: & apud Hieremiam: Laua a malitia cor tuum Hierusalem: et ad Rom. Obtenebratum est cor. Psal. 21. Hier. 4. Rom. 1.

Tres oratoriæ partes.

Tria numerantur Rhetoricæ genera δικανικὸν, id est, Dicanicum, seu Iudiciale; πανηγυρικὸν, id est, Panegyricum siue Demonstratiuum; συμβουλευτικὸν, id est, Symbuleuticum, id est, Deliberatiuum, quæ Gregorius Theologus, necnon interpres Hesiodi symbolice per chimæram intelligunt caput habentem leoninum, ventrem caprinum, & caudam draconis, vt apud Homerum.

Πρόσθε λέων ὀπίσθε δὲ κύων μέσση δὲ χίμαιρα.

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra.

Vt leo Iudiciale præferat genus ob terrorem, quem reis incutit. Chimæra vero, id est, capra Demonstratiui obtinet typum, quod in eo genere plurimum lasciuire soleat latius simul qui dicit, simul & qui audit. Deliberatiuum denique genus canis, seu ut vertit Lucretius draconis esse dicunt ob argumentorũ uarietatem, copiam, vehementiam, & contentionem, longioresq. circumductus, et ſpiras quibus in persuadendo opus est.

Tres quoque Oratoriæ sunt facultates.

Exornationis, Consultationis, Iudicialis facultas.

Trinitas in Dialectica.

Omnis perſpicua docendi via, seu differendi ratio, auctore Platone, diuiditur in Definitiuam: Diuisiuam: et Analyticen seu Resolutoriam, quæ Tria sola docet Dialectica. per eam enim habetur docendi scientia: et sine hac Trinitate philosopia non potest esse consummata.

Definitio, Diuisio, Argumentatio.

Tres etiam apud Dialecticos sunt partes propositionis, subiectum: pra-

dicatum, & verbum substantiuum, quod copulam dicunt, quia subiectum cum prædicato coniungat. in verbis enim naturaliter inest copula, vt Planetæ non scintillant, id est, planetæ sunt non scintillantes.

Omnis Dialectica ratiocinatio tribus coalescit:

Trinitas in syllogismis.

Primo,	*Maiori extremitate,*
Medio,	*Medio,*
Vltimo:	*Minore extremitate,*

quibus tres procreantur syllogismi partes.

Propositio, Assumtio, Complexio.

Est autem prima præmissarum, vt intellectus; secunda siue assumtio, vt memoria; tertia, quæ duabus præmissis & extremitatibus infertur, velut vtriusque species, status, finis. Cum igitur tres sint partes syllogismi, fit vt Trina positione medij, totidem ratiocinationum figuras eliciant Dialectici. Prima, qua medius terminus in primo prænunciato subijcitur, in altero prædicatur. secunda, qua vtrobique medius prædicatur. Tertia, qua vtrobique subijcitur medius terminus. Primus autem in ratiocinatione terminus est, qui superior & cunctis amplior de ceteris rite dicitur, ac enunciatur. Vltimus, qui ceteris subest, ac de quo ceteri dicuntur. Medius, qui cum vni subsit, alter ei subest.

Tres syllogismorum figuræ Trina positione medij.

Prima	*Vltimum,*	*Medium,*	*Primum.*
Secunda,	*Vltimum,*	*Primum,*	*Medium.*
Tertia,	*Medium,*	*Primum,*	*Vltimum.*

Triplex est materia propositionum:

Necessaria, Contingens, Remota, seu Impossibilis.

Hinc similiter triplex discrimen propositionum:

Necessaria, in qua est definitio, aut pars definitionis, vel genus, vel differentia, vel proprium:

Contingens, vbi accidentia prædicantur de subiecto:

Remota, cum diuersæ species connectuntur.

Sic & Tres syllogismorum species:

Necessaria Possibilis de Inesse.

Tres item demonstrationis (hæc est syllogismus necessarius) species, seu genera secundum Auerroem & sequaces:

Demonstratiuum Quia, seu ab effectu; Propter quid, seu caussæ: Et vtriusque.

In

In prima acquiritur cognitio rei quod sit; in secunda, per quid sit; in tertia, quod sit, & propter quid sit, vno & eodem tempore. Clc.stro.2.

Trinitas in Amicitia.

Triplex est amicitiæ genus, et eorum quidem primum, optimum & præstantissimum iudicatur id quod est ex virtute. valida enim est quæ est ex ratione dilectio; secundum autem, et medium, ex remuneratione. est autem hoc genus aptum ad societatem, & communicationem, libenter impertiens, et vitæ conducibile, communis enim est, quæ ex gratia amicitia. Tertium et vltimum, nos quidem dicimus id quod est ex consuetudine; alij vero id, quod ex voluptate verti, mutariq. potest. Ac mihi quidem pulcherrime Hippodamus Pythagoricus videtur Ternario describere amicitias. Vna quidem ex scientia Deorum; altera vero, ex hominum suppeditatione; tertia, ex voluptate animantium. Quo fit vt vna sit Philosophi amicitia; altera, Hominis; bruti, tertia. Re uera enim Dei est imago Homo bene faciens, qua in re ipse etiam beneficio afficitur, sicut gubernator simul seruat, & seruatur. & ideo cum quis petens quod petijt fuerit consecutus, non dicit danti: Recte dedisti; sed recte accepisti. Ita accipit quidem, qui dat; dat autem, qui accipit.

Amicitia ex	Virtute,	Philosophi,	ex	Scientia Deorum,
	Remuneratione,	Hominis,		Hoĩnũ suppeditatiõe
	Consuetudine,	Animalis bruti,		Voluptate animaliũ.

Trinitas in amore.

Phædrus apud Platonem Tria ponit Amoris exempla; primum feminæ ad masculum, vbi de Alceste Admeti vxore loquitur, quæ pro marito mori voluit; secundum masculi ad feminam, vt Orphæi ad Eurydicen; tertium, Patrocli ad Achillis uirtutem: vbi ostendit nihil fortiores homines reddere.

Allegoriam vero vel Alcestis, vel Orphei, vel Patrocli perscrutari non est consilium, vehementius enim ista amoris naturam exprimunt si tamquam historia narrentur. illud tamen minime prætermittendum tertij amoris vicissitudinem inter illos esse, quorum in genesi luminum, id est, Solis & Lunæ fuerit commutatio, veluti si Achilles habuerit in genesi Solem, in Ariete; Lunam, in Libra: Patroclus vero habuerit in Libra Solem, Lunam, in Ariete. Aut quibus signum idem, simileue, idemque planeta similisue ascenderit, aut benigni planetæ similiter angulum aspexerint orientis. Aut quando Venus eandem natiuitatis domum, eundemq.

demq. possederit in genesi gradum. Aut quando Venus fuerit in signo masculino cum Saturno, vel in Saturni finibus, vel ẽt Saturno opposita.

Trinitas in pulchritudine.

Quod Amor sit pulchritudinis desiderium, de pulchritudine dicendum, nam & ipsa Trinitate perfecta. Ex plurium sane Virtutum concinnitate in animis gratia est; Ex plurium colorum, linearumq; concordia, in corporibus nascitur gratia; ex vocum plurium consonantia, gratia in sonis maxima est.

Triplex igitur pulchritudo, { Animorũ / Corporum / Vocum: } cognoscitur { Mente / Oculis. / Auribus } Hinc fit { Intellectus, seu / Visus (Mẽs / Auditus.

Trinitas in coloribus.

Licet a priscis ingenijs singulis planetis colores singuli dicati reperiantur, ex Platonicis tamen minime ignobiles exstiterunt qui vniuersales, præcipuosq. mundi colores ad Trinitatis numerum redigerunt, scilicet,

Viridem, Aureum, Saphyrinum, quos Tribus aiunt dicatos Gratijs. Dum vero eosdem planetis dedicant, viridẽ volunt esse Iouis, & Lunæ; Aureum Solis, a Ioue tamen, et Venere non alienum; Saphyrinum vero Ioui maxime prædicant accomodatum, cui et Saphyrus dicatur consecratus.

Trinitas in tempore.

Matth. 15. cap. 8. Ternario numero tempora mensurantur, primum tempus ante legem, secundum in lege, tertium in gratia. hi sunt Tres dies quibus apud Marcum Turbæ Domino perseuerant, quia totis his Tribus temporibus viri Sancti Spiritu Dei pleni in Christum credunt, Christum exspectant, eiusq. panibus & doctrina magno desiderio refici cupiunt, nec habentes quod manducarent, quia panis viuus qui de cælo descendit, nondum eis appositus fuerat, Tertio igitur die, id est, hoc Tertio suæ incarnationis tempore turbas reficit, neque vlterius eas fame perire patitur. Sic dies Gen. 22. tertius quo Abraham immolauit, indicabat hoc tempus gratiæ, quo gratum sacrificium offertur Deo per Christum. Ad hunc dierum numerum referri possunt Tres Missæ quas Sacerdos celebrat die Dominicæ natiuitatis. Quæ namque noctu Missa cantatur, illum refert statum qui fuit ante legem, quando scilicet, omnes erant in tenebris. Quæ vero in aurora cantatur Missa refert tempus sub lege, in quo iam incipiebant ex parte Christum scire, sed non plene propter dicta legis et Prophetarum, & ideo

cele-

celebratur inter diem et noctem, Tertia cantatur in die, qua designatur tempus gratiæ.

Tria sunt & temporis spacia. Præteritum, quod fuit, et iam non est. Præsens est finis præteriti, & initium futuri, quod alioqui instans et nunc dicitur. Futurum, quod modo non est, sed aliquando erit.

Præterita, Præsentia, Futura, quasi vnum corpus æternitatis perficiunt. Præterita amare, insipientis est; Præsentia, stulti; Futura, prudentis. Præteritorum pietas est; Præsentium, cupiditas; Futurorum, charitas.

De serie tẽporũ & amãdorum ratione ex Hug. a S. V. lib. 1. c. 32. eruditiõis theologię.

Tria hæc temporis spacia in animo requirenda videntur, secundum Isidorum lib. 1. de summo bono cap. 9. Præterita reminiscendo, Præsentia contuendo, Futura expectando. Recolimus transeuntia: Speramus aduenientia: Intuemur præsentia.

Trinitas in Aeternitate.

Aeternitas in Tria secatur;

Aeuum, Tempus, Aeuum.

Statuit Omnipotens Deus corporeum hunc visibilemque mundum in tempore, definiuitq. illi extrema, principium, & finem, librans illum inter duplex æuum. In prima æternitatis parte, nil creatum est, solusque fuit Deus. In præsenti seculo, & in tempore hoc profert Deus, qua in futurum æuum introducet, Angelos, inquam, quos creauit in instanti, & in temporis initio. Materiam post Angelos in instanti, ex qua sensibilium creaturarum species, in tempore, & in numero sex dierum perfecit. Rationalem item animam protulit, ex qua, & ex materia humanam substantiam sexta supremaque die compegit. In futuro æuo saluabit Deus Angelos, & rationales animas, propter quas & materiam in idem æuũ introducet. Namq. ex materia instaurabit humanum corpus.

Materia ꝓpter rõnalem aĩam æuiternã.

In præterito igitur æuo, Deus tantum erat:

In præsenti seculo, creauit omnia;

In futuro æuo, Trinitatem saluabit, videlicet:

Angelum, Animam, Materiam.

Trias immortalis.

Primum æuum seu prima æternitatis pars, in qua solus est Deus.	*Visibilis mundus creatio rerum.*	*Futurum æuum in quo nihil creabitur, sed creata saluabitur Trinitas.*

Tri-

Aug. lib. de triplici habitaculo.

Trinitas in loco.

Triplex est locus rationali creaturæ deputatus, locus summus, videlicet, cælum, vbi sola lætitia: locus infimus, scilicet, infernus, vbi sola tristitia: locus medius, qui est mundus sensibilis, in quo sunt summa speranda, & infima timenda Philip. 2. In nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & inferorum. Hinc patet cur vita præsens dicitur medium, et tolli de medio pro tolli de hac vita 23. q. 4. cap. hæc vita & Glos. in proœm. Clem. in ver. de medio.

Locus

Summus	*Medius*	*Infimus*
Cælum, seu paradisus	*Mundus*	*Infernus.*

Vbi

Summum bonum,	*Summa speranda & infima timenda,*	*Summum malum,*
Sola lætitia,	*Vtrumque,*	*Sola tristitia,*
Boni tantum,	*Boni & mali,*	*Mali tantum.*

In altera vita tres loci deputati sunt hominibus.

Paradisus, Infernus, Purgatorium.

Trinitas in Mathematicis disciplinis.

Artes Mathematicas Pythagorici secant in Arithmeticam, Musicam & Geometriam, cui coniuncta est Astrologia, vt Musica Poetica.

Trinitas in vnitate.

Refert Minar libro antiquitatum Sissenios maxime vnitatem adorasse, vt quæ similis esset Diuinæ creaturarum origini, æternoq. principio. Hanc autem Pythagoras vir clarissimus et suo ævo auctoritate irrefragabili Trinam esse probauit. Est enim Vnitas æterna, nec vllum numerorum enuntiare poteris supremum esse Vnitatis partum, quod enim omnem alteritatem præcedit, æternum est. Alteritas nempe idem est quod mutabilitas; sed omne quod mutabilitatem naturaliter præcedit, immutabile est, quare æternum. Alteritas vero constat ex vnitate, & dualitate, quare alteritas, sicut numerus, posterior est Vnitate. Vnitas ergo natura prior est alteritate; & quoniam eam naturaliter præcedit, est Vnitas æterna. Amplius omnis inæqualitas est ex æquali & excedente, inæqualitas ergo est natura posterior æqualitate, quod per resolutionem firmissime probari potest. Omnis enim inæqualitas in æqualitatem resoluitur. æquale enim inter maius & minus est. si igitur demas quod ma-

ius

ius est, æquale erit; si vero minus fuerit, deme a reliquo quod maius est, et æquale fiet. Et hoc etiam facere poteris quousque ad simplicia demendo veneris. Patet itaque quod omnis inæqualitas demendo ad æqualitem redigitur. æqualitas ergo naturaliter præcedit inæqualitatem. Sed inæqualitas & alteritas simul sunt natura, quia vbi inæqualitas, ibi necessario alteritas, & e conuerso. inter duo namque ad minus erit alteritas: illa vero ad vnum illorum duplicitatem facient, quare erit inæqualitas. Alteritas ergo, & inæqualitas simul erunt natura, præsertim cũ binarius sit prima alteritas, & prima inæqualitas; sed probatũ est æqualitatẽ præcedere natura inæqualitatem, quare et alteritatem. æqualitas ergo æterna. Amplius si duæ fuerint causſæ, quarũ vna sit altera prior, erit effectus prioris natura prior effectu posterioris; sed vnitas vel est connexio, vel est cauſsa cõnexionis. Inde .n. aliqua connexa dicuntur, quia simul vnita sunt. Binarius quoque vel diuisio est, vel cauſsa diuisionis. Binarius enim (vt suo dictum est loco) prima est diuisio, si ergo Vnitas est cauſsa connexionis, binarius vero cauſsa diuisionis, ergo sicut Vnitas est prior natura binario, ita etiam connexio prior natura diuisione; sed diuisio et alteritas, simul sunt natura, quare & connexio, sicut vnitas, est æterna, cum prior sit alteritate. Probatum est igitur quia Vnitas ipsa æterna est, & æqualitas æterna, similiter connexio est æterna. Sed plura æterna esse non possunt: si enim plura æterna, alterum alteri deesset, ideoque nullum illorum perfectum eßet, et ita esset aliquod æternum, quod non esset æternum, quia non esset perfectum, quod cum non sit poßibile, hinc plura æterna esse non possunt. Sed quia Vnitas æterna est, æqualitas æterna est, similiter & connexio, hinc

Vnitas, Aequalitas, Connexio,

sunt vnum. Et hæc est illa Trina Vnitas quam Pythagoras Italiæ, & Græciæ decus docus docuit adorandam. Non tacendum hic quod res quælibet a Deo Patre habet esse, quia vnitas est; Et a Deo Filio habet specificatum esse, quia Aequalitas; Et a Deo Spiritu sancto habet perfectum esse; quia Nexus.

Quemadmodum diuina vnitas Trinitate gaudet personarum; sic interna vnitatis fecunditas Triade absoluitur. Vnitas enim in se primum ducta progignit æqualitatem. dicitur enim Vnitas, si nobis per vindices linguæ latinæ conceditur, quasi entitas, et æqualitas Vnitatis, tamquam æqualitas entitatis. est autem entitatis æqualitas, cum nec plus, nec minus,

nus, quod maxime in ortu et generatione perſpicuum eſt. Si enim plus, aut minus; iam monſtruoſum quiddam. Quare vnitatis generatio, ſola Vnitatis eſt repetitio. Nam ſi bis, ter, aut aliquo alio numero, tum non eſt Vnitatis generatio, ſed id creationi reſpondet, quandoquidem effectus diuerſa a ſua cauſſa natura in eſſe deducitur. Itaque Vnitas ex ſe gignit æqualitatem. Quod ſi hanc inæqualitatem ducis, qui ductus cubicus, idēq. trinus a Pythagoræis appellatur, naſcitur etiam Vnitas, Vnitatis et æqualitatis connexio. Porro ductus ille proceſsio eſt. Nam quid aliud proceſsio, quam quædam ab altero in alterum extenſio? Talis autem proceſsio non vnius tantum eſt, ſicuti neque vnius eſt nexus, ſed plurium, ac eorum quæ connectuntur vnio. Atqui non contingit aliquem numerum in ſe amplius quā trine duci, vt dicendo, ter tria ter, quater quattuor quater. Et ut radix, et tetragonus in cubo vniuntur, vnaque tetragoni et cubi etiā in numeris radix eſt; ita ſane Vnitas & ipſa æqualitas in connexione vniuntur, eſtq. æqualitatis et connexionis vna radix, eaq. primum in numeris originis principium. Tetragonus tamen proxime primoq. loco gignitur a radice, atque ipſius exprimit fecunditatem. At cubus proxime quidem a tetragono, ſed a radice mediate eſt, vtriuſque nihilminus refert fecunditatem; Radice ſiquidem in ſemetipſa ductitata, prodit tetragonus, radicalis virtutis expreſsio, et velut imago quædam; ex ductu vero radicis in ſuum quadratum, naſcitur cubus vtriuſque expreſsio, et veluti quædam ſimilitudo. Quod ſi ſpectes ordinem proceſsionis, vt quod quadratus primo loco a radice, & ſecundo loco cubus, facies proculdubio quadratum immediatum radici et ſecundum, cubum autem mediatum & tertium, tetragonum autem proxim. Quare ibidem, proceſsio quædam dumtaxat immediata eſt, quædam mediata pariter et immediata, quæ autem mediata ſolum, inibi non reperiri poteſt. Sin vero medij naturam, cuius eſt ex æquo vnire extrema, cubum, vt qui eſt radicis et quadrati ſecunda vnio, ex æquo ab vtroque dices procedere, & vtrique perinde immediatum. Porro quidnam hæc vnitatis interna fecunditas Trinitate expreſſa, et quæ in ea conſpiciuntur, aliud ſunt, quam Diuinæ Trinitatis tam aperta et manifeſta ſymbola quam quæ maxime? Quid vnitatem de ſe ſimpliciſsimo ductu gignere æqualitatem, niſi Patrē ſummā et ſuperexcelſam vnitatem, cuique vnius rationem deferebant Pythagorei, de ſua ſubſtantia Filium gignere ſuæ fecunditatis expreſsionem conſubſtantialemque imaginem? Et quid aliud ductus vnitatis in æqualitatem,

tem, procedere connexionem per omnia vtrique conformem, quam Patrem, et Filium sibi consubstantialem amorem, vtriusque nexum, et Spiritum spirare? Sed quid, quod Trino ductu tota Vnitatis pariter et numerorum fecunditas absoluitur, nisi illo superimmenso Ternario, Diuinam eam q. immensam fecunditatem perfectam, absolutam q. esse? Quid item aliud innuit coincidentia radicis, tetragoni, & cubi in vnitate (est siquidem vnitas radix, est tetragonus, est cubus) quam summam illam coincidentiam trium Diuinarum personarum in natura, substantiaq.? Nonne tetragoni a sola radice emanatio, Filium a solo Patre esse exprimit? Quid radicem non ab alio esse, nisi Patrem à nullo esse? quid cubum à radice et quadrato (nec enim radix sola, solus nec quadratus cubum restituit, sed vtriusque coniuncta operatio) quam Spiritum sanctũ ab vtroque procedere? si enim radicem in se vnice ducis, non habes cubum, nec magis si quadratum in se. Quid, quod vltra cubum non progrediuntur Pythagorici (adeo cubum in Numeris, velut complementum obseruant,) est ne id nobis argumento, quòd in Diuinis Tertia persona omnium est consummatio & terminus? Quid cubum mediate à radice, & id spectato progressionis ordine, & immediate a quadrato, quàm si spectes ordinem originis in Diuinis Spiritum mediate esse a Patre, & immediate à Filio? sed quid hoc, nisi Spiritum à Patre per Filium procedere, tamquam Diuina motio à Patre per Filium, in Spiritu sancto terminetur? Et id quidem censuere Graci Cyrillus, Gregorius theologus, et Damascenus. Porro quod ibi est immediata processio, est item et qua mediata pariter et immediata. mediata autem non reperitur. quid istud distat à Sanctorum sententia, qui nullam in Diuinis mediatam processionem asserunt? Et quid medij in specta natura, qua est ex æquo extrema vnire, cubum dicere medium, & ex æquo à radice, & tetragono, atque adeo vtriq. immediatum? quid inquam aliud, præterquam quod Latini Spiritum sanctum mediam personam facientes, ab vtroque ex æquo procedere asseuerant? sicq. non tam in re discrepant Latini à Græcis, aut hi ab illis, quam modo & ratione differendi. Hanc autem concordiam præclare admodum detexit Iacobus Faber Stapulensis in commentario ad Richardum adiecto.

Trinitas in Numeris.

Tres sunt primæ et præcipuæ Numerorum vnitates, Linearis, Superficialis, Corporea, quæ ab eadem oriuntur simplicissima Vnitate Denaria,

centenaria, millenaria. namque inter numerorum sedes, locos, et positiones, quæ decimo quoque loco, denariave distantia notantur, Denarius primus est linearis numerus, Centenarius primus planus, vt quadratus, Millenarius primum corpus, nam cubus:

Linearis Planus Solidus.
Decem. Centum. Mille.

Secatur item Numerus in Digitum, Articulum, et Compositum. Digitus continet simplices numeros ab Vnitate ad decem. Articulus denarios, vt decem, viginti, triginta etc. Compositus vtrumque complectitur, vt vndecim, duodetriginta.

Digitus, Articulus, Compositus.

Est & Triplex Numerus secundum Auerroem.

Mathematicus, Formalis, Realis.

Trinitas in Musica.

Hugo a S. V. ct. Dialc. 2. 13

Trinitate distincta est Musica. est. n. Humana, Mundana, & Instrumentalis. Mundana reperitur in Elementis, Planetis, & Temporibus; Elementalis in Numero, Pondere, & Mensura; Planetaria, in Situ, Motu, & Natura; Temporanea, in Diebus, Vicissitudine lucis & noctis; in Mensibus, crementis et decrementis lunaribus; in Annis, Mutatione veris, æstatis, autumni, & hyemis. Humana fit in Corpore, Anima, et in vtriusque connexu. Quæ in corpore, in vegetatione, secundum quam crescit, quæ omnibus nascentibus conuenit; in humoribus, ex quorum complexione subsistit humanum corpus, quæ sensibilibus communis est; in operationibus, quæ specialiter rationalibus conuenit, quibus mechanica præest. Instrumentalis seu harmonia fit Pulsu, Voce, & Flatu. Omnis enim sonus editur, aut pulsu, videlicet per tympana, psalteriũ etc. aut voce, per fauces; aut flatu, per fistulas. Pulsus secundum Isidorum importat potentiam Patris; Vox, Filij sapientiam; Flatus ad Spiritus sancti viuificatiuam bonitatem refertur.

Boetius in Musica, & Macrob. 2 natur. tria tradunt genera cantus.

Diatonicum, Chromaticum, Enharmonicum.

Terminos item interualla continentes totidem, imam scilicet, mediam, et supremam chordam. sicut & tres symphonias continet harmonia.

Diapason, Hemiolion, Diatessaron.

Sunt & qui Musicorum genus sic diuidant. Vnum, quod carmen fingit; alterũ, quod instrumẽtis agit; tertium, quod instrumentorũ opus, carmẽq. diiudicat.

- Musica
  - Humana
    - Corpore — Vegetatione.
    - Anima — Humoribus. / Operationibus.
    - Vtriusque connexu.
  - mũdana ĩ
    - Elementis — Mensura. / Pondere. / Numero.
    - Planetis — Situ. / Motu. / Natura.
    - Tẽporib⁹ — Diebus---Vicissitudine lucis et noctis / Mẽsibus--Cremẽtis et decrem.lunarib. / Annis----Mutatione ueris, æstatis, autumni, hyemis.
  - Instrumẽtalis — Pulsu. / Voce. / Flatu.

Poematum tria recensentur genera. Actiuum, in quo personæ tantum loquuntur, citra omnem Poetæ ipsius interlocutionem, Enarratiuum, quo semotis personis, solus Poeta loquitur. Mixtum, in quo & Poeta & personæ introductæ loquuntur.

Actiuum, Enarratiuum, Mixtum.

Trinitas in Puncto.

Demonstremus iam apertius quam sint Mathematicæ disciplinæ ad capescendam, intelligendamq. Diuinam Triadem exigendæ. Punctum quod substantia vnicum est ac insectile, quamuis re ipsa indiscretum, infecundumq sit, carens personali, realiq. numero, ratione tamen Trinum reperitur. Punctum enim in recta linea medium vnius quidem partis est finis, alterius vero initium, totiusq. medium. Vnde fit vt medio eiusmodi puncto lucidissimum insit Diuinæ fecunditatis, atque Trinitatis vestigium. Nam ex necessitate tres, & non plures quàm tres, id punctum rationes ambit, recipit, & apprehendit. Est enim punctum b finis lineæ a b. Initium vero lineæ b c. totius autem lineæ a b c, medium. Deesse autem illi aliqua è tribus ratio, aut quarta illi ipsi addi nequit.



Id igitur punctum cum se ipsum vnitate substantiæ, rationum vero perneccessaria Trinitate metiatur, non immerito primi Entis internas coniunctiones, atque discretiones expressisse videtur. Insunt tamen huic puncto ad extremas litteras a b, & b c, eiuscemodi rationes præpostere, contrarioq. nomine. Ad mediam vero, totamq. a b c vnanimi nomine ratio exprimitur. est enim prioris finis; posterioris initium; mediæ vero, totius q. lineæ medium:

Punctum prioris finis. Totus medium. Posterioris initium.

Trinitas in Magnitudine.

Tria sunt Magnitudinum interualla, Longitudo, Latitudo, Profunditas, ac tres tantum magnitudines et continuæ qualitates, Linea, Superficies, (orpus, quarum idem fons atque initium punctum). Linea est tantum producens, & ideo competit Patri, qui est principium, non de principio. Linea enim, secundum Philosophum, dicitur esse producens, quia est principium, a quo superficies fluit; sed dicitur esse non producta, quia licet dicatur fluere a puncto vsque ad punctum, quod non est in continuo, nisi lineam ducere; non potest tamen habere a puncto aliquam quantitatem, cum punctum sit indiuisibile). Vnde linea, prout continua non diuiditur in puncta, sed in partes continuas. Corpus vero est tantum productum, quia profundum, quod est corpori proprium; fluit a superficie, alioquin idem produceretur a seipso, si in plano plures essent superficies: sed tamen dicitur corpus non esse producens, quia non intelligibilis vltra corpus alia species magnitudinis differens ab istis. Vnde profunditas siue corpus conuenit Spiritui sancto, quia ab aliquo procedit principio, videlicet, Patre, & Filio. sed nulla alia Diuina persona procedit ab ipso. Superficies autem producens, & producta est. producitur enim a linea, & ipsa simul cum linea producit ipsum corpus, siue profunditatem: & ideo competit Filio, qui nascitur ex Patre: et ab eo simul & Patre procedit Spiritus sanctus.

Tria igitur

Magnitudinum interualla,	*Longitudo,*	*Latitudo,*	*Profunditas;*
Et tres magnitudines,	*Linea,*	*Superficies,*	*Corpus,*
Repræsentantes	*Patrem,*	*Filium,*	*Spũm sanctũ.*

Corporis superficies trina. Plana quidem, quorum nulla superficies alte-

alteri supereminet, vt superficies mensæ superior; Concaua, vt interior vasis pars; Conuexa, vt vasis pars exterior.

Apud Geometras tres sunt Angulorum rectilineorum species:

Rectus, Obtusus, Acutus.

Hiq. Trinis lineis eodem puncto coniunctis clauduntur. Rectus medius et æqualis est; Obtusus, & acutus extremi; hic, recto minor; ille maior.

Anguli rectilinei { Obtusus, Maior, } Rectus, Medius, Acutus, Minor.

Trinitatis effigies in circulo.

Figura circularis repræsentat Trinitatem, quia Deus est circulo similis. Dicit enim Mercurius Trismegistus, quòd Monas gignit Monadem, & in se suum reflectit amorem. Vnus enim pater vnicum genera uit ante secula Filium, cum quo etiam simul ab æterno spirat Spiritum sanctum, qui est nexus, et amor amborum. Nam Deus Pater ab æterno se profecto intelligit, et intelligendo se diligit, quam dilectionem extra se ad alium non extendit, sed in se reflectit, quia ad intelligentem, & intellectum, ad Patrem, & Filium, à quibus procedit ipsa dilectio, ad modum circuli in seipsum reflectit. Quare interrogatus idem Trismegistus quid esset Deus? respondit: Deus est sphæra intelligibilis, cuius centrum est vbique; circumferentia vero, nusquam. Nam quia Deus corpus non est, nec etiam esse potest, eò quòd summè simplex est; quia omne perfectißimũ oportet esse simplicißimum, eo quod posterius componentibus sit omne compositum; ideo ad differentiam sphæræ corporalis dicit esse sphæram intelligibilem. vnde in centro, quod est quid minimum et simplicißimum, circumferentiæ comparatum, Diuinam simplicitatem intellige; sed per circumferentiam, quæ est maxima, immensitatem Diuinam accipe. Est ergo sensus descriptionis prædictæ: Deus est sphæra, idest, principio carens et fine, multo magis quam circulus siue sphæra, vt sic eius notetur æternitas; intelligibilis, vt notetur eius immaterialitas; cuius centrum, idest, indiuisibilis et simplex essentia vbiq. tota est. Sed circumferentia eius, idest eius immensitas nusquam est, quia a loco comprehendi nõ potest. Etiam Deus est sphæra, cuius centrum id est, Pater, est vbique per suam potentiam; Circumferentia vero, idest Sapientia, & Filius Dei, nusquam, quia capi nequaquam potest, & vniuersa circumplectitur, vt in Ecclesiastico cap. 4. legimus: Gyrum cæli circuiui

sola, & in profundum abyssi penetraui: relatio vero mutua vtriusq; centri, videlicet, & circumferentiæ spiritũ, & amorem reciprocũ præsignat.

Trinitas in prisca theologia.

Prisci Theologi tres præcipuę Deos venerabantur, Iouem, Neptunum, & Plutonem, Saturni, et Rheæ filios, quibus vulgatum est, cælum, maria, & infera regna paruisse. Nam post Saturniam vnitatem, id est, intelligibilis mundi vnionem intra se omnia implicantis, tres in partes sensibilem mundum partiti sunt, cælestem regionem, Ioui; subterraneam, Plutoni; mediam vero, Neptuno adscribentes. Trifidum præterea fulmen Ioui; Tridentem, Neptuno; Tricipitem cerberum Plutoni tribuere. In quibus Ternarij numeri seruata est ratio. Tres namque fratres, tria regna, tria diuersa sceptra habent. et hæc trifariã dispositа. Triplicẽ. n. cuspidem, fulmini; tres dentes, fuscinæ; tria cerbero capita dederunt. Adhuc etiam tres scelerũ vltrices furiæ Alecto, Theſiphone, & Megera. Tresq. humanum sensum perturbantes Harpiæ, Aello, Ocypite, Celæno. Tria denique fata, Clotho, Lachesis, Atropos, in quorum manu mortalium omnium vita posita est, eidem Plutoni destinata sunt. Sed quo tendit huius numeri tam diligens obseruatio? nempe vt vnus omnes, et omnia idẽ habeantur & sint, quod ipsius Diuinitatis communio. omnes enim Dij habiti sunt, & idem omnibus nomen probabile reddit. Enimuero, quem cælo regnare putarunt Iouem supremum omnium maximum vocauere. hinc trita illa apud antiquos Oratores præfatio, Iupiter Optume Maxume: sic enim ordiebantur. Neptunum vero secundum Iouem appellari Papinius his verbis ostendit.

----dextramq. secundi
Quod supereſt complexa Iouis.

Aenei. li. 4 *Plutonem denique Stygium Iouem dici satis constat apud Virgil.*

Sacra Ioui stygio quæ rite incæpta paraui
Perficere est animus.

Iupiter igitur cæli rex, Iupiter maris arbiter, Iupiter inferum rector est. Porro omnibus his locis vnum regnare, & vnum esse Iouem, non aliud præsefert, quam vnum esse Deum, ac tres, quasi mutuis distinctos, unum atq; idem habere numen, & in vnam coire potestatem. Tres item Deos, Iouem, Neptunum, & Mercurium, dissimulata persona sua magnitudine

Lib. 5. *ad senem quendam Hyreum, ante casam suam stantem venisse canit Ouidius in. Fastis. Fuit hic hospitalis, & tergiuersantes in tecta sua ducit,*

ma-

mactat bouem, & igni torret, pascitq. eos pro præsenti sua fortuna. Tandem vbi Deos esse senex agnouit, communicati hospitij loco filium ab ipsis Dijs, cum ab vxore sterili tollere non posset, exorauit. Poeticum nempe hoc a tribus Angelis ab Abraham hospitio susceptis, detortum videtur. Mirabile vero quod de Serapidis sorte fertur, qui consultus quisnam eo esset beatior, hoc disticho respondisse fertur.

Πρῶτα θεὸς, μετέπειτα λόγος καὶ πνεῦμα σὺν αὐτοῖς,
Σύμφυτα δὲ τρία πάντα, καὶ εἰς ἑνίονία.

Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus vna est.
Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

Quid de Plotino? cuius etiam liber est de tribus substantijs, siue personis, in quo primum statuit æternum illud atque perfectum, quod secundum generauit, & mentem æternã itidem & perfectam. Alio in loco Patrem mentem nominat, sed ab eo manasse Verbum, a quibus condita sunt vniuersa. Ita enim ait in principio libri de prouidentia: Itaque a Mente ipsa, et ab eius Sermone natum hoc vniuersum, et digestum est. Porphyrius hæc principia ponit Patrem, & Filium, quem Græce appellat paternum intellectum: quod, quamuis in tenebris, videntur tamen Poetæ attigisse, cũ Mineruam suam διὸς νοῦν faciũt, sine matre, de illius vertice ac capite productam sapientiam ipsam. Sic Zoroaster & ceteri Magi tres ponunt præcipuos mundi principes, et trium ordinum dominos, Oromasin Mithrin, & Arimanin, quos Plato vocat Deũ, Mentem, et Animã. Dei enim excelsi proprium est vnitas; Mentis vel sapientiæ, ordo, vel pondus; Animæ autem vel Spiritus, mensura & motus. Tres item Deorum ordines ponit idem Plato, non dignitatis tantum maiestate intérpunctos abiunctosq. sed & locorum intercapedine. hi sunt Dij, Dæmones, Heroes. Dij excelsissimum locum tenent, Heroes infimum; Dæmones, medium. De quibus lib. de legib. 4. & in Epinomide. Et Aug. in Ciuit. Dei lib. 8. cap. 14. Iam vero libro de legibus 6. Plato noster præcipuam vrbis arcem consecrat Vestæ, Ioui, Palladi: vt intelligeremus in Diuinis tres omnium fontes exsistere. Vestam quidem essendi fontem, Iouem viuendi, Mineruam intelligendi. Sic Socrates Deos tres posuit imitatione Pythagoræ, licet Plato eo modo scripserit, vt inter manifestum atque occultum sententiam suam calauerit, non inuidia quidem neque maliuolentia, sed rerum dignitate commotus, sciens per se bonum vestigari nullatenus posse, Propheta regio dicente: Nubes et caligo in circuitu Dei. Te-

Fusebius de præp. euã. lib. 14. 2.

Psal. 96. 17

ne-

Psal. 64. nebrias posuit latibulum suum. Et alibi: Te decet silentium Deus in Sion. etsi Septuaginta interpretes pro silētio hymnum transtulerint, significans omnem ratiocinandi, omnem intelligendi facultatem feriari oportere, quando postrema rerum cum Auctore copula fit. Cum nec amicus Dei Moyses Diuinā faciem videre potuerit: sed ex quinquaginta portis, quæ nos ad Diuinorum cognitionem intromittunt, dum taxat per quadraginta nouem accesserit, vt asserunt Sapientes Hebræorum. Sic Pythagorici scientes neque Angelum, neque Hominem immensitatis Diuinæ profundum scrutari posse negationibus subnixi propius ad summum bonum accedebant. quòd si aliquando affirmationibus vterentur, eas semper intelligebant ad res habere comparationem. Quare dicentes Trinitatem rerum omnium esse mensuram, nil aliud intelligi volebant, quàm per se bonum esse principium, medium, & finem. Quod & vaticinatus Orphæus Iouem principium, medium, & finem vocauit vniuersi. Summus etenim ille Auctor creat primo singula, mox rapit, ac denique perficit. Vniuersa enim ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur; deinde in eundem refluunt, dum originem illam suam repetunt; postremo perficiuntur vbi in suum redierint principium.

Trinitatis symbola in Homine.

Agnel. lib. der ation fidei. Tria etiam sunt in Homine inuisibilia, & indiuisa, & in vnum conglobata, & virtutis efficaciæ redundantia; Vox genitrix verbi. ex verbo simul cum voce procedit efficacia, quæ facit alterum consulem fieri, alterum trucidari. Sunt autem ista tria, Vox, Verbum, Efficacia, vnum. qui enim fieri potest, vt diuidas vocem, a verbo; & efficaciam a voce, et a verbo? Vna itaque est in his subsistendi potentia, Voce, Verbo, Efficacia; Tres vero personæ.

Anima nostra in Trino residet Orbe, Trinisq. inuestita, et circumuallata est orbibus:

Caro. Bou. de sensib. cap. 26.

Intellectuali, Vocali, Scripto	seu	Proprio, Corporeo, Mundano.

Est in Anima ignis interior Orbis, quo essentia animæ exprimitur:
Aer, orbis secundus intellectualibus notionibus plenus;
Aqua, orbis tertius vocibus refertus;
Terra, orbis vltimus scripturis plenus.

Anima

Anima in interiori orbe, scilicet in igne, est, sed nihil agit;
In secundo orbe, scilicet aere, intelligit;
In tertio orbe, nempe in aquis, loquitur.
In quarto, videlicet terra, scribit.
Est itaque tantum vnum, sed Tria profert. nam vnica illi & simplicissima adest essentia; sed Trinipara, triumve specierum fecunda,
Conceptuum, Vocum, Scripturarum.
Anima est Triplex circuitus, quia respicit Deum. seipsam considerat. a causis rerum ad effectus descendit, rursusque ab effectibus ascendit ad causas.

Eadem Anima tribus speciebus pascitur, & eruditur:

Sensibili,	*nempe a*	*Mundo,*
Imaginaria, siue phantastica		*Corpore,*
Rationali, siue intelligibili		*Seipsa.*

Mundus enim sensibilem mittit, vibratq. speciem. Corpus imaginationis speciem, vt spectrum animæ præsentat, proponit, & offert. Rationalis species & in anima subsistit; & ab anima animæ præsentatur; & in hac sola consistit hominis scientia, eruditio, & consumatio.

In Anima, quæ ad imaginem Dei facta legitur, est ipsa substantia incorporea rationalis, in qua nunc intellectus & vita est: & quod est in anima substantia, hoc intelligatur, si dici fas est, in Trinitate persona Patris. quod autem est in anima, virtus & scientia, hoc intelligatur in Trinitate filius, qui est Dei virtus, & Dei sapientia. Et quod in anima viuificandi proprietas, hoc et in Trinitate intelligatur Spiritus sanctus, per quem viuificandi opus multis locis prædicatur impleri, sicut ait Petrus Apost. in epistola prima: Mortificatos carne, viuificatos autem spiritu: item Apostolus: Littera occidit, spiritus autem viuificat. Et in Euangelio Dominus ait: Spiritus est, qui viuificat. nam caro non prodest quicquam. Hæc autem quæ diximus tria singulariter sequestrata nullatenus inueniuntur, quamuis intellectus noster ea distincta possit aduertere: sed ita naturaliter sunt vnita, vt dum vnum horum se obtulerit, simul Tria semper occurrant. Cassio. sen. in psal. 50. 1. Pet. 3. 2. Cor. 3. Io. 6.

Anima,	*Pater,*
Virtus, et scientia	*Filius,*
Viuificandi proprietas	*Spiritus sanctus.*

Ex his, quæ in nobis sunt, ea, quæ supra nos sunt, intelligimus atque imagina-

ginamur. In nobis enim & Mens est, & Sermo, & Spiritus. Hæc autem tria inseparabilia sunt, & æqualia. Et quidem Mens sermonem impatibili modo gignit. Sermo autem sine spiritu ex mente progredi nequit. Ita fit, vt quamquam in nobis tres sunt hypostases, vnus tamen homo sit iuxta id, quod in Tribus personis intelligitur, eo quod Mens & Sermonem, et Spiritum habeat. Eodem modo Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres quidem personæ inseparabiles, vnus autem Deus. Et Pater citra passionem Filium generat, Filius rursum sine Spiritu non est.

Mens	Sermo	Spiritus,
Pater	Filius	Spiritus sanctus,

Est item anima nostri vna persona, anima vero producit sermonem, et ecce sermo; alia persona anima producit spirationem, & ecce spiratio alia persona. sunt ergo quasi personæ tres, Anima, Sermo, Spiratio. Anima est ad Modum Patris; Sermo animæ, ad modum Filij et verbi Dei; Spiratio animæ, ad modum Spiritus sancti. Quemadmodum.n. anima est ingenita, ita Deus Pater ingenitus est. Et quemadmodum sermo generatur ab ipsa anima, ita et verbum Dei a Patre generatur. Et quemadmodum Spiratio ab anima & sermone, ita Spiritus sanctus a Patre, Filioq. procedit. Anima, Sermo, et Spiratio, anima vna et non tres: ita & Pater, Verbum, et Spiritus sanctus vnus Deus, & non tres. Inseparabilis anima, & sermo, & spiratio, vna anima & non tres. Inseparabilis Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Inuisibilis Anima, inuisibilis et Deus.

Anima	Sermo	Spiratio.
Pater	Verbum	Spiritus sanctus.

& sicut Deus est, viuit, & sapit, ita Anima secundum suum modum est, viuit, & sapit.

Aug. lib. d cognitiõe uerę uitæ. Cap. 17.

Vnus est Deus, est & Vnitas in Anima, quia non ex partibus, vt corpus, composita; sed est simplex natura, et immortalis essentia. Deus semper vbique totus est in toto orbe, & totus in qualibet parte, vniuersa viuificans, & gubernans, vt in Actis scribit Lucas, dicens, quòd in eo viuimus, mouemur, et sumus, ita in orbe suo, ideſt corpore vbique tota in toto, & tota in qualibet parte corporis est anima, illud viuificans mouens, & gubernans. Neque enim in maioribus sui corporis membris maior, & in minoribus minor; sed in minimis tota est, & in maximis tota. Et hæc est imago Vnitatis omnipotẽtis Dei, quam anima habet

in se,

in se, quæ etiam sanctissimæ Trinitatis quandam aliam habet imaginem. Est enim Deus memoria, quæ sui, et omnium quæ sunt, meminit, quæ Pater nominatur, ex qua intelligentia nascitur, quæ & cuncta quæ sunt, intelligit, quæ Filius nuncupatur, ex vtraque dilectio procedit, quæ se, & vniuersa quæ sunt, diligit, quæ spiritus vocatur. Ad huius Trinitatis imaginem Anima conditur, dum ei Memoria, Intellectus, ratio Dilectionis indicitur. Præteritorum namque meminit, Inuisibilia intelligit, Mala respuens, bona diligit.

Animæ potentiæ tres sunt, Intellectus, Voluntas, Memoria, quæ in vna sunt anima, quemadmodum Pater, Filius, Spiritus sanctus in vna Diuinitate. nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre filioq. procedit Spiritus sanctus, ita ex Intellectu generatur Voluntas; & ex his item duobus procedit Memoria, sicut facile à quolibet Sapiente intelligi potest. nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium vnum aliquid, quantum ad suam beatitudinem pertinet, sine alijs duoqus integrum constat. Porro sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est: nec tamen tres sunt Dij, sed Deus vnus personis excellens tribus: sic et anima Intellectus, anima Voluntas, anima est Memoria; nec proinde animæ tres in corpore vno, sed anima prorsum vna, dignitate insignis triplici. Est itaque anima vna, & indiuisibilis substantia sine sui diuisione trina, discreta in Intellectum, Voluntatem, et Memoriam. Intellectus non est memoria, nec voluntas. Memoria non est intellectus, nec voluntas. Voluntas neque intellectus, neque memoria. Sunt tamen hæc inuicem correlatitia, aquata, & similia; vna insuper eademq. animæ substantia. Quare in his tribus Diuinam imaginem gerit in sua natura noster interior Homo, & ex his quasi excellentioribus animæ dignitatibus iubemur Deum diligere, vt inquantum intelligitur, diligatur, et quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Quod.n. apud Matth.c.22. iubemur diligere Dominum ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, et ex tota mente nostra, sic accipiendum ex toto intellectu, ex tota voluntate, et ex tota memoria.

Aug. de spiritu & anima.

Auguſt. de creatione primi hominis. Primaſius in Apoc.

Tria sunt in Homine, Esse, Nosse, Velle. Sum enim, & noui, & volo; sum sciens & volens; et scio esse me, & velle vt sim; & volo esse & scire. In his tribus quàm sit inseparabilis vita, & vna vita, & vna mens, et vna essentia, quam denique inseparabilis distinctio, & tamen distinctio, videat qui potest.

Aug. lib: confeſſ.

Est in

Aug. in ciuit. lib. 11 cap. 26.

Est in Homine alia Dei imago, nam & est homo, & suum esse nouit, & suum esse & nosse diligit.

Augustin. de Tri. lib. 9. cap. 4.

Potest & alio modo distingui Trinitas in Anima: Mens, Notitia eius, & Amor tria sunt. Mens nouit se, & amat se, nec amare se potest, nisi se nouerit. Duo autem sunt Mens, & Notitia eius. Duo item sunt Mens, & Amor eius. Cum ergo se nouit mens & amat se, manet Trinitas, videlicet, Mens, Amor, Notitia. Hæc autem tria, cum sint à seinuicem distincta, dicuntur tamen esse vnum, quia in Anima substantialiter exsistunt. Ecce iterum mens intelligit se, diligit se. hoc si cernimus, Trinitatem cernimus. Mens rationalis est vna, & de se generat intellectum vna vnum; quem nonnunquam dum conspicit quam subtilis, quam verus sit, & quam iucundus, mox diligit eum, & sibi complacet in ipso. Considera ergo tria hæc, Mentem, Intellectum, Amorem.

Augustin. de Tri. lib. 14 cap. 7. Pet. Lom. sent. 1. distin. 3.

De Mente nascitur Intellectus; de Mente pariter & Intellectu Amor oritur; de sola Mente Intellectus; quia Mens de se gignit Intellectum; Amor vero nec de sola Mente, nec de solo nascitur Intellectu, sed ab vtrisque procedit. sicut Pater generat Filium, à Patre, & Filio procedit Spiritus sanctus; sic Mens generat Intellectum, à Mente & Intellectu procedit Amor. Amplius, sicut Mens, Intellectus, & Amor vnum sunt, sic Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnum sunt. Tres vnum sunt, quia in Tribus personis est vna substantia. Tres vnus non sunt, quia ille, qui genitus est, non potest esse ille, à quo genitus est. neque item ille, qui à gignente, & genito procedit, ille esse potest, qui est gignens, vel genitus. Quare inexpugnabili veritatis ratione cogimur in Deitate personarum, Trinitatem, & Vnitatem cognoscere substantiæ.

Tres sunt partis Animæ principis operationes, quas Anima etiam extra corpus, absque organorum adminiculo; vel etiam à corpore segregata, post mortem potest exercere. Eas Philosophi vocant mere animales operationes, quia sine corpore, vel extra corpus à sola Anima queunt effici. Ipsæ sunt tres Animæ rationalis vires:

Intellectus, Affectus, Voluntas.

quarum duæ posteriores recte etiam appetitus intellectiuus appellantur. Et sic est quidam animæ motus, quo localiter anima mouetur, etiam extra corpus & a corpore separata, quo moueri oportuisset animam. Her-

mothai

mothæi Clazomenij verum fuisset ipsam extra corpus errare in longinqua consuesse, ac inde redire in corpus. qualem fingit & Diuinus Plato in fine de Repub. Socrat. de anima Heri Armeni genere Pamphili, qui cũ duodecimo post mortem die in rogo fuisset positus, reuixisse dicitur. Hoc motu non organico mota, & regressa sunt animæ suscitatorum, puta Lazari quatriduum iam mortui. Tali motu feruntur iam beatorum, & damnatorum animæ, sicut & appetunt iam affectu, vel appetitu intellectiuo, non organico. Plato ex Timæo Locrensi, & ceteris Pythagoricis tres enumerat animæ partes, siue potentias in anima coniuncta corpori; Irascentiam, quam statuit in corde; Concupiscentiam sub medio septo, in iecore, & splene; Rationem in cerebro, tamquam in arce mandatricem operum (vt inquit Claudianus) prospecturamq. labori. Eadem scribit D. Athanasius, cum ait: Habet anima tres partes, Rationem, Animositatem, Appetitum. Atque per partem quidem Rationalem, Deum diligit; per Animositatem vero, damonibus irascitur, & se se strenue aduersus eos gerit; et per partem Appetitiuam, appetit æterna bona.

Plato de Repu. lib. 10.

Atha. lib. definit. Philo Iudęus allegor. lib. 1. Aug. i Ciui. lib. 14. c. 19. Martianus Capella.

Anima rursus in tribus corporis partibus suam habet sedem. Sicuti Solis radius vnum aliquem locum occupat, & in domum penetrat, illuminat vero totam domum; pari analogia anima in tribus corporis partibus residens, totam domum corporis viuificat. Habet porro anima sedem suam, secundũ Peripateticos in corde; secundum alios, in posteriore parte capitis, quæ caua vocatur, & in basilicis seu regijs venis. In his tribus corporis partibus habitat anima. quare si cor vulneretur, aut ex basilica vena aliqua multum sanguinis effluat, aut si caput ac cerebrum cadatur, vel gladio secetur et abscindatur, statim a corpore secedit anima, & mortuum corpus relinquit. In istis porro tribus partibus anima sedem habens, in totum corpus vitalem suam potentiam distribuit.

Sedes in aía trinę.

Omnium operationum initium est Virtus, vt astruit Auicenna doctrina sexta, sen prima, primi canonis. hac etenim abiuncta, abscissaue nulla prorsus erit operatio. Virtutum apud Medicos tria numerantur genera, Vitalis, Animalis, Naturalis: mysterium quidem Diuinæ Trinitati simile. Nam sicut Deus vnus, Trinus, ac perfectus vniuersa complectitur, implet, fouet, superexcedit, & ambit; ita & anima tribus hisce viribus per totum insinuatur corpus, non quidem locali extensione, sed intensione vitali. Naturalis virtus ab hepate in animali, & dicitur Anima vegetatiua,

Vires in aía trinę.

vegetans plantas & corpora animalium: Animalis virtus a cerebro in animali, et dicitur anima sensitiua, seu vis appetitiua, vel motiua: Tertia est vitalis virtus, a corde in animali, qua spiritalis dicitur anima, quia spiritum suppeditat.

Vegetatiua anima est actus substantialis corporis naturalis organici, quo id ipsum nutritur, augetur, & generare potest, sicut anima plantæ est vis, qua planta nutritur, crescit, & seminalem vim habet ad propagandam suam speciem. inest siquidem plantis sola vegetatiua anima. Quare ex predicta definitione tres ãiæ vegetatiuæ operationes eliciuntur.

Nutritio, Augmentatio, Generatio.

Nutritio est alimenti extrinsecus aduenientis conuersio in substantiam nutriti corporis, per vim caloris naturalis, qua recuperat corpus quod perdiderit, cui tres a Philosophis animæ operationes attribuuntur, dimissa expultrice:

Attractio, Retentio, Digestio seu concoctio.

Animantis nutritio trinis membris perficitur, ore, stomacho, hepate. cibus enim ab ore assumitur, recipitur continetur & conseruatur in stomacho, postremo ab hepate (quidquid alij dicant) concoquitur, & digeritur transiens in uenas, & tandem in animalis substantiam. Atque has corporeas functiones hac verborum serie exprimere possumus.

Trina pascendi corporis officia.

Os,	Stomachus,	Hepar,
Cibi assumtio,	Conseruatio,	Coctio:
Primum,	Secundum,	Tertium:
Per se,	A primo,	Ab vtroque:
Pater,	Filius,	Spiritus sanctus.

Attractio, seu assumtio alimenti trino fit actu. Aut per propriam virtutem attrahendi seu occultam, vt magnes attrahit ferrum; aut per vacui impletionem, quod nequit admitti, sicut aqua sursum attrahitur; aut transuersum per siphones; aut per calorem stomachi & hepatis, vt lychnus ardens in lampade attrahit oleum, aut alium humorem pinguem.

Attractio alimenti trino fit actu vel per { Virtutem occultam: / Vacui impletionem: / Calorem Stomachi & hepatis.

Digestionis seu concoctionis qua alteratur alimẽtũ, et digeritur per calorẽ naturalẽ & humorẽ, tres sũt operationes. prima est emollitio, et maceratio alimen-

alimenti in humido, vt in plantis: secunda est quadã ceu coctio, et elixatio alimenti in stomacho corporis animalis, quemadmodum caro elixatur in olla: Tertia fere est assatio, cum assatur alimentum, solidiusque fit, a quo etiam nutriuntur ossa, & cartilaginea membra, nedum carnea, vt aliqui sentiũt Tres igitur sũt operationes Digestionis, Emollitio, Coctio, Assatio.

Habet & augmentatiua operatio Trinitatis perfectionem. Quemadmodum enim Nutritiua operationis est alere, nutrire & mouere substantiam corporis animati, sic Augmentatiua potentia corporis animati auget quantitatem in Longum, Latum, Densum. Quare & Medici illam vocant naturalem crescendi Virtutem, quam sic deffiniunt. Augmentatio est conuersio alimenti exstrinsecus aduenientis in substantiam corporis, vel membri alti, per naturalem calorem, qua corpus vel membrum recuperat plus quam perdit crescens in Lõgitudinem, Latitudinem, Densitatem. Porro sicut augmentatio, & nutritio ad conseruationem pertinent indiuidui; sic ad suæ speciei conseruationem valet generatio. Ea enim sic deffinitur: Generatiua potentia est qua corpus animatum anima vegetatiua, gignit ex se aliud animatum corpus, simile sibi in specie, ad cuiuslibet animatæ speciei perpetuam conseruationem propagationis, cui tres a Medicis operationes attribuuntur. Spermatica seu virtus, qua alimentum & humor in semen commutatur: Altera immutatrix qua semen in partes corporis generandi incipit trasmutari, vt in sanguineum, carneum, osseum. Plasmatiua vel informatiua tertia, qua semen mutatur forma in germen, vel embrionis formam, id est, in factum nondum perfectum, neque animatum.

Generatricis potentiæ trina operatio { Seminatiua, Immutatrix, Plasmatiua.

Humanitas vnitrina.

In Humanitate, quadã participatione, uidemus trinum, et vnũ Deũ. quanto magis enim creatura Deo similis, tanto magis trina, & vna. Video igitur vos omnes esse homines; per essentiam igitur Humanitatis estis homines. Video plures esse in essentia humanitatis, et id per quod subsistit Hominum pluralitas, & sic est Vnitas, quia Vnitas est ex qua pluralitas, quoniam pluralitas est explicatio Vnitatis. Video vos esse inæquales. Vnde sicut inæqualitas sequitur pluralitatem, & ex ea oritur; sic in es-

sentia Humanitatis, ab Humanitate exoritur substantia inæqualitatis. Inæqualitas autem per æqualitatem subsistit. Quare in essentia Humanitatis est Vnitas, a qua æqualitas. Video vos diuisos, & ab inuicem separatos, sed diuisio seu separatio procedit a pluralitate, et inæqualitate. quare in essentia Humanitatis reperitur id, in quo subsistit diuisio, quod procedit ab Vnitate & æqualitate, & id est connexio. Quare habemus in simplicissima essentia Humanitatis. Ex qua per quam, et in qua Homines id sunt quod sunt, propter quod nisi Humanitas vnitrina esset, per ipsam Homines esse non possent.

Etiam ex tribus personis manuducimur ad Diuinæ Trinitatis inspectionem, et contemplationem. Non ita dicimus esse plures Humanitates, sicut plures homines; sic non idē est Humanitas & homo. sed idē est Deitas, et Deus, propter simplicissimā essentiam Diuinā; vnde sicut non sunt plures Deitates; ita nec plures Dij, & non sunt nisi tres personæ in Humanitate, videlicet: Ego, tu, ille, vnde vere dicere possum.

Ego sum, homo, Tu es homo, Ille est homo.

Et sunt tres illæ personæ eiusdem Humanitatis. Vnde igitur haberent hoc tres illæ personæ, nisi Creator Deus esset simili modo Trinus in personis, et Vnus in essentia? Potest igitur Deus dicere:

Ego sum Deus, Tu es Deus, Ille est Deus,

eiusdem Deitatis. & non sunt tres Dij; quia non sunt tres Deitates; sed sunt vnus Deus, quia vna Deitas, quæ Deus. Certum est tres personas in vnitate non esse vnitatem, seu singularitatem; & tres personas in numero non esse nisi numerum & pluralitatem. Et veraciter dicimus tres esse diuinas personas vnitate, non in numero; & tres humanas personas in numero dicimus, ideo plures homines.

Trinitatis vestigiū in humana specie, siue in hominis creatione.

Humana species tantum vna est, Trino tamen actu a Deo substantialiter condita atque perfecta. Adam primus homo, & per se a nullo; Eua ex Adam, ab vno; Abel ex Adam & Eua, ab vtroque. Greg. Naz. Theologiæ lib. quinto Adam quid erat? Figmentum Dei. Tū quid Eua? sectum quiddam ex figmento. Quid autē Seth? Vtriusq; proles. non idem aūt Figmentū, Sectū, et Genitū, sed eiusdem substantiæ. hæc Iohānes Siluatractatu de beneficio: Morientē aliquo campanæ debent pulsari, pro Muliere quidem bis, pro eo quod ipsa inuenit alterationē. primo enim fecit hominem alienum a Deo; quare secunda dies nō habet benedictionē.

Par. 1. q. 5

Pro

Pro viro vero ter pulsatur, quia primo inuentus est in nomine Trinitatis, primo enim formatus est Adam de terra; deinde Mulier ex Adam. postea homo creatus est ab vtroque. Et ita est ibi Trinitas. Protulit igitur Diuina Mens primo humani generis Actum, Virum: Deinde ex Actu Potentiam, id est, Mulierem, eduxit: Tertio ex ambobus extremis actu, scilicet, & potentia, viro & muliere, eorum medium, amborum scilicet, Filium proferri voluit, per quem Humana species trinum, totum perfectumq. esse naturaliter est adepta. Mitto tria hominum genera apud Platonicos Marem dico, & Feminam, tertium ex vtroque compositum, Plat. i Sympos. *cuius integra cuiusque hominis species atque rotunda, dorsum, & latera circum habens, manus quattuor, & paria manibus crura, vultus duos. masculinũ genus Solegenitũ dicentes, femininum terra, Luna promiscuũ.*

Tripartita sunt hominis bona, Vtilia, Honesta, & Delectabilia. Vtilia, sunt corporis bona, naturalesque corporis necessitudines, vt vestes, cibus item & potus, sine quibus saluari nequit humanum corpus. Honesta vero bona sunt disciplina omnesque Virtutes, quæ propria sunt animi bona. Delectabilia autem sunt sine quibus esse quidem potest animalis corpus, hilaritatem tamen & iocunditatem præstant, vt varij flores, et vnguenta, Quo fit vt hominem partiamur treis in parteis. Corpus, Animam, Totum. vt bona Vtilia referantur ad corpus, Honesta ad animum, Delectabilia ad compositum. Alia quippe sunt corpori propria; alia Animo; alia Vtrique communia, quæ composito sunt propria. Corpus per se deorsum ad inferiora rapitur. Anima suapte natura ad superiora tollitur, Compositum vero nexus est, et amor vtriusque, quo continentur amba partes in medio. Itaque alia sunt bona ob quæ disquirenda deprimitur deicitur que corpus in mundum. Alia vero quorum amore oblita nesciaque corporis anima, sese quodammodo illius claustris exerit tollitque pro viribus ad Sydera. Alia denique sunt, quæ vtrique parti epithalamium siue hymenæum canunt, quibusque coercentur in medio, copulantur inuicem, coeuntq. in toto.

Erit igitur trina rerum positio seu susceptiua potentia & locus,

Corpus, Anima, Mundus. Plato d Legib. lib. 4.

quod vniuersa hominis bona sint, vel in Corpore, vel in Anima, vel in Mundo, tamquam in potentia; in subiecto, et in continenti loco.

Trinitas in sensibus exterioribus.

Eodem modo tripartiti sunt sensus, Vtilium, Honestorum, Delectabilium. Tactus & Gustus fere vtilium sunt bonorum; visus & Auditus, honestorum; Odoratus, delectabilium. Tactus enim & Gustus omnibus animalibus ad naturalium necessitudinum prouidentiam a natura deputati sunt: ita ut praesente tactu statim id cui ineſt dicamus esse animal atque eo absente non esse animal. Comitatur autem Gustus Attactum, nec ab eo vnquam separatur. Vt enim is iudex est naturalis, conuenientisq. loci; ita & ille praetentator naturalis conuenientisq. alimenti. Visus & Auditus disciplinae sensus vocantur omnium praestantissimi & liberalissimi, qui vt Gustus & Tactus ad corporis carnisq. salutem; ita & ipsi ad spiritus, atque animi pastum, eaque haurienda, quae animum eruditunt virtuteq; consumantur, facti atque instituti a natura uidentur. vera enim animi bona sunt disciplinae, scientia, omnesque virtutes, & quacumque propter se bona sunt, quae liberalia, et honesta nuncupantur. Olfatus autem, qui aequalis mediusq. sensus dici potest, honestior quidem & liberalior est Gustu & Tactu; minus tamen liberalis visu & Auditu, minusque animo aut carpori proprius, quam extremi. Is enim factus est partim vt animam in corpus temperet, carnemq. emolliat odoribus suaue olentibus, qui magis in hominum oblectamētum, quam per necessarium vsum multo sumtu comparantur.

Trinitas alia in sensibus exterioribus.

In quolibet sensu exteriori relucet qualecumque vestigium Trinitatis. Nam vt vno testimonio vtamur oculorum, quando quod vnus renunciat etiam in ceteris valet, visio, res visibilis, videns, tria haec sunt considerandа cum aliquod corpus videmus, primo ipsa res quam videmus, vt pote turrim, quae vtique iam esse poterat antequam videretur. Deinde visio, quae non erat priusquam obiectam sensui turrim sentiremus. Tertio quod in eare quae videtur, quandiu videtur, sensum detinet oculorum. In ijs igitur tribus manifesta est distinctio, et discreta natura.

Visus,	*Visibile,*	*Videt:*
Auditus,	*Audibile,*	*Audit:*
Odoratus,	*Odorabile,*	*Odoratur:*
Gustus,	*Gustabile,*	*Gustat:*
Tactus,	*Tangibile,*	*Tangit.*

Tri-

Trinitas in materialibus cognitionibus.

Sex sunt materiales cognitiones, internus sensus vnus qui communis dicitur, & externi quinque, in quibus miro responsu, et congruentia, Trinitas elucescit. Sensuum enim alij sunt præsentatiui ministrantes, et obiectiuj; passibiles alij inferiorum iudices arbitri præcipui, & eorum quæ ab illis offeruntur susceptiui. Manus enim quæ tactus quidam sunt, oculis ministrant scripturas, colores, & omnium picturarum varietates. Os auditui voces concinentiam omnemq. harmoniam offert. Olfactus cerebrum imaginationis locum varijs inspirat odoribus. Tres igitur sunt qui offerunt & ministrant sensus, Tactus, Gustus, et Odoratus. Tres item quibus ministratur, Visus, Auditus, Imaginatio. Tria sunt & quæ offeruntur, quibusq. hi ab illis pascuntur et aluntur, Color, Vox, Odor. In sunt igitur sensibus trinæ Trinitates; prima ministrantium sensuum; secunda eorum quibus ministratur; tertia obiectorum, quæ ministrantes præstantioribus offerre iubentur.

Carol. Bouillus lib. de sensib.

Trinitas in homine.

Trini sunt infantis status, In vtero, In natiuitate, Post natiuitatem, In minore mundo, id est, in sua conceptionis loco cum adhuc matris vtero inest: In maioris, et minoris medio; medius enim status est natiuitatis tempus: In mundo maiori, quo ætate proficit, & sapientia consummatur.

Trinitas in hominis positione, ac situ.

Homo trinis positionibus in loco & quiete variatur & differt. aut enim iacet, aut sedet, aut stat. Iacere noctis est, & somni positio. Sedentaria positio medij temporis est matutini, aut serotini, cum aut somno expergiscitur, aut incipit dormire. Stare vero perfecta est, et meridiana hominis positio.

Gradus omnes humanæ vitæ ad Trinitatem reuocari.

Seruius Tullius, vt ex Tuberonis historia refert Gellius lib. decimo vitam omnem in treis parteis distribuit. Prima hoc est pueritia nihil magnifacit, vt pote quæ nondum integra est et perfecta. Vltima, videlicet: senectus, eodem quo prima modo nihil boni in se habet, vt quæ debilis, marcida, sine viribus, sine memoria, plerumque & delira. Media est, in qua discimus, sapimus, docemus, valemus, honores gerimus, res magnificas et memoria dignas facimus. Hac ætate propheta regius priuari nolebat quando Dominum his verbis suppliciter orabat: Ne reuoces me Domine in dimidio dierum meorum. Quare Hesiodus Poeta sapientissimus

il-

illud præceptum memoriæ dandum existimabat. Incipiente vini vase, et in fine pota quantumlibet, veluti non ita perfecto; in medio autem tamquam perfecto, vtere parsimonia. Quod licet aliqui de vino dictum putent, quoniam vinum in summo vasis & in infimo insuaue est (optimum enim mel in infimo, vinum in medio, in summo vase oleum); sapientes tamen allegorice ad humanam vitam referunt, ita interpretantes vt in pueritiam, & in senecta teras & abutare tempore ut libet; & eas ætates, quæ nihil fere vtilitatis in se habent, nihil facias; mediam uero ætatem magnifacias, & non consumes, sed parce expendas, quoniam ea est perfecta, &, ut medium in uase uinum, suauissima.

Tripartita humanitatis vita.

Tripartitam humanam uitam fecere Poetæ in

Theoricam, Practicam, Philargicam:
Contemplatiuam, Actiuam, Voluptuariam,

Contemplatiua ad sapientiam, & ueritatis pertinet inquisitionem, quam apud Ethnicos gessere Philosophi, apud nos Episcopi, & Sacerdotes, quos nulla lucri cupiditas, nulla furoris insania, sed tantum indagandæ ueritatis cura macerat, fama ornat, pascit spes. Actiua tantum uitæ commodis anxia, habendi insatiabilis, rapiendi causta, seruandi solicita geritur, hanc uitam penes antiquos Tyranni, penes nos Mundus omnis gerit. Voluptuaria libidini tantummodo obnoxia, uitæ solam appetit corruptelam, penes illos Epicurei & uoluptuarij, penes nos huiusmodi uita natura non crimen est. Hanc Trinitatẽ considerantes Poetæ trium Dearum certamina posuere, id est, Mineruam, Iunonem, et Venerem, de forma dignitate certantes. Ideoque Iouem non posse de his iudicium proferre, siue quod præfinitum mundi iudicium ignorabant, siue quia in libertate arbitrij constitutum hominem crederent. Minerua .n. vitã theoreticam et contemplatiuam figurat, quia de Iouis nata est cerebro, in quo positum est ingenium. Iuno actiuam figurat, quasi a iuuando dicta, ideo Regnis præesse dicitur, quòd hæc vita diuitijs dumtaxat addicta sit. Venus uoluptuariam uitam figurat, Venerem dicentes bonam rem, secundum Epicureos, ut pote qui uoluptatem maxime laudarent. Hinc factum est quod Minerua, si pro ea iudicasset Alexander, Paridem omnium artificiosissimum futurum pollicita est, Iuno, si victrix discederet, in omnibus terris regnaturum, et ditissimum forè. Venus autem Helenam omnium mulierum formosissimam se in coniugem daturum promisit.

Tri-

Trinitas in calore.

Hominis, animalium præcipui, trino calore atque igne præparatur & concoquitur cibus; primo cæleſti, ſecundo elementari; tertio humano. Sole, igne, hepate Hiſce tribus ignibus præparatur alimentaria hominis ſubſtantia, priuſquam ex materia vertatur in ſanguinem. Nempe a Sole maturantur fructus, herbæ, plantæ, & animalia gignuntur; deinde ab elementari igne, quidquid in eis cruditatis, contrarij & ſuperflui humoris eſt, exhalatur ac reſoluitur; poſtremo in homine, hepatis calore, in ſanguinem omnia conuertuntur.

Trinus calor { *Sol, Ignis, Hepar:* } *Proprietates* { *Maturitas, Coctio, Digeſtio ſeu concoctio.*

Idem homo ad inſtar altiſſimæ Trinitatis imaginem gerens ex

Spiritu, Corpore, Anima

conſtitutus exſiſtit. Spiritus autem eſt nobilior, ſuperior, & altior intellectualis, perſonæ Patris figuram repræſentãs; & corpus perſonam Filij; et anima quaſi vtriuſque naturam participans ab vtroque procedentis perſonam Spiritus ſancti.

Trinitatis veſtigium in humano corpore.

Tres cum ſint præcipuæ ſenſibilis mundi partes, Firmamentum, Sol, Terra, in humano corpore, Trias hæc inuenitur mundo proportionabilis. Hominis cælum, ſiue Firmamentum, aut ſtella eſt eius cerebrum. Hominis Sol ſeu Planeta, eſt eius cor, ſitus in eius medio. Hominis elementum, aut terra eſt eius venter, aut ima pars uentris, natura humida, a qua cordis calor non ſecus quam Sol a terra nubes & vapores eleuat, tollitque ad animalis culmen.

Mundus	*Terra,*	*Sol,*	*Firmamentum:*	*Proportionabilia.*
	Elementum,	*Planeta,*	*Stella fixa:*	
Homo	*Venter,*	*Cor,*	*Cerebrum:*	
	Ima pars,	*Medium,*	*Suprema pars.*	

Secundum diſtinctionem mundi angelici, cæleſtis, & elementaris, ſunt in humano corpore tres partes, ita diſcluſæ et ſeparatæ, vt tribus mundi partibus proportione reſpondeant. Prima quidem & ſuprema caput; ſecunda quæ a collo ad vmbilicum protenditur; tertia quæ ab vmbilico extenditur ad pedes. Eſt in capite cerebrum fons cognitionis: Eſt in pectore

cor,

cor, fons motus vitæ & caloris: sunt in postrema parte genitalia membra principium generationis. Sic & in mundo, suprema pars, quæ est mundus Angelicus seu intellectualis, est fons cognitionis, quia facta est illa natura ad intelligendum. Pars media, quæ est cælum principium vitæ motus & caloris, in qua Sol veluti cor in pectore dominatur. Est infra Lunam, quod omnibus notum, generationis principium et corruptionis. Vide quam apte tres maioris et minoris mundi partes inuicem congruant.

Mundus.	Supremus,	Medius,	Infimus:	Proportionabilia
	Intellectualis,	Cælestis,	Sublunaris:	
	Angelus,	Sol,	Elementum:	
	Cognitio,	Vita et calor,	Generatio:	
Homo.	Caput,	Pectus,	Postrema pars ventri:	
	Cerebrum,	Cor,	Genitalia:	
	Suprema,	Media,	Infima.	

Sicut digitus cum manu & brachio, manus vero et brachium vnum sunt cum corpore in natura; ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem sunt personæ, vna autem substantia Diuinitatis. Hinc in Euangelio Digitus Dei, singulariter, Spiritus sanctus accipitur, a quo Spiritu sancto Lex scripta narratur. ipse enim scripsit, qui scribenda dictauit, id est, Spiritus sanctus.

His coniecturis sulta humana mēs, diuinæ Trinitatis vestigium aliquo modo eliciet; quandoquidem ab eodem supersubstantiali diuinitatis fonte manarunt vniuersa & materialia, & immaterialia, visibilia, & inuisibilia, quæ cum ternario sint vniuersa discreta, rationabile est omnem creatā Trinitatem ab æterna et increata diuina Trinitate duxisse originem; sed aliter signis, aliter caussis archetypis et exemplaribus eadem insunt, nam cum scire, sit rem per caussam cognoscere, Arist. 1. Poster: incomprehensibilis erit substantia diuinæ Triadis, quod illius essentia sit increata, nec in creatis reperiri possit similitudo necessarium concludens, & rē demonstrans; quia non potest tanta similitudo notari inter creaturam & creatorem, quin sit dissimilitudo maior. In his enim quas apposuimus coniecturis, plerumque hæc accidunt, inæqualitas, substantiæ diuisio, prius, posterius; sed ex signorum inæqualitate coniicienda est summa in Deo æqualitas; ex substantiæ diuisione, summa coniunctio, & substantiæ identitas; & ex posterioritate & prioritate, æternitas. Nam rectilinei anguli tres, obtusus, rectus, acutus, licet eodem puncto coniuncti sint a quo lineæ

tres

tres protenduntur, inæquales tamen sunt. Obtusus maior, Rectus medius, Acutus minor. Rursum Conceptus, Vox, Scriptura, æquales quidem sunt. Conceptus enim omnia est, Vox omnia, Scriptura omnia; dissiti tamen sunt ab inuicem locoq. diuisi. Nam Conceptus in mente, Vox in ore, Scriptura in charta. Et Conceptus prior est voce, vox itidem prior Scriptura. Et in animæ Trinitate Verbum ab Intellectu nostro productum est, similiter & Amor, et Amor a Voluntate emanans, quorum altero diuinum Verbum, altero autem Sanctus Spiritus, qui Amor quidam est, designatur. Intellectus vero habens obiectum præsens & producens Patrem effigiat. Sed in hoc differunt quod Verbum in nobis productum, similiter et Amor (qui a Scotistis dicuntur actus secundi) in nobis sunt accidentia, in Deo vero substantia, et idem cum ipso Deo. Memoria quoque quæ in nobis recordatio quædam est præteritorũ, in Deo plenissimus est omnium præcedentium, præsentium, & futurorum contuitus. Nihil in eo acquisitum, nihil temporaneum, nil inæquale, nil disiunctum atque separatum. nil denique prius aut posterius. omnia quippe in Deo coniuncta, inseparabilia, naturalia, inacquisita, æqualia, infinita, simul, æterna.

Num. Ternarij finis.

QVATERNARIVS
AD LECTOREM.

BRiseis, Pandora, Venus cum Pallade, Iuno,
Oenone, Daphne, Laodamia, Themis,
Iliades, Nireus, nec non formosus Apollo,
Hic fixere suos, turba decora, pedes.
Omnes ornati, similes vt scilicet ipsis
Mittant, ast abigant queis decus istud abest.
Vare caue, obliquis qui vix fers cruribus artus,
Nulla Deum tibi sunt munera, vare caue.
Mens mala, non animus bonus, imo pessima cuncta,
Nulla est artubus his gratia, vare caue.
In me quid gibbose ruis? procul aufuge, gibber
Nequitiæ specimen turpe dat iste tuæ.
Res quoque nulla tibi mecum strabo, lumina produnt
Te tua, mox lumen fascinat istud, abi.
O furor, ecce breui breuior pede tendit Erynnis,
Nomine cui nostro fama parata viget.
Sis saluus bone vir, lepidum caput, vnde rediisti?
Si non fallor ades de phlegetontis aquis.
Claudito Apollo fores, non fallor, venit ab orco,
Labia bile tument, sulphur at ora vomunt.
Arce dirum omen, niger est, mihi lacteus humor,
Virtuti & vitio non patet vna domus.
Dum procul est commune malum, præsepibus arce,
Vicini pecoris ne mala damna traham.
Sum formosus ego, formosis ianua semper,
Formosis animo, corpore, mente, patet.
Huc igitur formose veni, quem gloria & ardens
Virtus, pieria tollit in astra via.
Huc alacer propera, media te sorte virorum
Ereptum, in celebri ponere luce volo.
Te volo cælicolas inter sacramq. cateruam
Ponere, sic magnus quo videare Deus.
Corripe lætus iter, supera fastigia montis,
Terreat haud animum cura laborq. tuum.
Nam, si parta nisi iucundis gloria rebus,
Nulla futura tua est: nulla futura tua est.

DE NVMERO IV.

QVaternarij naturam nemo satis pro dignitate laudare potest, quippe quæ omnem dicendi facultatem longe superet: verum quamquã plus admirationis in se cõplectatur, quàm quod oratione hactenus ab vllo sit explicatum, haud tamen propterea tacere debemus, sed audacter aggredi, vt si non omnia, neq; quæ maxime ipsius exprimũt naturam, at ea tamen, quæ in nostram cogitationem veniant, dicendo aperiamus. Ac illud primum ad huius numeri commendationem afferri potest, quod primus solidi naturam ostendit, cum præcedentes numeri incorporeis rebus sint dicati. In vnitate quidem censetur punctum, quod vocant Geometræ; in binario linea, ea est longitudo sine latitudine, quæ ex accessione fit superficies ad ternarium spectans. Hæc vero quo minus sit corpus natura solidum, vna destituitur altitudine, quæ iuncta ad ternarium nascitur Quaternarius, qui primus est corporeus solidusue numerus trigonæ pyramidis, quæ ternario, vnitate q. erigitur. Ad vnitatis enim apicem, basium vice functa trinitas, arithmeticum primum, ac simplicissimum procudit corpus quattuor dispansum vnitatibus, & hoc arithmetica ratione. Quod si geometrico modo pyramidem conflare volueris, vnitatis vice sumetur punctum, nam punctis quattuor

geometricum primum, minimumùc corpus uall abis, quam trigonam quoque pyramidem nuncupamus. hanc enim quattuor puncta angulorum ipsius capita finiunt, lineæ sex dirimunt, ac dispartiuntur, quattuor superficies eandem operiunt; ipsa denique corpus vnicum existit sub ipsis conclusum terminis. quo factum est, vt Quaternarius non modicam sane sit assecutus dignitatem, quando nos ab incorporea, intelligibiliq. essentia ad considerationem solidi corporis trifariam patentis duxit. Qui uero quod dictum est minus intelligit, id ex lusis quodam, qui est in communi consuetudine positus, facile perdiscet. qui nucibus ludunt, cum tres posuerint in areæ superficie nuces, vnam præterea adijcere solent, & ex illis instar pyramidis figuram efficere. Triangulus igitur ille in plano consistit intra ternarium, cui nux superimposita, Quaternarium efficit numero, in figura vero pyramidem solidum iam corpus. quemadmodum autem vnitas vniuersam numerorum perfectionem in se astringit, nempe in quam cuncti adducuntur numeri; pari filo corpus emergit Quaternario, quod magnitudinum tota

perfectio corpore arceatur, & concludatur, non puncto, quod est infimum omnem entis excludens rationem, quippe quod per se neque est, neque intelligitur. Quare cum de Deo, & Intelligentijs philosophamur, in numeris quidem nostra mentis artificio texenda per unitatem philosophia; in magnitudinibus autem non per punctum, sed per corpus, quod suapte natura primum percipitur visu omnium sensuum nobilissimo. Inter sensuum enim nostrorum organa, vnum illud eorum, quæ sensui subiacent, euidentissimam obtinet cognitionem, et intelligentiam, nempe visus. Quæ namque formidabilia sunt, nequaquam potest quis auditu internoscere, perinde ac visu. Adde quod alia vis nulla peræque apprehendit quid potissimum expetere debeas, vt visio, quòd eandem vim oculus teneat in corpore, quam mens in animo. vtrique enim cernendi facultas attributa, huic quidem, quæ ratione; illi, quæ sensu percipiuntur. Porro mens ad eas res cognoscendas, quæ corporis sunt expertes scientia indiget: oculi autem ad corporum comprehensionem lucem desiderant, quòd eam ad oculorum sensum velut instrumentum maxime necessarium natura suppeditarit. liquet enim quòd sublato lucis medio conspicuæ non essent tot corporum qualitates, neque tot colorum, ac formarum species. Verumenimuero licet infinita bona nobis afferat Solis lumen, numerorum tamen naturam maxime demonstrat, quæ in bonis præcipuum obtinet locum, quòd hominum vita ratiocinatione, numeroq. valde indigeat. Viuimus (inquit Epicharmus) numero, et ratiocinatione. hæc enim conseruant homines. Porro numerus oritur quando aspectus subsidio lucis in sublime sublatus astrorum æquabilem motũ, ratosq. illorum cursus quæ inerrãtia, queq. errãtia et vaga dicuntur peruidet, et numeri naturã contẽplatur, tempore illam proferente. ad tempora siquidem dimetienda natæ sunt stellæ, quia ex vno die fit vnũ, ex duobus fiunt duo, ex tribus tria, ex mense triginta, ex anno tantus numerus, quantum dierum continetur duodecim mensibus, et ex infinito tempore infinitus oritur numerus. Confirmatur nostra sententia à Platone dicente in Timæo. Vt esset quædam velocitatis syderum, tarditatisque mensura certissima, omniumque motuum prodiret in lucem chorea, accendit lucem clarissimam Deus in secundo à terra circulo, quam modo Solem vocamus, cuius splendore cælum omne illustraretur; & animantes omnes, quæcumque natura numeri capaces sunt, ipsius participes efficerentnr, vsum numerandi discentes ab illo eiusdem, similisque naturæ circuitu. sic ille. Illam profecto sensibilem lucem

cem, quæ et semetipsam, & cetera manifestissime indicat, quarto die formatam fuisse describit propheta Moyses. Solus porro Quaternarius ex eisdem, & compositione, & innata potentia consistit; compositione quidem ex duobus et duobus; rursum potentia, ex bis duobus, pulcherrimã quandam præseferens consonantiæ speciem, quæ nulli ex alijs numeris inest. mox. n. senarius e duobus ternarijs compositus haud amplius gignitur his per se multiplicatis; sed alius nempe nouenarius. ex quo fit vt Quaternarius sit amplissimus quadrangulorum numerus. fiunt enim quadrati ex quolibet numero in se ducto, & quotusquisque fuerit in ordine quadratus, totidem in latere monades habebit, quare constabit rectis angulis, vt liquet ex figura geometrica. Hi rectæ rationis sunt significatiui. recta autem ratio perennis virtutum fons est. oportet vero æqualia esse quadranguli latera. Æqualitas porro mater est iustitiæ, virtutum ceterarum ducis, ac principis. Ex his igitur quæ diximus perspicuum est æqualitatis iustitiæ, ac omnis virtutis signum esse Quaternarium numerum, atque etiam vtramque naturæ speciem, videlicet corporis expertis, & corpoream comprehendere; incorpoream nimirum in superficie, quam explent tetragoni; corpoream autem in altera dimensione, quam absoluunt cubi quartam sedem in omni geometrica progressione tenentes. Nam, vt habet Euclidis octaua proportio noni, constitutis ab vno continue similium rationum numeris, tertio quoque loco tetragonus se se ingerit sumendus; itemq. quarto loco cubus: atque adeo trino progressu ab incorporea non absumus natura. ceterum quaterno adusque corpoream prolabimur naturam, vt in duplis 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. tertius à primo 4. tetragonus est, à quo rursum tertius scilicet, 16. etiam tetragonus; itemq. tertius ab illo, vt pote 64. idemq. in reliquis excrescente quantumuis duplorum summa. ceterum quartus à primo scilicet 8. cubus est, à quo qui quartus nempe 64. rursum cubus, & ita deinceps. Non secus in triplis, in quadruplis, denique in reliquis sumendum occurrit. Sed dices fortasse, quomodo quadratus ad incorpoream, si quaternarius, qui etiam quadratus, ad corpoream naturam refertur? sed id facile diluitur. Nam Quaternarius cum ad ternarium confertur, vt pote in quo nulla crassities intelligi potest, tum sane Quaternarius corporeus est, et pyramidis habens crassitiem. at cum idem quadratus ad octonarium cubum confertur, tum quaternarius est incorporeus, ac dumtaxat octonarij planities, tetragonusq. nullam attol-

lens molem. Octonarius autem quarto positus loco prorsus crassus, & corporeus est. ita sane & ipsis accidit rebus. Nam si Angeli ad Deum conferantur, & ad supremam, eandemq. summe simplicem naturam sunt vt crassi, corporeiq. sinautem ad nos, & ad res sensibiles corporea obductas mole, vere & sunt, & dicuntur incorporei. Incorporeus autem, inquit Damascenus, Angelus & immaterialis dicitur quantum ad nos: nam omne ad Deum collatum, qui solus incorporeus, crassum & materiale comperitur. sola enim vere immaterialis est, & incorporea Diuinitas. sic luna in conspectu Dei splendore caret, et stellæ non sunt mundæ. sic humana iustitia auctori comparata, iniustitia est. Transeamus ad huius numeri plenitudinem. implet enim Quaternarius uniuersam numerorum differentiam, primum parem, ac primum imparem in se complectens. nam Plato duo, et item vnum, non tam numeros, quam numerorum principia nũcupauit. implet et numerorum progressionem: denarij siquidem omnium absolutissimi caussam ac fontem dicere licet. quod n. actu denarius est, hoc Quaternarius videtur esse potẽtia. si enim ab unitate, usque ad Quaternarium deinceps componãtur numeri, denarium conficient immensitatis numerorum terminum, ad quem ceu metam circumaguntur, ac se reflectunt. De vnitate quidẽ, cuiuis est perspicuum. quod uero et ceteros deinceps contineat, ex numerorum supputatione facile colligitur 1. 2. 3. 4. si componamus, omnis eximetur dubitatio. ex uno quidem et quattuor constat quinarius; ex duobus, et quattuor senarius; e tribus, et quattuor, septenarius; et triplici compositione, ex vno, tribus, quattuor, octonarius; rursum e duobus, tribus, quattuor, nouenarius. denarius autem ex iam dictis omnibus: nam vnũ, duo, tria, quattuor, ut dictum est, conficiunt decem. Numerus autem denarius, & quaternarius dicitur omnis; sed denarius quidem actu, Quaternarius. De ipso autem denario, qui est altera vnitas, pari quaternario progressu quadratæ radicis attingitur explicatio decem quippe, viginti, triginta, & quadraginta, simul iuncta, centenarium, numerum conficiunt: qui denarij radicis est quadratura. centenaria similiter vnitas pari motu procreat millenarium. nam 100. 200. 300. & 400. simul compositis efficitur millenarius cubus æternitatis. Quaternarius igitur vnitatis est explicatio, vniuersi continens potentiam. Adhuc quattuor primis cubis ordine dispositis, licet reperire centenarium ipsius denarij quadratum. Si disponatur progressio cuborum, qui suis sint signati

radi-

radicibus cubicis, ideſt, numeris ab vnitate naturaliter progredientibus, vſque ad Quaternarium, hoc modo.

1	2	3	4	10
1.	8.	27.	64.	100

Summa omnium cuborum facit numerum quadratum, cuius radix quadrata, et ſumma omnium radicum eorundem cuborum. quemadmodum enim 1. 2. 3. 4. ſimul addita, faciunt decem, conſimili modo 1. 8. 27. 64. conficiunt 100. cuius radix eſt 10. Adhuc Quaternarius præter id quod, vt dictum eſt, in ſe potentia denarium continet, quẽ Pythagoras numerorum ſupremum promulgauit, vniuerſarum quoque rerum ordines numerat, metitur, & apprehendit, adeo vt nihil ferme in rerum natura compertum habeas, quod non aliquo pacto numeretur à Quaternario. Nam & hunc Hierocles Pythagoræ fidus interpres adeo extollit, vt opificem, & omnium cauſſam dicat. A Quaternario quippe manarunt totius mundi radices, prima videlicet maxima, & ſimpliciſſima, corpora, Ignis, Aer, Aqua, Terra. Inimo ſubſidet terra ſuo librata pondere, quo cetera quoque fulcit elementa. Aqua, & Aer in medijs regionibus ſiſtuntur. Ignis ſummum obtinet mundi faſtigium. In his quattuor omnis ſenſibilis actus in materialibus atomis ſuffulcitur. quidquid enim ex materia, formaq. conflatur, natura extra elemetum degere, ſeruariq. nequit. De his hæc canit poeta Naſo.

Quattuor æternus genitalia corpora mundus
Continet, ex illis duo ſunt oneroſa, ſuoq.
Pondere in inferius tellus, atque vnda ſeruntur,
Et totidem grauitate carent, nulloq. premente
Alta petunt aer, atque aere purior ignis,
Quæ quamquam ſpatio diſtanti, tamen omnia fiunt
Ex ipſis, & in ipſa cadunt, reſolutaq. tellus
In liquidas rareſcit aquas, tenuatus in auras,
Aeraq. humor abit, demto quoque pondere, rurſus
In ſuperos aer tenuiſſimus emicat ignes,
Inde retro redeunt, idemq. retexitur ordo.
Ignis enim denſum ſpiſſatus in aera tranſit,
Hic in aquas, tellus glomerata cogitur vnda.

Vt igitur in ſphæra centrum, & ambitus maxime diſtant, ita per ſitum, et naturam ignis, terraq. plurimum diſcrepant, quare etiam contraria. Fit

igitur, vt mundo, qui est sub luna Quaternarius sit addictus. Nam si terra sit, ignem quoque esse necesse est, quia si vnum contrariorum extat, alterum etiam extare necesse. Oportet etiam aerem, & aquam inter hæc collocari. cum enim inter contraria medium desideretur, quando contraria maxime distant, & absque medio nequaquam congruant, duobus vt hæc vinciatur opus est medijs, namq. solida nisi duplici medio copulari non possunt. quod si planorum duntaxat naturam saperent, vnum tantum sufficeret medium, quod inter duo plana unicum sufficiat medium. quod ex numeris confirmari difficile non erit. omnes enim planæ figuræ, quæ nulla crescunt altitudine, vna tantum medietate copulantur, alia, quæ iungat, reperiri non potest. quod si fuerint cubi, duas habere medietates necesse est secundum geometricam proportionem. Sint igitur duo tetragoni 4. & 9. hos poteris vnico medio deuincire, singula quadratorum latera ductitando, illius quidem latus est 2. istius 3. qui multiplicati 6. restituunt. nam 2. per 3. ductus dat 6. Aut etiam multiplica quadratos inter se, & producti sume radicem quadratam, vt 9. ductus 4. reddit 36. cuius quadrata radix est 6. Profecto sicuti se habet 6. ad 4. pari ratione 9. ad 6. per rationem vtrobiq. sesqualteram. cæterum gemini cubi, siue proximi, siue distantes in geometrica medietate nisi duobus medijs compingi possunt, ueluti 8. et 27. cubi hisce duobus medijs conglutinantur. Sic autem media analoga datur inuenire. duco minorem numerum 8. in se, fiunt 64. quæ duco in maiorem 27. vnde fiunt 1728. cuius radix cubica 12. primum vtique medium tum multiplico 12. quadrate, unde fiunt 144. quæ diuisa per 8. relinquunt 18. alterum medium. inuenies etiam medios terminos hoc modo, si laterum vtriusque cubi maius in minus ducatur, deinde idem minus in productum habebis minorem medium analogum, nam 8. cubi latus est 2. 27. cubi latus 3. atqui 3. in 2. ductus restituit 6. quæ si rursum per 2. minus latus multiplicantur 12. constituunt. primum analogum. secundus item habetur si maioris cubi latus in semetipso acuitur, et multiplicatur, tum minor ducitur in productum. quare ducatur 3. in se fiunt 9. quæ per 2. minus latus aucta conficiunt 18. secundum medium, vbiq. enim subsesqualtera continua habitudo conspicitur. Hæc autem quam sint vtilia ad intelligendam Timæi cosmopeiam, Platonis quæ sequuntur verba testantur: Quoniã inquit mundus corporeus aspectabilis, tractabiliq. futurus orat, ac sine igne nihil videri potest, nihilq. sine solido tangi, & solidum absque terra nihil, ideo in operis huius exordio, Deus ignem primo, terramq, creauit. Sed

duo

duo sola absque tertio quodam commode cohærere non possunt, mediumq. aliquod vinculum, vtrorumq. desiderant, Vinculorum, id est aptissimum, atque pulcherrimum, quod ex se, & ex his quæ astringit, quam maxime vnum efficit. Hoc maxime proportio, ratioq. alternæ comparationis assequitur. quando enim tribus in numeris aut molibus, aut uiribus medium ita se habet ad postremum, vt primum ad medium, vicissimq. vt postremum cum medio, ita medium cum primo congruit, tunc quod medium est, & primum fit, & postremũ postremũ quoque et primum media fiunt, ita necessitas cogit, ut omnia quæ sic deuincta fuerint, eadem inter se sint; eadem vero cum facta sint, efficitur vt omnia sint vnum. quod si corpus vniuersi latitudinem habere debuisset nullam vero profunditatem, vnum sane tum ad se ipsum, tum ad extrema vincienda interiectum medium sufficisset. at cum soliditatem requireret mundus, solida vero non vno, sed duobus semper copulentur medijs; inter ignem, et terram Deus aerem, aquamq. locauit, eaq. ita inter se inuicem, quo ad fieri poterat, comparauit, vt quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam, sic aqua ad terram congrue conferatur. qua ex coniunctione ita constitutus est mundus, vt aspici, tangiq. possit, propterea ex huiusmodi rebus, numero quattuor, mundi corpus conflatum est, ea connexum comparatione, qua dixi, ex quo seipsum amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, vt nequeat dissolui vllo modo, nisi ab eodem, à quo est colligatum. Hactenus ille. Cæterum vt magis notum faciamus, quanta apud Platonem congruitas mathematicis ineſt ad Physica, repetenda sunt media duorum solidorum. Posuimus inter 8. et 27. competentia media duo videlicet 12. & 18. Duodecim quippe numerus tum ex 8. tum ex 27. nascitur, latus enim ex quo multiplicantur 8. binarius est, latus vero ex quo 27. ternarius, sed ex binario, ternarioq. ita fit numerus 12. si egeris bis duo ter, vbi duodenarius oriens, duo ab 8. accipit latera, vnum vero à 27. Item ex binario, atque ternario ita fit 18. si egeris ter tria bis, vbi 18. numerus nascens, ab 8. quidem remoto latus vnum accipit, vbi dicitur bis, sed à numero 27. latera duo, vbi ter tria. simili prorsus modo se duo habent inter ignem, & aquam elementa media, dum ex duobus extremis contemperantur, interim à proximo quidem naturas reportant geminas, à remoto vnicam mutuantur. quemadmodum enim tria in igne, terraq. considerantur, Substantia scilicet virtus, & actio, sic & tres potissimum proprietates, nempe in igne per substantiam subtilitas, per

virtutem acumen, mobilitas per actionem. in terra; per substantiam, crassitudo; per virtutem, obtusitas; immobilitas, per actionem. Ignem sequitur aer duplici qualitate, subtilitate inquam, & mobilitate, terram imitatus obtusitate. Terramquoque sequitur aqua duabus, obtusitate dico, et crassitudine, vna tantum qualitate scilicet mobilitate ignem imitata.

Ignis	*Aer*	*Aqua*	*Terra*
8	*12*	*18*	*27*
2 cuborum		*latera*	*3*
Acutissimus	*Subtilissimus*	*Mobilissimus*	*Ignis*
Bis	*Duo*	*Bis*	*8*
Subtilis	*Mobilis*	*Obtusus*	*Aer*
Bis	*Duo*	*Ter*	*12*
Obtusa	*Crassa*	*Mobilis*	*Aqua*
Ter	*Tria*	*Bis*	*18*
Obtusissima	*Crassissima*	*Immobiles*	*Terra*
Ter	*Tria*	*Ter*	*27*

Ex his quattuor elementis, seu quattuor humoribus, quas simplices, & homogeneas partes dicunt, compositum est humanum corpus. constat enim humana haec moles sanguine, pituita, flaua, atque atra bili. et sanguis quidem cum calidus, humidusq. sit, ex aere, est vtique. Flaua vero bilis, quia calida, & sicca, constat quod sit ex igne: atra autem, & sicca terrae proportione respondet. pituita vero, vt pote quae frigida, & humida est, aquae vim referre videtur. Sanguis gustu dulcis est; pituita, salsa; flaua, bilis, amara; atra vero acetosa & flauescens, sanguinis locus, & spiritus in corde est. à dextris quidem huius sanguis, à sinistris vero spiritus consistit. flauae, hilis in iecinore, atrae in liene pituitae in cerebro locus est. Atque horum non naturalis excessus, defectusq. & ex loco proprio in aliorum translatio, intestinam quandam seditionem, & morbos inferunt. Hunc pulcherrimum corporis concentum Dinarchus ad animam referre non dubitauit, eam dicens esse principium elementorum, scilicet ignis, aeris, aquae, & ter-

re, in ipso corpore, cui insidet, infusam, afferentem secum eidem corpori pulcherrimam ex quattuor complexionibus, & elementaribus qualitatibus harmoniam, & commixtionem. Hinc & Philolaus Pythagoreus, & Medicorum aliqui, vt Hippocrates, animam nihil aliud esse, quam harmoniam, & temperaturam ex quattuor complexionibus, & qualitatibus, atque inde ex virtutibus vitalibus ac animalibus, dicunt, qua harmonia dissoluta, & qua crasi disturbata, ipsum quoque corpus animatum dissoluatur, & moriatur, cuius vita omnis alioqui nonnisi per istam temperaturam, & proportionem geometricam consistat; porro nobiliores hominis actiones, vt pote intellectum diuinum, rationem, liberum arbitrium, & similia, prouenire à commodiore temperatura: sicut alias complexio humanorum corporum diuersa, variat quasi animi, ac ingenij habitum. Fuit etenim veterum sapientum comprobata sententia, quod mundi auctor Deus missurus animam in corpus velut domicilium, prius id, atque eo dignum, metitur hospitium, nobilissimumq. animum, etiam specioso corpore condonat, quod tunc etiam animus ipse diuinitatis suæ conscius, pro habitu suo sibi adfingit, atque adornat. Absoluta igitur numeris omnis censeri pulchritudo debet, vbi ista conueniant, animalis virtus, atque præstantia, tum corporis concinna linearum, colorum, membrorumque compacta, beneque constituta proportio. Alias mutilata est. Nam corpus, in quo hæc optime inter se consentanea videantur, id primum pulchrum, ac concinnum dicunt; deinde propemodum fieri non posse putant, quin his non insint præstantissimæ animi dotes, qui forma corporis ceteros antecellunt, perinde ac si illorum animus longe potior, diuiniorq. sit, quorum forma corporis, vt pote re vera animæ simulacrum est honestior. Nam & Porphyrius Dæmones, quorum animi iniqui sunt, corpora, item habere deformia pronunciat. Esse quoque naturaliter intus bona statuit Plotinus, quæcumque sint extrinsecus vere pulchra, quippe quòd ex interioris formæ perfectione, atque seminaria rationis victoria super materiam proueniat externa formositas. quare Diogenes cum adolescentem formosum admodum turpia quædam fabulantem audisset: Non te, inquit, pudet ex eburnea vagi-

na

na plumbeum gladium exerere ? quasi, vt apud plurimos vulgatum est, Pulchritudo bonitatem semper comitetur; nec fieri possit, vt citra bonitatem sit pulchritudo. In quam sententiam Aur. Augu-

In Ciuit. lib. 15. cap. 23. *stinus pronunciauit speciosos in diuina pagina dici Bonos. quemadmodum legimus apud Prophetam, qui ad ostendendam Saluatoris*

Psal. 44. *Christi sanctitatem, vsus est Pulchritudinis voce, cum diceret: Speciosus forma præ filijs hominum. Quid de ipso Dauid, cuius multa virtutum ornamenta cum celebrasset Oraculum, tum vero quasi omnium summam addidit pulchritudinem? Ecce vidi, inquit, fi-*

1. Reg. 16 *lium Isai Bethlehemitem scientem psallere, fortissimum robore, virum bellicosum, prudentem verbis, pulchrum aspectu, decoraque facie. quare meruit, vt, quod testantur diuinæ litteræ, esset Deus cum eo. amat enim pulchra Deus, non quia pulchra, sed quia probitatis insigne pulchritudo est. sic Ioseph Patriarcha, de cuius prudentia testatur æquanimitas perpetua, in tantis circa fortunam eius mutationibus, cum ille tot, & tantos fortunæ ictus recte coaptarit, ea corporis pulchritudine fuisse legitur, vt amor mulierem adegerit ad insaniam. sic & Achillem, atque Hectora singulari pulchritudine insigniuit Homerus. quem secutus Virgilius à dignitate formæ commendat Aeneam, quem vnum, & Achilli, et Hectori, & Vlyssi virtute, pulchritudine, ac animi magnitudine comparat. sic enim in quarto:*

--- ipse ante alios pulcherrimus omnes

Infert se socium Aeneas.

Ad ea, quæ diximus pertinet, quod apud Spartanos erat Licurgi lege sancitum, vt speciosus puer, & forma liberali, publice educari; mancus vero, & deformis in loca vasta, & prærupta exponi, vel in vltimas terrarum oras ablegari deberet. Testatur & Diodorus Siculus corporis pulchritudinem præ omnibus, magno in primis pondere apud eos fuisse, quibus imperauerat Sophites, atque in ipsa statim infantia, puerorum discrimen fecisse, vt, qui membra, ac naturam ad bonum corporis statum, & robur idoneam habere viderentur, eos educarent:

quibus

quibus corpora essent deformia, ijs alendi curam impendere superuacaneum existimarent, ac mortem inferrent; pariter & in matrimonio contrahendo, neque dotis, neque magni apparatus, sed formæ dumtaxat, & proceritatis corporum rationem habuisse, quasi illud Apuleij ex Apologia secunda iactantes: Virgo formosa, & si fuerit oppido pauper, tamen abunde dotata est. affert quippe ad nouum maritum animi indolem, pulchritudinis gratiam, floris rudimentum. Ioannes Boemus Aubanus de moribus gentium: Connubia (inquit) non opibus, & nobilitate, sed formæ præstantia conciliant interse liberorum caussa, qui in Catheis Indis habitant populi. Memoriæ quoque traditum ab Aristotele, Aethiopum populos qui Gymnosophistarum sapientia regebantur, Reges sibi non ex his, qui fortissimi, & opulentissimi essent, creare; sed eos tantum, qui forma essent pulcherrimi, atque præstantissimi: quippe quoniam animorum magnidecentiam ex corporis effigie se se vicissim intueri posse arbitrabantur. animum certe ipsum non cernimus, ideo neque illius inspicimus pulchritudinem: corpus autem vmbram animi, imaginemq. videmus. Itaque ex eius imagine suspicantes, in corpore formoso speciosum animum facile coniectamus. vnde & natura comparatum est, vt eos etiam, quos nunquã nouimus, statim diligamus, si corpore insignes fuerint; contra statim contemptui nobis aliquo pacto sint, qui turpi corpore sunt, aut non ita eleganti, vsque adeo vt si duo virtute aliquà animi prædita sint, longe magis eam æstimemus in formoso, quam in deformi. quod Maro vidit, dum in Heroicis ita cecinit.

Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus.

Pythagoram quoque legimus à principio statim adolescentes, priusquam in disciplinam suam admitteret physiognomoniam cõsueuisse, hoc est, indolem ex oris, vultus, totiusq. corporis filo, atque habitu scrutari, vt si minus apti ad philosophandi scientiam viderentur, aliò potius ingenium, atque studium transferrent, quam cum scholæ, et magistri dedecore oleum, atque operam perderent. quem secutus Plato, diuini plane iudicij vir, quoniam existimaret corporũ structuram ingenijs non dissimilem, distorta membra, distortum fere gerere animum, eumq. prauitate, et passionibus immutatum, corpus quoque conforme sortitum, scholæ suæ talem adscripsit titulum. Ne quis corporis habitudine, & proportione praue dimensa, compage male structa, figura ue deformi illam ingrederetur. quod sentire videntur etiam multi tum prisci, tum recentiores philosophi, qui

ab di-

abditarum in ipsis naturæ penetralibus caussarum secreta mirati, ausi sunt attestari, nulli corpori vitium accidere, nullamq. inæqualitatis prauitatem inesse corpori, quæ non etiam animi vitium, intemperantiamq. sequatur. quia certum sit, alterum alterius quasi naturam redolens crescere, et adolescere, atque operari. Apud Mathematicos faciem inuenias collo, ore, oculis, & toto capitis gestu tortuosam, idque contradicentem aduersarium significare, cuiusmodi simulacrum in decimo Scorpij gradu intulere, eoq. supra horizontem ascendente in lucem editum, ceruicis fore indomitæ, opinionisq. destinatæ futurum esse præsagiunt. Notatum quoque & illud in prisca Romanorum theologia, vt non solum funesti à consecratione, & sacris arceantur, sed manci, quiq. insignes debilitate corporis, aut membro, velut indigni, qui sacra tractarent: propterea M. Sergium ob prauitatem, imminutionemq. corporis à sacris fuisse amotum. Assentiunt diuinæ legis interpretes, quando ad animi vitia referri volunt, quæ de corporis deformitate ad Moysen locutus est Dominus, ne scilicet claudus, vel paruo aut grandi nasu vel torto, ne fracto pede, aut manu, nec gibbosus, ne lippus, nec albuginem habens in oculo ad sacerdotium assumatur. Atque huic rei testis adhibendus est Aur. Augustinus, cum dicit; Incompositio corporis inæqualitatem indicat mentis; Vnde historiographus Salustius, cum eius mutabilitatem describeret, cuius conscientia excitata curis mentem vastabat, inter cætera hoc etiam notabile indicauit, dicens: Incessus eius modo citus, modo tardus. Apud Marcum Euangelistam, vt insania mentis, motu corporis demonstraretur, ira præceps, & impaciens excutit de solio Caipham summum sacerdotem non inuenientem calumniæ locum in Christo. quid vero de impio Iuliano scripserit Greg. Naz. audiamus: Hæc quidem de Iuliano alijs ipsa experimenta tradiderunt, et assumpta potestas imperij. mihi autem eius mores comperti sunt, cum hunc virum Athenis clarius agnouissem. venerat enim illuc, cum frater eius Imperatori videretur inimicus, fuitq. aduentus eius ratio duplex. vna quidem quasi decentior, qua dicebat se venisse, vt Graciam, eiusq. scholas videret; altera vero secretior, et ignota plurimis, vt immolatores Dæmonum, & viros fallaces inquireret, quia nondum habebat impietatis suæ licentiam. tunc igitur me non malum huius viri coniectorem fuisse memini. non enim fortuito ista conspexi, sed faciebat me cautum inconstantia morum eius, atque incredibilis quædam mentis emotio. Vates siquidem egregius est, qui bene considerat. Nullum

enim

enim signum in eo mihi vtile videbatur, ceruix inflexibilis, humeri iactabiles, oculi currentes huc illucq. directi, & furiosè respicientes, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemtum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes ac effrenati, consensus & negatio, simul ratio nulla ratione consistens, interrogatio inordinata, atque responsio nulla congruentia sibi conueniens. Sed quid per vniuersa discurro? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognoui. Quod si essent mihi præsentes, qui tunc aderant, testarentur, quod, cum hæc vidissem, repente dixi: Quale malum Romanorum terra nutrit. Hæc Theologus. Non solum autem mala existimãtur quæ deformia: sed ferme inauspicatissimi ẽt ominis distorto cuipiam occurrisse; vti præstantissimi, formosiori. Clarissimum sane illud Plutarchi in Bruto, qui infaustum pugnæ exitum apud Philippos sibi significari putauit Aethiope illo deformi, qui procedentibus aciebus occurrit. Simile quiddam & de Adriano Imperatore narratur, qui, ex occursu Mauri hominis longe omnium distortissimi, ingruere sibi extrema coniecit. Quo forte spectare videtur carmen illud Satyricum Iuuenalis:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Neque tantum infelicis auspicij habiti corpore deformes: sed etiam mala agere atque exitium afferre solere testati sunt scriptores, quod de Rege Spartarum Agesilao claudo non tantum exitu comprobatum; sed longe etiam antea sapientissimo Apollinis oraculo pronunciatum est hoc pulcherrimo carmine.

Sis inuicta licet tibi dico comparta cauebis
Ne claudo victrix patiare incommoda Rege.
Includent subito multo te tempore morbi,
Et sæuo bellum prosternens omnia fluctu.

Accedat hic & Thersites Homericus, qui corporis deformitatem, animi vitijs ac labe fingitur æquasse, garrulus nimirum, factiosus, principibus malus consultor, ac grauissima vniuerso Græcorum exercitui pestis, vt merito de illo vulgatum sit.

---------- Quo non deformior alter
Venerat ad Troiam, linguaue proteruior alter. *Est item locus quidã scriptura ad rem de qua nunc agimus maxime cõmodus, eadẽ*

qua de claudo, vel etiam de fracto, aut distorto corpore deduximus, mira contestatione confirmans, in eo libro, qui Regnorum scribitur. in quo ita de claudis et cæcis scriptum est: Abijt Rex Dauid, et omnes viri, qui erãt cum eo in Hierusalem ad Iebusæum habitatorẽ terræ, dictumq. est ad Dauid ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes; Non ingredietur Dauid huc. Capit autem Dauid arcem Sion: hæc est ciuitas Dauid. Proposuerat enim Dauid in die illa premium, qui percussisset Jebusæum, et tetigisset domatum fistulas; et abstulisset cæcos & claudos odientes animam Dauid. iccirco dicitur in prouerbio: cæcus & claudus non intrabunt in templum. Sed quid ex antiquitate huiusmodi exempla eruere conor? cum quotidie aliquos cernere liceat, qui vt sunt corpore deformes, ita etiam animi improbitatem prauis moribus plerunque testatum faciunt. Neque enim mirum cuiquam videri debet, si in aliqua ciuitate, cuiusmodi esset nostra, qua semper viris omni virtutum genere abundantißimis floruit, reperiantur aliqui quandoq. multis flagitijs ac sceleribus insignes. Necesse enim est, vt natura, purgandi sui gratia, post claros viros editos, eos etiam effundat, in quos multa vitia quasi excrementa sua conijciat, quo purior, & vegetior ad pristinum institutum procreandorum hominum illustrium reuertatur. In eiuscemodi corpore, & animo deformes & depranatos homines adagium illum vetus dici aliquando posset: Ἐ ρινυών ἀποῤῥωξ, ideſt à furijs profectus. Olim namque ita compellabatur quodcumque tetra fœdaq. specie esset, præsertim si etiam noxium esset, et exitiale, atque damnosum alijs.



Hic tamen etiam atque etiam considerandum qua diximus corporis vitia, à conceptu ne insita corporibus, an contracta fuerint. Nam si qua corporis deformitas fortuito contingerit, cum nulli, neque arti, neque rationi sit subiecta, ea vtiq. nemini vitio verti debet. Quinimmo si

ab

ab euentu ratio petatur, pluribus etiam corporis eiusmodi labem maxime laudi, & ornamento fuisse compertum est. Vt enim ad exempla deueniamus: Horatium Romanum, cui ab euentu Coclitis cognomen iniunctum, alterius oculi iactura quam strenue pro patria pugnando in prælio passus est; non deformem, sed potius insignem, & gloriosum reddidit. Hannibal ille militari disciplina, et maximis contra Romanos victorijs clarissimus, simili alterius oculi orbitate, qua in traijcien dis Alpibus frigoris violentia affectus est, non ideo corporis dignitatem, aut rerum gerendarum solertiam, vel gloriam minuit, aut turpauit. Mutium illum alterum nobilem Romanum, cui postea Scæuolæ nomen inditum, clades dextræ manus, quam pro patria à Porsennæ Etruscorũ Regis obsidione redimenda incurrit perpetua nominis celebritate insigniuit. Et vt etiam nostri seculi referamus exemplum aliquod illustre: Lactantius Bongus Nobilis Bergomas bellicis tormentis pyrobolis totius exercitus Venet. Præfectus ictu eiuscemodi globi tormẽtarij in Veronensi expugnatione, quã Venetorum nomine moliebatur, altero femore abscisso, ob eam caussam in maximo fuit honore. Quòd si natura, non autẽ illustri casu id ei contigisset, nequissimi hominis ob illam mutilationẽ indiciũ præ se tulisset. At illius vita, et maximæ res pro Veneto imperio gestæ, clarissimum virtutis prudentiæ, & probitatis testimonium consecutæ sunt. quare non solum à Venetis meruit præclara stipendia, & præmia suæ virtutis & inuictæ fidei: sed mortuus etiam & publicum funus, & lamentationem adeptus est. De illo Mucius noster in Theatro Bergomati sic cecinit:

Bellonæ hinc terror Bongus Lactantius Heros
Bergomeæ laudis pars memoranda venit.
Tormentis summum molaribus atque magistris
Præfectum, Veneti quem statuere Patres.
Arietat in muros, hostiliaq; agmina, rectis
Ictibus: incassum fulmina nulla cadunt.
Barbaricis turmis Latium vastantibus igne
Sulphureisq; globis funera mille dedit.
Piscariæ validas arces inuadere Gallum
Conantem armorum vicit & artis ope.
Brixia sit testis: referat Vicetia pugnas:
Hæc Antenoreus scit quoque facta labor.

Vix dum bis denos ætas superauerat annos
Tantarum rerum licia fata secant.
Fortuna si par; & tempore, parq. fuisset,
Et fama, & factis, Colleo magne tibi.
Ipse etiam à Venetis statua decoratur equestri:
Magnis & paruis iure tributus honor.

Concludendum igitur corporis defectus, quos casu, non natura quis patitur, nullam animi deformitatem indicare, aut patientem ad aliquod scelus impellere. Quinimo ea est vis humanæ mentis & intelligentiæ ratio, vt aliqua etiam naturali deformitate laborantes, nisi suapte obstinatione et praua voluntate maligni sint ac impuri, Diuina adiuuante gratia, et philosophiæ adminiculo, possint externas omnes virtutisq. contrarias affectiones exuere, & rebus honestis inuigilare. educatione enim ac philosophiæ studijs fingitur, vt lubet, animus. Quare dictum fortasse est sapientem fortunæ dominari, & suæ vnumquemq. fortunæ esse artificem: cum pro comperto videamus, quamuis astris vel natura ad aliud impellatur mens, ratione tamen & libera voluntate effici, vt possit homo sequi quam maluerit viam. Cuius rei argumentum est Socrates ille (de quo nihil satis posset pro dignitate dici, quem fuisse Gentilium omnium sapientissimum constat, proximeq. ad Christianam sapientiam vere accessisse) vir temperãs, castus, iustus, modestus, iniuriarum patiens. Hic igitur cũ à Zopyro physiognomo ex corporis forma libidinosissimus oũm fuisset indicatus, amicos in contrariũ nitentes, ac homini minitantes, confestim corripiens, asseruit se talem omnino fuisse euasurũ, nisi se philosophiæ corrigendum exhibuisset: quamquam tantus postea vir (proh dolor) maledicorum linguas felle infectas effugere nequiuerit. Ita enim natura comparatum est, vt facile de altero malum suspicetur, qui facile ad malum impellitur: quemadmodum simplex animo nec turpe quidquam admittit, nec de alijs temerè suspicatur. Quoniam ergo Philosophus forum circumibat, iuuenesq. ad philosophiæ studium hortabatur, præsertim elegantiori forma præditos, quos ad philosophiam aptos iudicabat, quòd, vt dixi, ex liberali forma eosdem egregia animi indole esse conijceret, in hanc pessimam opinionem adducti sunt quidam Athenienſium, vt Socratem puerorum amore correptum; & obscænæ libidinis caussa cum Alcibiade consuetudinem habuisse putarent. Quod ipse Plato tetigit, dum Socratem loquentem inducit his verbis: Pulcher est, Theætetus,

Ludou. Viues in August. de ciuit. lib. 8. cap. 1.

Aelianus & Cic. de fato.

tetus; pulcher Carmides. Ac plane in Dialogis suis ostendit Socratem apud prophanum vulgus huiusmodi falsa suspicione laborasse. at vero ille quamuis videretur mirari formas adolescentulorum, videretur amare, & Zelotypia tangi: ab his tamen affectibus dis diapason aberat; cum animi, non etiam corporis pulchritudinem intelligeret. Nouerat enim, vt qui omnium Sapientissimus Apollinis oraculo fuerat iudicatus, non minus homicidam esse censendum, qui hominem præripit nasciturum; quam qui natum tollit è medio. Audacior profecto qui præsentem abrumpit vitam: sed crudelior qui lucem inuidet nascituro; & nondum natos suos filios enecat. Sed iam satis animum meum hac digressione oblectaui. redeundum ad Quaternarij plenitudinem. Implet hic numerus totum anni tempus, quia Sol in Signifero delatus ab occidẽte in orientem anni circulum peragit quadripartitis temporum varietatibus; in quibus vniuersa mutantur. Namque ab Ariete incipiens ver ostendit, & Taurum & Geminos transiens idem significat; sed ingrediens Cancrum & Leonem transiens & Virginem, æstatem perficit. at dum Libram ingreditur, æquinoctium conficit, et autumnum significare incipit, ab hoc signo transiens ad Scorpium, & Sagittarium. deinde protinus incurrit in hiemalem circulum, & Capricorno, Aquario, Piscibus, hiemem transigit. Hinc Astrologi quattuor hæc signa Arietem, Cancrum, Libram, Capricornum mobilia nominarunt. nam vere germinant plantæ, animalia pleraq. coeunt; veluti asini, aues. Aestate vero fructificant plantæ; pulli animalium adolescunt; aquæ silent. Autumno cuncta senescunt & arescunt. Hieme contrahunt & silent; contra turgent aquæ & intumescunt. Eadem fere Sol operatur in homine diurno motu, ab oriente tendens ad occidentem. Nam vt Galenus in sexto Epidemiorum dicebat, partes diei naturalis partibus ipsius anni correspondent; matutina quidem veri, in qua homo lætus exurgit, mouetur sanguis, lætaq. sunt omnia. Post meridiem vero calor ingens, biliſq. feruet. At prima noctis parte, melãcholia dominatur, homo arescit ac contristatur. Post mediam vero noctem pituita et somnus dulcis, & iucunda quies mortalibus segniſq. torpor accedit. Nam quòd homines prima parte noctis dormiant profundius, non id contingit ob temporis naturam sed ob cibos assumtos. Aliam vero partitionem affert Soranus dum ait: Ab hora noctis nona ad horam vsq; tertiam diei moueri sanguinem. consentaneũ enim est tunc peracta coctione sanguinem abundare. Respondet etiã aeris

matutina constitutio, & somni suauitas. Flauam autem bilem ab hora tertia diei vsque ad horam nonam, circa quas horas etiam in tertianis febribus paroxysmos excitari deprehenditur: & aeris constitutio congruit. Melancholia autem habet quadrantem diei, qui est ab hora nona diei vsque ad tertiam noctis, aeris quoque constitutione ad siccitatem & frigus declinante. Phlegma denique habet tempus ab hora noctis tertia vsque ad nonam eiusdem, circa quod tempus non aer tantum ex Luna de nocte fulgentis radijs, sed corpus quoque nostrum humidissimum est, maximeq. flaccidum, somniq. ex copia halituum profundissimi.

Galenus. Pythag. vt apud Laertium Diog. lib. 8. Ouid. transfor. lib. 15.

Proportione rursus quattuor temporum anni, totidem assignantur humanæ vitæ partes. Prima ætas, quæ est à natiuitate vsque ad vigesimum primum annum, vbi finitur incrementum, humiditate magis gaudet, quàm caliditate, & assimilatur veri: nam cuncta animalia prima in ætate humido abundant, & mollia, teneraq. sunt, sicut illa tempestas sentitur. sed proxima ætas, quæ assimilatur æstati, longe calidior est, quàm sicca, & incipit à vigesimo primo anno, & extenditur ad trigesimum quintum annum; in robustis autem ad quadragesimum secundum: vocaturq. iuuentutis. Tertia tanquam deflorescens, et ab interitu haud valde distans, arida est, autumno similis, incipiens à trigesimo quinto, & terminans ad quadragesimum annum: in robustis autem incipit à quadragesimo secundo, & terminatur in sexagesimum tertium. Quarta, et postrema, in qua animantis est corruptio, ita vt hiems prorsus est frigida, finem vitæ pro termino habens. Quare prima ætas est incrementi; secunda roboris; tertia sapientiæ; quarta debilitatis. Quattuor partibus anni, et quattuor partibus diei naturalis, et quattuor ætatibus propositione respondent etiam quattuor partes diei ciuilis secundum Almansorem insignem astronomum. Namq. vt pleriq. norunt. Iudaica antiquitas, aliæq. gentes lucis et tenebrarum discreta spacia fecerunt: ac lucis spacia duodenario numero horarum donarũt, ita quidem vt cuiuis, verno æque ac æstiuo, de hinc autumnali pariter & hyberno, duodecim horas æquales attribuerint, de quibus loquitur Plinius lib. 2. cap. 29. Ptolæmeus etiam passim in magno syntagmate Astronomico lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 3. et 5. Eodem modo de his intelligi debent dicta sacræ Scripturæ, vt Act. cap. 2. vbi populo ex diuersitate linguarum ebrietatem Apostolorum suspicanti Petrus inquit: Non, sicut vos existimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia, per quam vel 12. vel 13. intelligi debet, respectu nostrorum

Propositi. 117.

rum horologiorum. Prima igitur diei hora vsque ad perfectionem trium horarum est sanguinis; tres vero subsequentes, quarta scilicet, quinta, et sexta cholerae rubeae; at septima, octaua, & nona cholerae nigrae; tres supremae, decima nimirum, vndecima, & duodecima pituitae: similiter et in nocte, quae tamen non tam in horas 12. quàm in quattuor vigilias diuisa fuit, qualibet trium horarum spacium aequante. Atque harum non aliter, ac horarum, tam apud Ecclesiasticos, quàm Philosophicos scriptores multa fit mentio, vt apud Euangelium Lucae cap. 12: Beati sunt serui illi, quos Dominus, siue circa secundam, siue tertiam vigiliam venerit, inuenerit vigilantes. Apud Liuium passim huiusmodi exempla plura se offerunt. In his igitur omnibus etiam prima vigilia humida est & calida, sed minus calida, quàm humida, sicut ver, quod plurimum habet humiditatis, cum soluto frigore aura calore diffunditur; ast secunda calidior quàm sicca, sicut aestas, quòd tum Sol proxime verticalem nobis punctum feratur; tertia vero pars siccior, quàm frigida, nam autumni propria est siccitas, humiditatem tum praeterito aestu reprimente; quarta demum frigidior quàm humida, sicut hiems, quòd tum Sol longissime distet à verticali nobis loco. Prima igitur sectio vernalis est calida humida, puerilis, sanguinea in Ariete, Tauro, Geminis. secunda aestiua, calida, & sicca iuuenilis, cholerica in Cancro, Leone, & Virgine; tertia autumnalis frigida, & sicca melancholica, decrescens, Libram, Scorpium, Sagittariumq. complectens; quarta hiemalis frigida, humida, pituitosa, senilis continens Capricornum, Aquarium, Pisces. Hinc emanarunt quattuor cardines caeli apud Astronomos. Hinc quattuor orbis terrae regiones. Gen. 13. & 28.
quamuis enim totum hoc quidquid id est, cui mundi, caeliq. nomen indidimus, vnum sit, vnoq. ambitu se, cunctaq complectatur, partibus attamen differt. vnde Sol oritur, oriens nuncupatur, aut ortus; qua demergitur, occidens, vel occasus; qua decurrit meridies siue mare. ab aduersa parte aquilo, septentrio ue vocatur. Apollini denique dicata quadriga, quòd quadripartito limite diei metiatur spacium. Inde et ipsis equis condigna nomina sunt imposita, id est, Erythraeus, qui latinè dicitur rubens, quòd à matutino lumine rubicundus exsurgat. Actaeon dici potest lucidus, quòd tertia hora instante lucidior fulgeat. Lampus lucens, vel ardens dicitur, quod fit, dum ad vmbilicum diei contra arcticum circulum conscenderit. Philogaeus graecè terram amans dicitur, quòd hora nona procliuior vergens occasui pronus incumbat. Sed et Apollinis so-

ror

ror Diana facies monstrat quattuor, quòd dispensationibus septenarijs sui luminis vices sempiterna lege uariando disponat: porro primis septem diebus dimidiata semiorbem ostendit; secundis totum orbem complet, fitq. plenilunium; tertijs efficitur dimidiata; quartis sit coitus Lunæ cũ Sole, quod vocatur interlunium. Facies prima, calida humidaq. censetur, quia nascens Luna humorem assolet concitare; secunda, calida & sicca, adolescente in ea iam luce de Solis aspectu; tertia, frigida et sicca, quasi plus ab ortu remota; quarta, frigida, & humida, deficiente iam lumine. Prima rursum est, sanguinis; secunda, bilis rubeæ; tertia, bilis nigræ; quarta, pituitæ. Quattuor præterea sunt, quæ cuncta continent, Ens, Vnum, Verum, Bonum; si ita accipiantur, vt eorum negationes sint, Nihil, Diuisum, Falsum, Malum. Nam quæ sunt post Deum habent caussam efficientem, exemplarem, & finalem. ab ipso enim, per ipsum, & ad ipsum omnia. Si igitur res consideramus, vt à Deo efficiẽte constituuntur, sic Entia dicuntur, quia eo efficiente esse participant; si, vt exemplari suo quam vocamus ideam, secundum quam illas condidit Deus, quadrant & respondent, veræ dicuntur, (vera enim imago Herculis dicitur, quæ Herculi ipso conformatur;) si, vt ad eum, tamquam ad finem vltimum tendunt, Bonæ dicuntur. si vero vnaquæq. res secundum se absolute accipiatur, vna cognominatur. Est autem hic ordo huius Quaternionis, vt primum vnumquodq. sub Entis ratione concipiatur; quoniam prius efficit agens vnumquodque, quàm illud in se sit aliquid; alioquin non, secundum totum quod est, esset ab agente. Succedit Enti vnum. Tertia est veritas, quia postquam est aliquid in se, videndum est an sit tale, quale est exemplar, ad quod fuit formatum, cui si reperitur simile, reliquum est, vt in illud, vtpote affine, atque cognatum per bonitatem se conuertat. Hæc autem æquali esse ambitu manifestum est. Da aliquid esse, certe & vnum est. nam qui vnum non dicit, nihil dicit, vt ait Plato in Sophista; & qui vnum non intelligit, nihil intelligit, secundum Aristotelem. Est enim illud quidquid est à se indiuisum, et ab alijs diuisum, quæ non sunt ipsum. Verum est etiam necessario. nam si homo est, vtique verus homo est. Idemq. dictu id non esse verum aurum, & non esse aurum. nam cum dicis, verum aurum non est, hoc significas: videtur quidem aurum, & est aliquid auro simile; sed non est aurum. similiter etiam bonum est, quia quidquid est, quatenus est, bonum est. Docet hoc Deus Opt. Max. qui ostensurus Moysi cuncta creata, inquit: Faciam

vt

vt ante te transeat omnis bonitas mea. Quod deinde exponens, dicit: Posteriora mea videbis. Nam Dei posteriora suffragante columna veritatis Athanasio Alexan. sunt creaturæ, & res, quas vidit, et exposuit, de quibus dictum est: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Neque enim malum substantia vlla est, sed boni priuatio. Quattuor præcipue sunt, quæ veraciter enuntiare possumus immortalia firmaq. esse, omnem ab eis interitum excludentes, Diuina mens, Angelicus intellectus, Materia, & Humanus intellectus. Diuinæ quidem menti actu insunt omnia ab æterno, eiq. semper supersubstantialiter inerunt. Angelicus item intellectus à suæ creationis initio, & actu omnia, semper omnia futurus. Materia, ac Humanus intellectus à sua item creatione, quamquam non eodem modo, potestate sunt omnia, idest, omnium potentia, eruntq. semper id quod sunt, idest, vniuersorum potentia. Quaternis gradibus distincta est omnis cognitio, cum Quattuor sint prima, & præcipua mundi entia cognitionis facultate prædita. Deus, Angelus, Homo, Irrationale animal. Diuinam cognitionem Bouillus Mentem dicit Angelicam: intelligentiam vocat Humanam rationem; Animale, Sensum. Efficit igitur cognitionum numerus vnum quoddam corpus, cui trini sunt termini, videlicet Animalis, vt punctum; Humana, vt linea; et Angelica, vt planities. Eiusdem autem corporis arcana, propriaq. dimensio, Diuina cognitio est. Sunt eodem modo in humana eruditione quattuor elementa: Mentis substantia, Mentis notio siue interna conceptio, Vox, Scriptura. Mentis quidem substantia igni, Diuinæq. cognitioni, & corporeæ plenitudini respondet. Mentis notio, Angelicæ cognitioni aeri, & superficiei comparatur. Vox quæ prima sensibilis est, sensibili homini, aquæ, & lineæ adaptatur. Extrema vero Scriptura, animali rationis experti, terræ ac puncto comparanda.

quæst. 23. R. Moyses Aegyptius perplexorũ lib. 1. cap. 53. Gen. 1.

Lib. de intellect. cap. 14.

Prima Entia	*Animal*	*Homo*	*Angelus*	*Deus*
Cognitiones	*Sensus*	*Ratio*	*Intellectus*	*Mens*
Humanæ eruditiones	*Scriptura*	*Vox*	*Conceptus*	*Mens*

Quattuor sunt primæ rerum genera; Substantia, Quantitas, Qualitas, Locus. quorum numero comprehensa permanet omnis rerum fluxio, & permutatio. quia in vnoquoque genere geminæ et contrariæ permutationes contingunt. In substantia quidem generatio et corruptio, qui sunt

motus

motus in puncto primi, & abiectißimi. In quantitatem fiunt auctio, & diminutio in quadam dualitate, & linea. In qualitate qui fiunt motus, peculiarium & contrariorum nominum penuria, generatim alterationis vocantur: sunt q. vt trinitas, & superficies. In loco, qua contingit permutatio, hoc vno nomine vocatur latio: & hæc fit in Quaternario, in corpore, et in profundo. Hæc enim permutationum est præstantißima, tantumq. perfectis animalibus, præcipue homini, competit.

Quattuor pari analogia sunt ordines rerum naturalium, Subsistentia dico, Viuentia, Sensibilia, Rationalia. quarum singulis singula mutationũ genera tribuuntur, vt peculiaria, et propria. Subsistentibus substantiales motiones generatio, et corruptio; Viuentibus, vitales, quibus viuentia augescunt, aut minuuntur; Sensibilibus contrariæ alterationes, quibus aut prospera, aut etiam aduersa valetudine variantur. Rationabilibus vero Latio (supremus motus) in potißima ambulationis, ac erectæ staturæ specie competere probatur.

Rerum genera: *Substantia, Quantitas, Qualitas, Locus,*

Rerum gradus: *Substantia, Viuentia, Sensibilia, Rationalia,*

Mutationes: *Generatio, Augmẽtatio, Alteratio, Ambulatio.*

Omnis scientia, et disciplina Quaternario vocum, dictionumue numero constat: Genere, Specie, Generis differentia, et Speciei proprietate. Genus enim, et Speciem vt præcipua, et substantialia, et recta in linea collocata desumunt; Differentiam vero, & Proprietatem, vt eorum circumstantias, & laterales à natura inditas qualitates. Sunt enim Differentia, et proprium generis, & speciei qualitates, quas de genere, aut specie, quale rogantibus respondere solemus, nempe interroganti quale sit animal rationale, aut irrationale. Qualis vero homo, risibilis respondendum. Nihil infra genus humana disciplina meditatur: nihil quoque infra Speciem concipit. Inchoat omnis disciplina à genere, terminatur in specie: continet se se quadrato Generis, speciei, differentiæ, et proprij, aut diuidens genus, aut finiens speciem, aut demonstrans speciei proprietatem. Eadem differentia, qua diuidit genus, componit, finitq. speciem. Genus vero cum differentia quiditate speciei proprietatem eliciunt eamq. demonstrant. Genus est maximum disciplinæ vltimum, minimum, & cunctorum subiectum, de quo & genus, et differentia, & proprium in

di-

disciplinis enunciatur. Itaq. repudiant omnes humanæ disciplinæ tria hæc: Quod supra genus sit transcendens, Quod sub specie individuum singulare & vnum numero, Quod denique et extra & post proprium accidens.

Tres à disciplinis voces repudiatæ { Transcendens Methaphisicum: / Individuum } ad mechanicas spectantia. / Accidens }

Disciplinarum voces quattuor.

Genus,	Diuisibile,
Species,	Diffinibilis,
Differentia,	Diuidens & diffiniens,
Proprium,	Demonstrabile.

Vniuersa igitur humana scientia hoc quadrato constant.



Aegyptiorum sapientiam Quaternione contineri testantur Iamblichus, Diodorus, Diogenes Laertius, Philo Alexan. et Eusebius Cæsarien. Mathematica in quattuor secantur partes quadriuium vocant nostri, Arithmetica de muneris disseruit, idest, de quantitate discreta per se; Musica de proportione, idest, de quantitate discreta ad aliquid; Geometria de spatio, idest, de quantitate continua immobili; Astronomia

de

de motu, ideſt, de quantitate continua mobili. Eſt autem elementum Arithmeticæ, Vnitas; Muſicæ, Vniſonus; Geometriæ, Punctum; Aſtrologiæ, Inſtans. Aſtrologia rurſus circa quattuor verſatur, quæ ſunt infra lunarem orbem, Elementa ſcilicet, Mineralia, ſeu metallica, quæ item vegetantur, et quæ ſentiunt. Muſicas etiam ſymphoniarum rationes implet Quaternio, Dia teſſaron, Dia pente, Dia paſon, ex quibus concentus fit abſolutiſſimus, nam Dia teſſaron propoſitionem habet ſupertertiam; Dia pente, ſeſquialteram, Dia paſon duplam. numerus quidem ſeſquitertius dicitur qui conſtat ex toto aliquo numero, & ex tertia illius parte, ſicut ſe habent quattuor ad tria. nam & ipſum totum nempe 3. comprehendit & tertiam eius partem, nempe vnum. Seſquialter vero appellatur quando numerus continet numerum, & illius dimidium, vt tria ſe habent ad duo. conſtat quippe ex duobus, & ex eius dimidio, nempe ex vno. Duplus autem nuncupatur qui eſt æqualis duobus numeris, vt duo ſe habent ad vnum, & quattuor ad duo. nam bis ipſum continent. In his tota viget harmonia. Sed

1 2
3 3
4 4
8. 9.
tonus

& præter iſtas, continet Quaternarius alias etiam conſonantiæ ſpecies, vt triplam in tribus ad vnum; quadruplam, in quattuor ad vnum, ex quibus efficitur Dia paſon & Diapente, quam vocant duodecimam; & Dis diapaſon, ideſt, quindecima. Continet & Tonum ſi quattuor ſumantur, tria, & vnum, quæ reddunt octo. Et iterum quattuor, tria, & duo, quæ faciunt nouem, à quo numero ad octo eſt proportio ſeſquioctaua, tonum conficiens. In Quaternario igitur continetur omnis harmoniæ ratio.

Diapaſon diapente
Duodecima
Tripla

Diapaſon		Diapente		Diateſſaron	
1 Octaua	2	Quinta	3	Quarta	4
Dupla		Seſquialtera		Seſquitertia	
		Dis dia paſon			
		Quadrupla			
		Quintadecima			

Ceterum quam sanctus sit, quamq. admirabilis Quaternarius, hinc colligitur, quòd vniuersæ gentes proferre solent quattuor litteris substantiam illam sine principio, sine fine, simplicem, sine vlla admixtione, inuisibilem, incorpoream, ineffabilem, inæstimabilem, incomprehensibilem, in qua nihil adiunctum, nihil est creatum, cuius nomen, cum vna sit, non quærendum, quòd illic tantum opus sit vocabulis, vbi proprijs appellationum insignibus multitudo fuerit dirimenda. nam interrogatus Attalus, quod nomen haberet DEVS, legitur respondisse: Qui plures essent, nominibus discerni, qui vnus esset haud indigere nomine. Hanc igitur substantiam Latini vocant ESSE; Hebræi EIEH. DEVS. n. & erat semper, et est, & erit; imo semper est. quandoquidem fuisse & fore, temporis, cui nos subiacemus, articuli sint, & huius fluxæ naturæ momenta. Ille autem semper est. vniuersum enim quod est, in se complectitur, nec principium habens, neque finem. non enim Diuinarum rerum, ac humanarum idem iudicium. nam cum in motu & fluxu sint ista, eiusmodi etiã earum tempus esse liquet, cuius pars altera præterijt, futura altera est. nam præsens illius nullo modo comprehendi potest, quòd, antequàm cognitione perceptum sit, auolet ac dilabatur. At rerum Diuinarum alia censetur ratio, quæ cum careãt omni motu, profecto seculum quoque ipsarum & firmum & constans esse necesse est. Quare primum Dei pronunciatum erit ESSE. Hoc sane modo seipsum nominat, cum in Monte Synai oraculum edit Moysi: Ego sum qui sum. vt discant differentiam inter esse & non esse; & nullum nomen de me dici proprie, cui soli competit esse. Non dicitur autem DEVS proprie Ens, sed ESSE. Diuersum est enim Esse, quod ad actum pertinet, & Ens eius abstractum ad potentiam pertinens. itaque Ens à Romanis dictus est AIVS, eo quod aiebat, et loquebatur. Namq. olim Romæ audita vox est silentio noctis clarior humana voce, quæ iuberet Magistratibus nunciare, et Gallos venire, ac vt prouiderent ne ROMA caperetur à Gallis, vt narrant Arnobius lib. primo contra Gentes, & Cicer. secundo de natura Deorum.

A Persis dicitur SYRE.

A Magorum disciplina vocatur ORSI, vnde Oromasius: Assyrij, quem summum habent Deum, ac maximum venerantur, ADAD verbo gentium illarum proprio nuncupant. Significat autem non aliud fere, quam VNVM, de quo Macrobius in Saturnalibus: Ne sermo, inquit, per singulorum nomina Marsil. Fic. in Plat. Cratil.

Deorum vagetur, accipe quid Assyrij de Solis opinentur potentia. Deo enim, quem summe maximum venerantur, ADAD nomen indiderunt, quod VNVS interpretatur: hunc vt potentissimum adorant Deum. sic ille.

Gothi suum maiorem Deum vocant ODEN, ideſt, fortiorem: potentissimum autem Numen THOR appellarunt, vt habet Olaus Magnus de Gentibus ſeptentrionalibus lib. 3. cap. 3. et 4. Vſpalenſis Deorum Satrapa EROE nuncupabatur.

Macedonum Sacerdotes, vt ſcribunt Neanthes Cyzicenus, et Clemens Alex in precibus inuocant BEDY, vt ſit eis propitius, & filijs.

Mahometiſta Vocant ABDI.

Galli DIEV.

Tuſci ESAR.

Hiſpani DIOS.

Theutones ſua lingua pronunciant GOTT.

Hetruſci dicunt Signor IDIO, quod eſt, Dominus Deus.

Arabes, Turca, & Saraceni dicunt ALLA, IBEL, ideſt Deus Iuſtus.

Nic. Cuſa. *In lingua Sclauorum dicitur BOEG, à bonitate.*

In Chaldæa & Indica vocatur ESGI ABIR, ideſt, Creator vniuerſi.

Plutar. lib. de Iſi. de & Oſiride. Plato i Phędro. *Apud Aegyptios nomen ſummi Iouis eſt AMVN, quod nos corrupto vocabulo dicimus Ammonem. qua ſane uoce Manethos ſebennita occultum, & occultationem ſignificari dijudicat. Hecatæus autem Abderita hoc verbo inuicem vti Aegyptios aſſerit, cum alter alterum vocat; eſſe enim vocem inuocatiuam; &, cum principem Deum eundem cum Vnitate putent, vt pote obſcurum & abſconditum, ab ijs vocari AMVN, dicentibus vt prodat ſeſe, ac conſpiciendum præbeat. Opifex intellectus, ait Iamblichus, qui & veritatis eſt dominus atque ſapientia, quatenus in generationem progrediens occultam latentium rationum potentiam traducit in lucem, AMVN agyptiaca lingua vocatur. Hæc ille libro myſteriorum.*

Græci ſuis litteris ΘΕΟΣ enunciant, quod hinc capiſſent homines Deũ agnoſcere, cum vidiſſent ſtellas tantam concinnitatem efficere, ac dies noctesq. æſtate, uel hyeme ſuos ſeruare ſtatos ortus atq. obitus, indeq. terram animantia fructuſq. proferre. itaq. pro patre Cælum, pro matre Terram acceperunt; Patrẽ illum, quod aquã inſtar ſeminis effunderet; Matrem hãc, quod conciperet et pareret. Cumq. viderent ſtellas perpetuo moueri,

& in

& in cauſſa nobis eſſe, vt Solem, & Lunam contemplaremur, Deorum his nomen fecerunt, à curſu dictum. Quod his verbis aſtruit diuinus Plato: Videntur mihi Græcorum priſci Deos putaſſe ſolos eos, quos etiam his temporibus arbitrantur barbarorum plurimi, Solem, Lunam, Stellas, Cælum; & cũ perpetuo in curſu eſſe conſpicerent, ab hac currendi natura lingua ſua ΘΕΟΥΣ nominaſſe. ſic Plato. At nos cenſemus ΘΕΟΥΣ à currendo quidem dici poſſe, ſed illud currere non eſſe intelligendum de motu locali, tranſitus videlicet de aliquo, in alium locum; ſed de Dei prouidentia & efficaci operatione ad omnia perueniendi. Alij ΘΕΟΣ nomen dictum volunt, quod ei nihil deſit; vel ἀπὸ τοῦ θεῶ, quod eſt video ſpeculor, aut ἀπὸ τοῦ δέομαι. i. timeo, vnde quidam poetarum.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Vtrumque D. Ambroſius probat his verbis. Deus dicitur quòd omnia ſpectet, et timeatur a cunctis. Athanaſius lib. definitionum. Dicitur, inquit, Deus ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν τα᾽ πάντα, ideſt, ab eo quod contemplatur omnia. Illud etiam addi poteſt, vt Græca lingua à Chaldea capit denominationẽ, ſic à TEV, quod bonum ſignificat, nomen iſtud etymon accepiſſe, ſicut & latine DEVS à ΘΕΟΣ deriuatur, Aegyptij enim TEVT vocant, quem liquet eſſe Mercurium, qui præfuit Aegypto, de quo ſic in Phædone loquitur Plato: Audiui equidem circa Naucratim Aegypti, priſcorum quendam fuiſſe Deorum, cui dicata ſit auis quam IBIM vocant, Dæmoni autem ipſi nomen TEVT. hunc primum ferunt numerum & numerorum computationem inueniſſe, geometriamq. et aſtronomiam, ac litteras. Idem affirmat apud Ciceronem Cotta, licet Euſebius Cæſarien. primo de Præparatione Euangelica contendat hũc appellari Toit, ac primum anni menſem dici Teut, ſiue Thoth, qui incipit ſexto Kalend. Septembris. Nos item IESV à Patre accepimus, quod admiratus Dionyſius Areopagita cuncta Theologia myſteria in diuinis nominibus exquiſiuit. Eſt autem IESV non Græci ſermonis vocabulum, ſed Hebræi, quod apud nos Saluator dicitur: Glo. in capit. Decet de immunit. Eccleſ. lib. ſexto ver. Ieſu Chriſti. IESV enim cognominatus eſt qui populum poſt Moyſen in terram promiſſionis induxit. Scribitur autem græce ΙΗΣΟΥΣ, ex quo factum eſt vt multi nomen iſtud cum adſpiratione ſcripſerint, rati litteram hanc H eſſe adſpirationem, cum ſit ητα græca vocalis, quæ ſemper eſt e, productum tam apud nos quam apud Græcos. Eam enim ſic ſcribunt Græci H, „ ſimilem prorſus noſtræ longiuſculæ adſpira-

Clemens Alex. ſtrom. 1. Euſ. de prepar. Euang. 11. c. 4.

Beda.

Matth. 1. Luc. 1. 2. Ambroſius in Lucam. Io. Chryſoſt. in Natth. hom. 2.

Cyprianꝰ in expoſitione Symboli Apoſtolorũ

tioni. Eos autem arguens Origenes, qui nomen hoc ſanctum tribus litteris cum aſpiratione, aut etiam quinque ſcribendum putant, lib. contra Celſum poteſtatur quibuſdã nominibus ſacris mirificam ineſſe uirtutem, quæ mutatis ipſis nominibus non ineſſet, ideoq. illa non eſſe mutanda. Neque .n. vllus Hebræus cabaliſta ire poteſt inficias, quod nomen IESV ſi ſcribatur et ſecundum modum et principia cabalæ interpretetur, hoc totum præciſe, et nihil aliud ſignificat, id eſt, Deum Dei Filium, Patriſq. ſapientiam per tertiam Diuinitatis perſonam, quæ eſt ardentiſsimus amoris ignis, naturæ humanæ in vnitate ſuppoſiti vnitum. Vnde vas electionis Paulus ad Hebræos ſcribens, dicit datum eſſe IESV nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Et in actibus Apoſtolicis de IESV legimus dictum, non eſſe aliud nomen ſub cælo, in quo oporteat omnes homines ſaluos fieri. Hoc eſt inquam illud ſalutare gentibus nomen quod protoplaſto fuerat ab Angelo repromiſſum ad humani generis reſtaurationem. Conditor enim noſter a primis illis hominibus offenſus maledicta ſuper ſingulos, prout criminis quantitas exigebat, effudit: & quamuis iratus, mox tamen myſterium noſtræ ſalutis, vt bonus Paſtor, oſtendit. Neque enim æquum fuerat alio tempore de ſalutis noſtræ remedio cogitare, niſi eo quo mors inuenta fuiſſet. Non enim tunc primo Dominus ac Saluator noſter promiſſus fuit, quando clamabat Eſaias: Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet Filium. nam hoc erat pene iam ſero, & tam multa millia Patriarcharum, ſine ſpe mortua videbantur. quibus vtique vita eſſe non potuit, ſi Dominum non ſperauerunt eſſe venturum, dicente Paulo: Spe ſalui facti ſumus. Et qualis ſpes eſſe potuit, ſi non fuit repromiſſa? Fuit autem repromiſſa. Quo tempore enim ſupplicia merebamur, argumentum Saluatoris oſtendit, vt intelligere poſſemus, quantum poſſet præſtare non læſus, qui tantum donaret iratus. In primo igitur homine vt loquebatur ſtatim iudiciarium ſpopondit auxilium, ſtatim ignotum ipſis Angelis publicauit ſacramentũ, et terreno Adæ ADAM promiſit è cælo, dicens: Ne ſupermodum conficiaris gemitu & moleſtia, quod te duce genus humanum in ſummam corruerit perditionem, quandoquidem miſericors ſum, & hoc expiabitur originale peccatum. ex tua enim propagatione naſcetur vir iuſtus & pacificus, cuius nomen continebit in miſerationibus quattuor litteras. Conteret hic caput ſerpentis. Quod audiens Adam, ac in Domino confidens, mutandi delicti ſpem concæpit.

Hebr. 2.

Act. 4.

D. Hieronym. ad Chteſifontẽ.

Rom. 8.

cumq.

cumque istud vxori communicasset, cœpit de posteritate cogitare, illaq. iam futura viuentium mater amota desperatione concepit & peperit primogenitum. Ex quo ingenti et incredibili perfusa gaudio, quod putaret sibi natum Saluatorem, exclamauit dicens: Acquisiui virum illum quattuor litterarum; & acquisitium nominauit CAIN. Quod dicit Heua: Possedi virum, potest, ait Ferus, verbum hoc sic accipi, quod Heua, quæ promissionem de Christo acceperat, nato puero & masculo, putauerit per illum, quasi semen illum promissum, contundendum caput serpentis; vnde & gratulabunda clamet: Possedi hominem per Deum, quasi dicat: Iam habeo illum qui iuxta promissionem Dei restituet nobis quod per serpentem amisimus: ob eam caussam nominauit illum CAIN, quod interpretatur possessio, vel acquisitio, sic enim ferme in Scripturis nomina propria ob singularem rationem imposita legimus. Hæc ille. Ceterum cum suam ipsorum vanã cernerent exspectationem (erat enim Cain prauis admodum moribus peruersus) alterã inchoarunt natiuitatem et genuerunt Filium, quem ab euentu vocarunt ABEL, quod interpretatur luctus. Aiunt enim Hebræi quod Cain dixerat non esse iustitiam, neque bonorum remunerationem, nec malorum punitionem: quibus cum Abel contradiceret à fratre Cain morti traditur. Postquãm igitur iste decesserat sine filijs, sustinuit Adam multo tempore, si forte quod non inuenisset in liberis, id contingeret in nepotibus. Verum cum nil sperandum esse conspiceret in reproba Cain generatione, aliam à Deo petijt prolem, quam impetrauit, vocauitq. nomen illius SETH, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro ABEL, vt moneat, et iã sic fundamentum sanctæ generationis. Suscipit rursum ex Seth nepotem, quem protoplastus Saluatorem sperabat, atque eum vocauit ENOS, idest, hominem, seu verum & rationalem hominem, vocabulum totius generationis commune tribuens illi per excellentiam. Quem n. nostra lingua rationalem hominem dicimus, Chaldæi dicunt ENOS. In hoc existimabant factam de Saluatore promissionem, tunc quod quartus fuisset inuentus, hunc enim siquis initium numerandi faciat à primo illo terrigena, quartum reperiet; tum etiam quòd primus fuisset adductus spe ad inuocandum nomen Domini. Ex quo colligi potest ante legem eadem fide patres seruandos, qua & nos modo: illi venturum, nos Christum venisse credimus. Quam vnam fidem designabat vna mensura omnium Psalmorum templi Ezechiel. capit. 40. Verum enimuero

Euseb. de Prep. Euang. lib. 7. c. 3 lib. 11. c. 4. lib. 16 cap. 11.

D. Hieron. in Iouinianum.

Greg. in Ezechielem hom. 16.

licet à principio peccati, de remedio salutis Dominus excogitasset, distulit tamen aduentum salutare, ac redemtionem nostram vsque ad septuagesimam generationem, quo Lamech solueretur impietas. Cyprianus. n. sermone de Spiritu sancto: Ipse inquit Dominus IESV ab Adã secundũ generationes, quas Lucas cõmemorat, septuagesimus septimus inuenitur, vt vltionẽ in Lamech septuagies septies promulgatam veniens terminaret. Sic etiam solui potest. Nouum quiddam atque mirabile futurum erat, quod multis testibus prius erat promittendum ac firmandum, & ideo per multam seriem temporum prædicendum. Nam si subitum atque omnibus incognitum euenisset, nullus fidem tantæ rei habuisset, cum etiam post tot reuelationes, tot signa, tot prædictiones, & tantam temporis moram, pauci admodum inuenti sint, qui Christo venienti fidem præbuerint. Porro si ante datam legem Dominus saluare mundum venisset, aliquis dicere posset, quia superuacaneus esset eius aduentus, cum aliqua præcepta dare potuisset, quæ salutem contulissent. Voluit ergo dominus nos cuncta prius experiri, quo probatum esset homines nulla alia via solubos fieri posse, nisi per eum; & eius tantum gratia vniuersa ascriberẽtur. Superest tandem et examinemus et illud apud Hebræos celeberrimum Dei nomen. Habet vtiq. hebraica lingua diuersa enunciata, quibus diuinam solet inuocare potentiam. At proprium Dei nomen est ADON, siue ADNI, quo sæpe & in hominibus vtitur, quod Dominus interpretari possit. Sara vocans Abraham dominum suum, hoc vtitur enuntiato. Et vbi in Exho. dicitur: Domine mi rex, ADON scriptum legitur. Quando autem duo Domini, & Domini iuncta sunt nomina, prius nomen commune est, secundum proprie Dei. Quod etiam quattuor vocalibus litteris scribitur his totidem mysterijs personalibus distinctis, quarum Iod, quæ prima est, principium interpretatur, eo quod ceterarum omnium principium sit: cumq. ab ea vna quoque omnes scripturæ originem habeant, ipsaq. à nulla sumant originem, scite Patrem in diuinis insinuant, qui cum à nullo sumat originem, aliæq. personæ ab eo emanent, principium sine principio dicitur. Secunda He, quæ esse vel viuere significat, Filiũ in diuinis aptissime innuit, per quem uniuersa quæ facta sunt esse cœperunt, et quidquid factum est in ipso vita erat. Tertia autem Vau, quæ copulatiuam dictionem, ET, denotat, Spiritum sanctum optime exprimit, qui cum sit amor Patris & Filij, quo se vicissim amant, recte copula, id est, nexus vtriusque nuncupatur. potest etiam inter-

Cap. 3.

Vide Niceph. Call. hist. Eccl. lib. 1. cap. 3.

D. Hier. c. 6. in Ezech.

Gen. 10.

Cap 28.

terpretari Ipſe, ſeu Virtus. quia ſpiritus ſpirat omnem virtutem in omnia, teſtante Pſalmographo: verbo Domini cæli firmati ſunt, et ſpiritu oris eius omnis virtus illorum eſt. Quarta et vltima eſt He, ſignificans humanitatem Chriſti iunctam Verbo. Quæ littera duplicata, duas naturas in una perſona iunctas eſſe deſignat, ac ipſum Dei nomen ita ex Quaternario conſtitui, vt à ternario quo ſemper gaudet, minime diſcedat. Porro hoc altiſſimum nomen à Deo datum non proferebatur, neque pronunciabatur, neque dicebatur, niſi in ſanctuario à Sacerdotibus Domini ſanctificatis, & ſolum in benedictione Sacerdotum, & tunc etiam à Sacerdote magno, & niſi in die ieiunij glorioſæ ſanctificationis. Et vbi in illorum Biblijs hoc glorioſum nomen conſpicitur, ibi Rabini pronunciant Adonai, tametſi, ſuffragante auctoritate Petri Bruti Epiſcopi Catharē. pronunciare deberent ADON, cuius nominis expreſsionem Theodoretus eſſe dicit apud Samaritanos IAVE. Et D. Hieronymus in expoſitione octaui Pſalmi hoc ipſum explicat per verbum IAHO, quod apud nos dicitur Dominus. A Græcis dictum eſt Tetragrammaton, quo ſignificant eſſe nomem ineffabile, tum quod nulla exprimi valeat uoce articulata; tum quod per intellectum ſit inconceptibile, nec illi creatura vnquam communicabile factum, cum ſolam omnipotentis Dei ſubſtantiam abſque mixtura, nec ſecundum aliquam particularem virtutem vel proprietates extrinſecas, ſed ſecundum omnipotentiam Deum demonſtret. Aſtipulatur Rabi Moyſes Aegyptius dicens omnia nomina prouenire ab operibus diuinis, præter Tetragrammaton, quod eſt appropriatum altiſſimo Creatori, vt pote diuinam Eſſentiam notans cum proprietatibus intrinſecis. De hoc admirabili nomine ſic ſcribit diſertiſſimus Iudæorum Philo Alexandrinus libro de vita Moſis: Cidaris pro diademate imponitur capiti Sacerdotis, cui præfigitur aurea lamina inſignita quattuor litteris, per quas Entis nomen aiunt indicari. Et infra: Erat, inquit, lamina aurea quattuor inſcripta litteris nominis illius quod ſolis aures ac linguam ſapientia purgatis fas eſt audire nominare q. in ſacris, præterea nemini, id Theologi eſſe dicunt Tetragrammaton, quod fortaſſe ſignificet primos numeros, vnum, duo, tria, quattuor. Hæc Philo. Legimus interrogatum Angelum, quod ſibi nomen eſſet, reſpondiſſe: Cur ſic quæris de nomine meo, quod eſt ſecretum, ſic enim Iudæi exponunt de nomine IAHO, quod non fuerat publicandum. Nomen hoc ſanctum ac ineffabile Mercurium Triſmegiſtum nequaquam latuit, cum de illo ſic ſcribat:

Cap. 32.

In victoria contra Iudæos. c. 2. Queſt. 15. i Exodum.

Lib. directionis perplexorum.

Gen. 32. Iudic. 13.

D. Hier. in pſ. 8.

Lact. Firm. diu. inſt. lib. 7. c. 7.

Cauſſa

Causſam autem huius cauſſæ eſt Diuini boni voluntas, cuius nomen non poteſt humano ore dici. Et enim o fili ſecretus quidam ſermo ſapientiæ ſanctus de ſolo Domino omnium præſciente omnia Deo, quem dicere ſupra hominem eſt. Apollo quoque Delphicus, interroganti cuidam quiſnam eſſet? reſpondit de Deo: Cuius nomen verbo capi non poteſt. His accedit quòd Areopagitæ inter cetera Deorum altaria, aram etiam habebant ita inſcriptam IGNOTO DEO. Quod vas electionis Paulus tamquam felicem concionandi occaſionem arripiens, verum Deum adduxit in medium. At neque Philoſophos hoc Tetragrammaton latuiſſe viſum eſt, vt ſunt non pauca myſteria ad Ethnicos etiam delata. Nam Pythagorici, quod nos cum Græcis dicimus Tetragrammaton, ipſi, iuxta ſuæ diſciplinæ morem, Tetractyn vocant, quam omnibus Dijs ac Deorum virtutibus præferunt: et perpetuæ naturæ fontem eſſe in animos noſtros manantem deſcribunt. Atteſtatur hoc quod aureum Pythagoræ carmen appellant, in quo, iuramenti loco, Tetractys aſſumitur, tamquam ſummum quo fides innitatur. Vtque ſacrum à prophano ſegregaret, optima ratione nomen ſanctum per Ypſilon, quod apud Atticos notat Quaternarium per centenarium ductum, ſcripſit, cum tamen Actis vulgo per Iota ſcribi conſueuerit. Ac vt diuinam eſſentiam maxime demonſtraret, Tetractyn hoc loco egregie in genere maſculino protulit, quo quidem more Latini quoque veteres Cupidinem, aut Venerem maſculine pronunciarunt, cum alias inſtrumentalem Quaternitudinis numerum ipſam Tetractyn genere feminino eloquantur. Porro ſi Iohan. Picum Mirandulanum ſequi voluerimus, quattuor ſunt quæ Deus Opt. Max. habet à ſe, non in reſpectu ad cauſſam, quam non habet prorſus, ipſe enim omnium cauſſa à nullo eſt. Sunt autem hæc ESSE, VNVM, VERVM, BONVM. De quibus ad hunc modum ſcribit D. Hieronymus Epiſtola quarta quæ eſt ad Damaſum. Vna, inquit, eſt Dei ſola natura, quæ vera eſt. ad id enim quod ſubſiſtit non habet aliunde, ſed ſuum eſt. Deinde ſubdit: Deus ſolus qui Aeternus eſt, hoc eſt, qui non habet exordium, eſſentiæ vere nomen tenet &c. Quomodo autem hæc ſe inuicem conſequantur, conſiderandum eſt. Primo quidem Deũ ſic concipimus vt ſit vniuerſitas omnis actus, et plenitudo ipſius Eſſe, quam intelligentiam ita ſubſequitur vt ſit Vnus, vt nec oppoſitum concipi poſſit, & ſtatim Veriſſimum eſt. Quid enim habet quod appareat eſſe, & non ſit, qui eſt ipſum eſſe? Conſequens certe vt ſit & ipſa Veritas, ſed

& ipſa

De Athenienſiũ ara lege Oecumenium. Act. 17.

D. Hier. in c. 16. Ezech.

Grego. Naz. lib. de Pentecoſte. Io. Picus lib. de Ente & vno c. 9.

De Quaternario quem Pyth. ob reuerentiam in I. I. aſciuere.

& ipsa Bonitas. Nam boni tres condiciones, vt scribit Plato in Philebo, vt sit perfectum, sufficiens, expetendum. Erit autem hoc, quod tale concipimus, perfectum, quia illi nihil deerit, qui est omnia. Erit sufficiens, quia possidentibus illud, nihil deerit, in quo inuenient omnia. Erit expetendum, quia ab illo & in illo sunt vniuersa quæ expeti possunt aliqua ratione. Vnde cum ab incredula Iudæorum turba, secundum carnis aspectum Christus diceretur Magister bonus: Quid me, inquit, interrogas de bono, qui me cælorum Dominum esse non credis? Nemo bonus nisi solus Deus, qui homines facit implere quod boni sint. Deus ergo plenissima Entitas, indiuidua Vnitas, solidissima Veritas, beatissima Bonitas. Atque hæc esse potuit Tetractys, quam Pythagoras vocabat principium semper fluentis naturæ. Principium enim hæc, quæ Vnus sunt; Deus omnium est. Iuramus item per ea quæ sancta, quæ firma, quæ diuina sunt. Sed quid illis aut firmius, aut sanctius, aut diuinius? Nō possum hic quoq; præterire, aut inuoluere silentio auctoritatem Isidori Hispalensis asserentis in Deo substantialiter quattuor considerari, nimirum, Bonitatem, Incorruptionem, Immortalitatem, et Incommutabilitatem. Summum bonum, inquit ille, Deus est, quia incommutabilis est, et corrumpi non potest. Creatura vero bonum, sed non summum est, quia mutabilis est, & dum sit quidem bonum, non tamen esse potest summum. Quid est Dei immortalitas, nisi eius incommutabilitas? Nam, & Angeli, & Animæ immortales sunt, sed immutabiles haud quaquam sunt. Ideo solus Deus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis est. Nam anima morti subditur, dum deserente Deo, de bono in malum mutatur. Sic et Angelus est mutatus, dum derelicto Deo est lapsus. Quod materiam habet vnde exsistat, mutabile est, quia de informi transit ad formam. Quod vero non est materiei subditum, immutabile est, sicut Deus vtique est. Quattuor igitur præterea sunt in Deo substantialiter, Bonitas, Incorruptio, Immortalitas, Incommutabilitas. Quibus forte Pythagoras instructus ad hunc modum iurare solitus erat.

Matth. 19. Mar. 10.

De summo bono lib. 1. cap. 1.

Testor eum numeri nobis arcana Quaterni
Qui tribuit, rerum caussę fontisq; perennis.

Adsunt tamen qui Iusiurandum Pythagoricum referant ad figuram Crucis. De qua Dauid dicit in Psalmo quarto: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Quia sicut numerus imaginem gerit Imperatoris, ita et fidelis signo cælestis principis imprimuntur ac muniuntur.

Hoc

Hoc vero munimine Diabolus multiformis expellitur, & fraudolenta machinatione non prævalet superare tentatum, quem habuit primi hominis suasione captiuum. Crux est enim humlium inuictum tutamen, superborum deiectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cælestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum. Hoc Sacramentum ignotum non fuit Aegyptijs, & Arabibus nam per Crucis effigiem, venturæ salutis spem intelligi ✠ volebant, ac summam potentiam habere confirmabant, quæq. sit omnium cælestium virium atque intelligentiarum firmissimũ receptaculum, quia ipsa sit figura omnium rectissima', rõne hieroglyphica Quaternarium notans, ex quattor rectis lineis ab vno puncto sese separantibus, sitq prima superficiei descriptio habens longitudinem, & latitudinem: dicebant q. eam cælestium fortitudine conspiratam, quia eorum fortitudo per rectitudinem quattuor angulorum atque radiorum resultat, sunt q. stellæ maxime potentes, quando in figura cæli quattuor obtinent cardines, atque radiorum suorum inseinuicem proiectione Crucem constituunt. Hæc temere ad denarium significandum ab antiquissimis Latinis philosophis Crux assumpta censetur, cum Quaternarius potestate contineat denarium. Quidam rursus haud parui nominis Pythagorici ad ipsam Quaternarij potentiam absolutam hoc iusiurandum referre non dubitarunt, quod omnis perfectio Quaternione sit absoluta, fontem rerum hunc numerum appellantes maxime propter primaria fundamenta rerum omnium corporalium, quibus omnia elementata in istis inferioribus componuntur, non per modum coaceruationis, sed secundum transmutationem & vnionem. Et si quis hanc elementorum rationem considerauerit, videre facile poterit de promtuario Diuinæ mentis pendere. Est enim Platonicorum omnium unanimis sententia, quemadmodum in mundo archetypo cuncta sint in cunctis, ita etiam in hoc corporeo mundo omnia in omnibus esse modis tamen diuersis, pro natura videlicet suscipientium. Sic et elementa non solum sunt in istis inferioribus, sed & in cælis, in stellis, in Angelis, in ipso denique omnium opifice & Archetypo. Sed in istis inferioribus elementa sunt crassa quædam formæ, immensæ materiæ, & materialia elementa: in cælis autem sunt elementa per eorum naturas & vires, cælesti scilicet conditione. Plato in Timæo ex Pytagorica doctrina, ait cælum constare quattuor elementis, quemadmodum hæc inferiora corpora: sed dicit illa esse multo subtiliora et alterius naturæ quam sint hæc. Idem scribit D. Ambrosius lib. 1. c. 6.

Hexa-

Hexameron. Nam cælestis terræ soliditas illic est absq. crassitudine aquæ, & aeris agilitas procul ab effluctu? ignis calor ibi, non vrens, sed lucens, omniaq. suo calore viuificans. Porro ex stellis ignei sunt Mars atque Sol; aerei, Iuppiter & Venus; aquei, Saturnus et Mercurius; terrei, firmamentum atque Luna: quæ tamen à pleriſq. putatur aquea, quando videlicet, terræ instar, cælestes aquas attrahit, quib⁹ imbibita uicinitate sua illas nobis influit ac communicat. Sunt etiam inter signa, quædam ignea quædam terrea, quædam aerea, quædã aquea. Sunt præterea in Angelis & beatis Intelligentijs quattuor elementa. est enim in ipsis essentiæ stabilitas, terrea uis, qua sunt firma Dei sedilia: est et clementia, pietasq. aqua virtus mundans. hinc à Psalmista vocantur aquæ, vbi de cælo ait: Qui tegis aquis superiora eius: & Aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini. sunt etiam in illis aer subtilis ſpiritus, & amor ignis relucens, S. 103. & 148.

dicente etiam Psalmista: Qui ambulas super pennas ventorum, deinde: Qui facis Angelos tuos ſpiritus, et ministros tuos ignis flammã. Adhuc ex ordinibus angelicis ignei sunt Seraphin, et Virtutes, et Potestates; terrei Cherubin; aquei Throni, et Archãgeli; aerei Dominationes, & Principatus. De ipso denique Archetypo omnium rerum opifice legitur. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Et de eodem dicitur: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Et Idem Spiritus ſpirans ſpiraculum vitæ. Idemq. etiam (Moyse et Paulo testibus) ignis consumens est. Cum igitur quattuor elementa sint; in Archetypo, ideæ producẽdorum; in Intelligentijs, distributæ Potestates; in Cælis, virtutes; in inferioribus, crassiores formæ: mystice Pythagorici per Quaternarium iurare solebant. Pſal. 103. Esa. 45. Hier. 2. Gen. 1. Deut. 4. Heb. 12.

Theodosius Macrobius Pythagoricos scribit hoc iusiurandum ad animam retulisse, cum ait: Quaternarium Pythagorici, quem Tetractyn vocant, adeo quasi ad perfectionem animæ pertinentem inter arcana venerantur, vt ex eo et iusiurandi religionem sibi fecerint:

Iuro tibi per eum, qui dat animæ noſtræ Quaternarium numerum.

Cum enim Pythagorici in numerorum linearumq. scientia plurimum versarentur, et ex his aliqua etiam mentibus esse dicanda censerent, animam signarunt per Tetragonum rectangulum. Quamuis Architas non in Tetragono, sed in Circulo posuerit animæ finitionem. At qui hos secutus Diuinus Plato Animam dixit esse numerum harmonicum compositum ex Vnitate, binario, ternario, & Quaternario. Item ex propor-

tio-

Io. Bapt. Egnat. lib. de dieb. I

tione quadrupla. Item quasi ex puncto, linea, superficie, & cubo. Quin & Mercurio, tamquam cuidam animarum præfecto, & custodi, Quaternarium omnium maxime consecratum dicit; multosq. opinari natum

Plato.

fuisse illum quarta die mensis. Quattuor enim sunt animæ, veluti fundamenta, scilicet, Mens, Scientia, Opinio, Sensus: vndæ omnes artes, & scientiæ profectæ sunt, ipsiq. ratione præditi propterea sumus. Mens siquidem est vnitas. Nam Pythagorici vnitatem ipsam omnium parentem numerorum sui tantummodo, non alij præterea similem, non tantum Deum, sed et mentem esse protulerunt, hoc est, omnium sui simillimum, totius corporis regem, dominumq. actionum vniuersarum. Nam & quæ percipit mens, vnitatis in morem percipit. Exempli caussa: multi sunt homines, horum vnusquisque per se percipitur sensu: numerus eorum definiri nequit à nobis. Vnicam verò mens, hominis notionem concipit, quæ repræsentatur in singulis. idem de leone, aquila, capra, & ceteris intelligimus, quorum individua sunt innumera. Formæ siquidem siue dicas species, itemq. genera cuncta monadis habent rationem. itaque singula eorum definientes, dicunt: animal ratione præditum, animal hinniens. Hoc fuit in caussa, cur Intellectus, siue Mens, quæ rerum percipit formas, vnitatis nomine adficiatur. Et hoc quoque rationi consentaneum est, quòd binarius, infinitatis socius, scientiæ accommodatur. omnis etenim demonstratio, omnis ratiocinatio, quæ scientiæ finem parat, ex quibusdam in confesso positis id, de quo disceptabatur concludit, aliudq. colligit ex præmissis, quorum apprehensio, cum sit scientia, illam binario æquum est comparari. Opinio autem ternarius est, perceptio scilicet probabilis, quæ multarum rerum est. nam multitudinem ternarius notat: distin. 66. c. reliqui sacer. Plautus: Non fur, sed trifur, ideſt, maximus fur. Et Horatius Odarum lib. 3.

Arist. Post. lib. 1.

Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phœbo, ter pereat meis
Excisus Argiuis: ter vxor
Capta virum, puerosq. ploret.

Sic Menander ter infelicem dicit, qui pauper ducit vxorem, quasi omnibus numeris infelicem. Potest adhuc ternarius significare opinionem dubiam inter tria, scilicet, verum, falsum, & probabile. Quaternario numero sensus insinuari potest, quòd hic corporea tantum, & solida quasi sentiat. incorporea enim sensibus haud subiecta sunt. Afferunt

Py-

Pythagorici alteram rationem, ostendentes animæ conuenire Quaternionem. aiunt enim compactam esse animam ex Quattuor elementis spiritalibus. Experimur quidem in ea quandam spiritalem vim, quadruplicem ex se motum exerentem, concupiscibilem, irascibilem, rationalem, liberumq., siue voluntarium. Profecto cum anima sit intellectualis naturæ, ideo Quattuor hos motus intellectualiter satagit dirigere, cuiuslibet motus impetum intellectualiter modificando: & modificatio motus concupiscentiæ dicitur Temperantia. modificatio motus irascibilis vocatur Fortitudo. modificatio motus rationalis, Prudentia nuncupatur. & modificatio motus liberæ voluntatis, appellatur Iustitia. Videntur autem huiusmodi virtutes animæ respondere proprietatibus elementorum corporalium, quia Temperantia terræ ariditati adornatæ respondet; Prudentia perspicacitati aquæ conducibilitate; Iustitia, subtilitati aeris cum mulcibilitate. Fortitudo, siue constantia, vigorositati ignis in actiuitate. Quattuor hasce virtutes morales Plato Diuina nominauit bona. Sanctus Ambrosius diuinat illas fuisse figuratas in quattuor faciebus animalium apud Ezechielem, quòd Fortitudinem monstret Leo; Iustitiam, Vitulus; Aquila, Temperantiam; Homo, Prudentiam. Licet Aretas Episcopus Cæsareæ per Quattuor animalia, totidem intelligat excellentes Diuinas virtutes, qualescunque illæ sunt, quæ Dei potentiam designant, circa mundum ex Quattuor elementis compositum; Theodoretus virtutes Quattuor creatas, quas præfecit Deus Quattuor elementis, ex quibus subsistit vniuersum, & quæ ipsum conseruant; Polychromus Quattuor Angelos quattuor mundi partibus præpositos; Rabi Salomon Angelos Quattuor, quattuor monarchijs præpositos; Rupertus Tuitiensis Iesu Christi incarnationem, passionem, resurrectionem, & ascensionem. Ceterum Hieronymus, Augustinus, et Athanasius, Ecclesiæ lumina, probant esse figuras Quattuor Euangelistarum, prout modus sermonis conducere videtur.

Plato de repub. lib. 4.

De legib. lib. 1. Lib. 3. de Virg.

Ezech. 1. Apoc. 4.

Animalium facies.	Athanasio.	Aug. Bedæ, Primasio.	Hiero. Vict. Durand.	Andr. Cesarienf.
Homo	*Matthæus*	*Marcus*	*Matthæus*	*Matthæus*
Leo	*Lucas*	*Matthæus*	*Marcus*	*Iohannes*
Vitulus	*Marcus*	*Lucas*	*Lucas*	*Lucas*
Aquila	*Iohannes*	*Iohannes*	*Iohannes*	*Marcus*

Nec absque ratione mysterij factum est, vt fundamenta legis Quaternario continerentur. computantur enim in Decalogo Quattuor Euangelia, vt quodcunque dicebatur in Decalogo, Quattuor Euãgelijs compleretur, ne lex vetus ab Euangelica dignitate dissentiret. Nisi illud afferri velis, quòd cum omnium vnum sit Euangelium, ideo Quattuor demonstrari propter Quattuor flumina Paradisi. nam cum vnus sit fluuius, in partes diuisus est quattuor, quibus orbis vniuersus irrigari traditur, sicut horum prædicatione totus mundus instruendus creditur. Paradisus enim Ecclesia est. nam de illa sic habetur in Cant. Canticorum: Hortus conclusus est soror mea. Est & huiusce rei argumentum vas quattuor initijs de cælo demissum Petro in excessu mentis, quod non aliud significat, quam Euangelium. Licet enim Quadriformi Euangelistarum narratione distinctum principia Quattuor habere videatur, vnum tamen est Euangelij corpus, eiusdem scilicet Christi natiuitatem pariter ac deitatem, miraculaq. complectens, & passionem. Origenes Adamantius, & Greg. Nazianzenus asserunt Quattuor facies animalium Quattuor designare animæ vires, siue dicas affectiones. Homo vis rationalis est. Leo vis irascibilis. Vitulus vis concupiscibilis. Aquila conscientia est, reliquis imposita, quæ à Paulo Apostolo spiritus dicitur hominis. Apposite vero hunc animæ Quaternarium progressum ad veritatem redigunt Philosophi. nam simplex animæ essentia monade exprimitur; tum quod ipsa quoque vnitas incorporea sit, sicut anima; tum quòd vnita sit respectu partium corporis, et potentiarum eius. Etiam ad ipsam animam congrue ternarius referri potest ob indissolubile mediæ vnitatis vinculum. nam in ternario circa medium eius, idest, vnum, exstat vtrinque pariter vnum. quasi simplicia & diuina circa diuinum, siue Deum. Sed hæc numeris demonstranda: Dic ter 1. fiunt 3. duc ternarium in seipsum, proueniunt 9. quæ multiplicata per ipsum ternarium, eliciunt 27. ter 27. dant 81. vide quomodo in quarto gradu tibi occurrit vnitas prima. quod in ceteris numeris euenire liquebit facta semper multiplicatione per ternarium, quem diximus animæ conuenire.

D. Hieronym. in psal. 93.

Primas. in Apoc. lib. 1. Gen. 2.

Act. 10. Cass. lib. 3. c. 3.

1. Cor. 3.

Qua-

Quaternarius animæ progressus ex proportione tripla.

		3	243	19683	1594323	129140163
Animæ Essentia.		9	729	59049	4782969	387420489
		27	2187	177147	14348907	1162261467
Vnitas	1	81	6561	531441	43046721	3486784401

Quòd si cordi est scrutari mysteria quaternæ progressionis, diligenter attende quomodo prima progressio animæ est, qua de simplici essentia, quæ Monade figuratur, in ternarium sanctum se extendit, vbi iam per concupiscentiam aliud appetat, aliud per iram contemnat, per rationem inter vtrunque discernat. Et admodum erudite ab vnitate in ternarium profluere dicitur; quia essentia omnis secundum Philosophum naturaliter est potentia sua. Quòd vero eadem vnitas in ternario multiplicante ter inuenitur, hoc significat, quòd anima non per partes, sed tota in singulis suis potentijs consistat. Neque enim vel rationem solam, vel iram solam, vel concupiscentiam solam tertiam dixeris animæ partem, cum vna, eademq. substantia, secundum diuersas potentias suas diuersa sortiatur enuntiata. Cum enim asserimus tres esse partes animæ, iram, concupiscentiam, & rationem, non hoc dicimus, quasi anima sit diuisibilis in partes quantitate mensurabiles, vel quasi species à principali separatas, aut inter se inuicem disparatas. Rursus à ternario secunda progressione ad regendam humani corporis musicam descendit, quæ nouenario mensuratur, quia nouem sunt in humano corpore foramina, quibus secundum temperantiam regularem influit, & effluit omne, quo vegetatur, ac regitur idem corpus. In tertia progressione per sensus

Aug. lib. de Spiritu & anima.

Aug. eodem.

iam extra se profusa ad hæc visibilia, quæ per 27. qui solidus est numerus, ac trina dimensione ad similitudinem corporis extenditur, figurantur dispensanda per infinitas actiones. Denique in quarta progressione à corpore soluta ad suæ simplicitatis puritatem reuertitur. Ideoq. in quarta multiplicatione, vbi ter 27. in 81. excreuit, vnitas apparet in summo, quo euidenter appareat, quòd anima post huius vitæ terminum, qui secundum Prophetam Regium per 80. designatur, ad suæ simplicitatis vnitatem reditum faciat, à qua prius discesserat, quando ad regimen corporis descendebat. Rationalem nempe animam ante corpus exstitisse asseuerauit Mercurius Trismegistus, qui moriturus ad circumstantes discipulos dicebat: Hactenus filij pulsus à patria, vixi peregrinus, & exsul: nunc vero patriam repeto. Sed & Plato animam docet esse substantiam propriam habentem potentiam, qua & moueatur à se, & cetera moueat. Quemadmodum vero res ex se mobilis rem ab alio mobilem antecedit; sic animam rationalem putat antecedere totam machinam corporalem, cum nullum corpus ex seipso mouere valeat. Ex eo autem, quòd anima substantia prior est substantia corporis, concludit etiam, quòd anima prius naturalibus sit ditata potentijs, quàm corpori misceatur. quod & Pythagoræ sententia comprobatur, cum ex vnitate proueniat primo ternarius; ex quo nouenarius. Sed Platonem lib. 10. de legib. audiamus: Recte, & proprie, vereq., & absolute diximus prius corpore animam factam fuisse, corpus vero posterius; atque secundo animæ, secundum naturam dominanti subiectum. At si antiquior corpore declaratur anima, illa etiam quæ animæ competunt his quæ corporis propria sunt, priora esse simul declarantur. hæc ille: Amplius Platonici & dignitate simul, & tempore volunt antecedere. Quod si quis Platonem à Christianis minus dissentire velit, exponat animam nostram, vel momento quodam temporis, vel saltem dignitate, Creatorisq. intentione præcedere. Quandoquidem hanc assertionem citra vllum hæreseos periculum plerique Theologorum credi posse, defendique putant: dummodo existimemus non peccasse animas antequam corporibus illaberentur. ac propter peccata detrusas in corpora, tamquam in carcerem. Quod et in Origenistis, et in Priscillianistis Conciliorum Decreta damnarunt. Nic. Cus. qui est de

Lib. 3. Idiote. cap. 5.

men-

mente, sapientes dicit, non tempore, sed puritate, et naturæ dignitate animam putasse prius esse corpore, illam visui in tenebris comparantes. Visus autem nequaquam actu fuit ante oculum, nisi natura tantum. Vnde quia mens, siue intellectualis anima Diuinum quoddam semen est sua propemodum vi complicans omnium rerum exemplaria notionaliter: tunc à Deo, à quo vim istam habet, eo ipso quod esse recipit, est simul, & inconuenienti locatur terra, vbi fructum facere possit, et ex se rerum vniuersitatem notionaliter explicare. Alioquin hæc vis seminalis frustra prorsus illi fuisset data, ni fuisset addita opportunitas in actum prorumpendi.

Hæc fuit Philosophorum de procreatione animæ sententia, quam nec approbare, nec repudiare voluit D. Hieronymus ad hunc modum scribens ad Anastasium: Alij asserunt, quod formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat animas, & infundat; alij quòd factas iam olim, ideſt, tunc cum omnia Deus creauit ex nihilo, nunc eas iudicio suo dispensęt in corpore. Et hoc sensit Origenes, & nonnulli alij Græcorum. Ego vero cum hæc singula legerim, teste Deo dico, quia vsque ad præsens certi, vel definiti aliquid de hac quæstione non teneo, sed Deo relinquo scire quid sit in vero; & si cui ipse reuelare dignabitur. sed hac de re satis. Epist. 38.

Per quaternariam hanc progressionem putant aliqui intelligendum illum animæ Quaternarium Pythagoricum; eumq. ad distinctionem Quaternarij corporis nuncupatum animæ Quaternarium. Nam & corpori suo assignatur Quaternarius progressus, qui in Dualitate constitutus est. quemadmodum enim Trinitas animæ rationali, formisq. competit; pari ratione Dualitas materiæ corporiq. dicatur. Dispositis igitur numeris pariter paribus, vt fiat progressio in dupla proportione consistens, semper quarto quoque loco idem numerus binarius, à quo progressio sumsit exordium, tibi occurrit. vt ex his numeris per duplam crescentibus euidentissime patet. Boet. arithmet. lib. 1. c. 6.

Quaternarius corporis progressus ex proportione dupla.

Materia	4	64	1024	16384	262144	4194304
corporiq.	8	128	2048	32768	524288	8388608
addicta	16	256	4096	65536	1048756	16777216
Dias 2	32	512	8192	131072	2097152	33554432

Hic itaque Quaternarius est corporis progressus, in quo prudens lector mathematica ratione nouit esse dissolutioni obnoxium quidquid à dissolubilibus suscipit compositionem.

DE NVMERO V.

QVINARII *numeri vis tanto Quaternario augustior habetur, quanto animatum inanimato præcellentius iudicatur. Nemo enim & qui non videat Quaternarium, postquam naturam vsque ad corporis perfectionem produxit, ac tactui renitẽtem molem exhibuit, eam destituere, rei indigam maxime necessariæ. Nam quod animæ est expers, id, vt in pauca conferam, mancum est & imperfectum; neque vllam ad rem anima non mouente accommodatum. Motus autem siue affectio animam introducens, mutatione per quinque fit, naturaq. perfectionem conciliat, vt Quinarij ratio eo sit, quàm Quaternarij præstantior, quò maior est animalis, quam anima carentis corporis dignitas. Quare concinnitas & facultas Quinarij plus virium nacta non permisit in infinitum animatorum naturam progredi, sed viuentium quinque genera tradidit: Deo primum locum sibi vendicante, sequentibus dæmonibus, seu Genijs, Heroibus inde tertio constitutis loco, Hominibus subsequentibus, Brutis vltimo. Quinque rursus mundi habitatores, siue animalium genera, puta: Homines, Quadrupedia, Natantia, & Volatilia. Hirundo nonnisi quinque pullos in lucem edit, quos magna alit æquitate, ab eo, qui est maximus natu incipiens, in ceterisq. ortus rationem habens. Iam si ipsam animam, ita, vt natura illius fert, partiare, Quinario comprehensam inuenies. Prima enim, & ignobilis illius vis est vegetandi; proxima, sentiendi; post hanc, appetendi; deinde, irascendi; ratiocinandi facultas quinta. Anima rursus in sui corporis mundo peregrinanti quin-*

que

que sunt ad sapientiam veluti gradus : Sensus , imaginatio , ratio , intellectus , & mens : quemadmodum etiam cognitionum opifices quinque recensentur ab Ammonio post Aristotelem, qui eorum quatuor tantum in primo de anima libro meminit: sunt autem Mens, discursus, imaginatio, sensus. Quinque numero sunt et animales affectus turbidi, ira, dolor, metus, sollicitudo, inuidia, quibus imperat mentis prudentia. Quod si veterum placita licet consectari, præcipue Platonicorum, qui nostro scribendi instituto suggerunt argumentum, Quinarium numerum pluribus de causis animæ compositioni conuenire comperiemus. nam genera, quibus à Deo componuntur omnia, per Quinarium accipiunt distributionem. sunt autem, essentia, idem, alterum, status, & motus. Animam vero, velut omnium medium, præcipua quadam ratione ex ipsis quinque omnium generibus compositam Platonici ex Pythagoræorum sententia arbitrantur. Est quoque Quinario similis anima, quia, cum sit medium vniuersi, sponte Quinarium suscipit vniuersi quidem numeri medium. Est enim Quinarius perfectum denarij medium. nam cum Quinquies rite denarium diuidimus, medium est æque distans in qualibet diuisione Quinarius. primo quidem, si decem in nouem diuiseris atq. vnum, videbis Quinarium inter vnum, et nouem medium exsistere pariter vtrinque distans. si præterea in octo, atque duo partiri decem volueris, rursum Quinarium æquale inter hæc medium reportabis. si tertio in septem atque tria, vel quarto, si in sex et quattuor, iterum medium verum accipies inter extrema Quinarium. Quinto quòd decem partitus in quinque, & quinque medium Quinarium præbeat dictu superfluũ. Adhuc anima ex natura, quæ indiuidua est, semperq. eodem modo habet, tum ex ea, quæ circum corpora diuisioni est obnoxia, tertium quoddam genus interiectum contemperauit. quod etiam inter eiusdem et diuersi naturam medio loco intercederet. ac proinde id constituit in medio indiuiduæ naturæ, & eius quæ circa corpora esset diuidua. Quare Xenocrates asserens animam esse numerum, qui à se ipso moueatur, nil aliud intelligi voluisse putatur, quàm exortum numeri indiuiduæ, diuiduaq. naturæ mixtione progeniti. Quemadmodum igitur anima ex diuidua, indiuiduaq. constat natura, ita fere Quinarius ex primo pari, primoq. impari. Namque parem numerum definit Euclides sexta septimi eum dici, qui bifariam secari possit. non potest autem secari vnitas, vt dicitur prima septimi. nam si secaretur vnitas, par esset quilibet numerus, &

nul-

nullus similiter esset impar. Est igitur par numerus, qui ex binis vnitatum ordinibus numero æqualibus constatur; impar vero, qui in duos vnitatum ordines æquales numero secari non potest. Hinc sequi necesse est, binarium esse primum parem; primum autem imparem, ternarium. Constat igitur anima ex binario primo pari ac diuiduo, et ternario primo impari, ac indiuiduo, qui simul iuncti Quinarium constituunt. Praterea cum ternarius vltra parem abundet vno, masculus ob eius copiam appellatur: binarius autem, vtpote par, ob inopiam, ex partitione, femininus apparet: Quinarius ex his compactus Matrimonium nuncupatur, ac nuptijs sacer esse perhibetur ob paris cum femina, imparis cum mare similitudinem. Quando enim numeri in æquas partes secantur, par omnino diuulsus principium quoddam capax in seipso spatiumq; relinquit: impari diuiso semper restat medium gignendo aptum. Itaque & pari secundior est, mixtusq. semper prævalet, numquam vincitur. numquam etenim par impari mixtus, parem, sed imparem producit semper. immo vero vterque secum compositus discrimen ostendit. numquam scilicet par pari adiunctus (per vigesimam quintam noni) imparem procreat, neque suam potest mutare naturam, imbecillus & vi alium gignendi destitutus. Impar impari iunctus, quoniam sunt vsquequaque fecundi, permultos pares generat. Quòd si impares numeri componantur, multitudo autem illorum fuerit impar (per vigesimam quartam noni) totus impar erit. Quinarium igitur Pythagorici ob similitudinem congressus primorum maris, ac feminæ, paris & imparis coniugium appellauere. Inde à Veteribus etiam institutum erat, vt aqua, & igni (quorum alterum quasi masculinum est elementum, alterum quasi femininum; alterum actiuum, alterum passibile) quæ sane vitam maxime mortalium continent, nuptiarum fœdera sancirentur. Licet autem ignis permisceri cum aqua non possit, quòd vtraque sint aduersantia, & si cominus venerint, alterutrum quod superauerit, alterum conficiat necesse sit; eorum tamen substantiæ permisceri possunt. Est autem ignis substantia calor, humor aquæ, quæ mirabiliter Deus ad sustentanda, gignendaq. omnia excogitauit, adinuenit, cum fœtus animantium calore, & humore corporentur, atque animentur ad vitam. Ignis igitur & aqua afferebantur in sacris nuptialibus, quibus hieroglyphico sensu significabatur, ita virũ feminãq. disiunctos esse steriles ac infecũdos, sicuti sine humore calor nihil progignere potest; at coniunctos uim habere generationis aptissimam.

Euclidis.

Quip-

Quippe vbi temperiem sumsere humorq́. calorq́. Ouid. Transfor. lib. 1.
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumq́. sit ignis aquæ pugnax, vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia fetibus apta est.

Accedit quòd Prisci matrimonium contrahentes quinque Deorum patrocinio indigere putabant, Veneris, Suadæ, Dianæ, Iouis præfecti, & Iunonis præfectæ, quam parientibus opem ferre volebant; eam proinde Lucinam appellantes, vt quæ filios in lucem edat. Huius speculationis Horat. in Carm. Secul. *fuisse putatur, quòd Plato lib. de legib. ad nuptiale conuiuium non plures quam quinque amicos, & amicas quinque ex latere paterno vocari voluit; ex cognatis, & propinquis totidem. Est adhuc huius mysterij, quòd quinque faces in nuptijs accendebantur, quia lumen sit procreationis signum; ac Mulieres quinque geminos vno posse gignere partu symbolice significent. quod testantur & Iurisconsulti, quinque simul nasci dicentes, eosq. posse superuiuere. Et iuxta hanc rationem mulieri prægnanti partes ex hæreditate defuncti coniugis asseruant, ita vt si tres filios coniux ex priori vxore reliquerit, illi filij ex hæreditatis fructibus tres dumtaxat partes ex octo partibus sumant; vxor prægnans relicta, quinque. Nam & Caius Digest. lib. 34. Serapim Alexandrinam liberos quinque vnico partu narrat enixam. Et Aristot. mulierem quandam* Auicen. de nat. anim. lib. 9. *viginti filios quattuor partubus edidisse testatur; eumq. censuit esse finem multiugæ hominum partionis. Neque plures vnquam simul genitos compertum, quod & conceptacula spermatica genituræ gratia comparata ex Anatomicorum obseruationibus quorundã Quinque numero visa sint, his verbis attestante Plutarcho: Semen fecundissimum Quinquefariam diuiditur. non enim mulierem plures Quinque, fetus partu edidisse memoratur. multæ autem quinque vno enixæ partu. Sed & post partum sacrum fuisse Quinarium numerum ex Platone in Theateto facile intelligi datur, cum ita loquitur: Post partum (vt mos est) quinta die ab eius natali solemnia celebrantes circulo cursim circumferre debemus, cauentes ne nos fallat, si forte educatione digna non sit, hæc opinio nostra, sed inanis & falsa. Quinto enim à nato infante die Amphidrome agebatur, qua manus expurgabant, quæ obstetricis munere fuerant perfunctæ: cursuq. ad focum ferebatur puer: mittebanturq. à propinquis polypodes, ac sepiæ loco munerum. His accedit, quòd in animantibus Quinque sunt Sensus, quibus animata ab inanimis maxime secernuntur, quod significare* De nat. animal. lib. 7. c. 4.

visus

Gen. 1. visus est propheta Moyses, cum animalium creationem factam die quinta dixit, ostendens nullam esse inter duo quæpiam tantam cognationem, quantam inter animalia, & Quinarium, inter animatum, & sensum.

Plato in Theæt. Quinque sunt enim organa sensus communis, eo quòd ad naturã, & numerum eorum, quæ sub sensum cadunt sentiendi sunt instrumenta. quandoquidem Tactus experitur et leuia, dura & mollia, quæ in solidis sunt qualitates, tum quidquid calidum est, ac frigidum; Gustus dulce, et amarum, ac salsum, & id genus alia, quæ in humidis reperiuntur & siccis; Olfactus quod male, quodq. bene olet, quæ in euaporationibus inueniuntur: Auditus sonituum, et fragorum est explorator, quæ circa aeris versantur collisionem: Visus denique colores diiudicat, qui in tenuissimo ac atheris lucidissimo spiritu sunt collocati. solidum siquidem effusum, humidum efficitur; humidum porro, vapor; vapor autem, aer; aer, æther et tenuis spiritus, perinde ac cathena quædam exsistit, quæ à terra, calo tenus adoleuit. Quinque etiam esse dicemus corporeos sensus, quoniam cuncta quæ cali ambitu continentur conflant Physici ex materia & forma: hæcq. duo dicunt cuiusuis rei totam esse substantiam, sed materia & forma Quinarium simul adimplent. materia enim quaternitas quædam est, et quattuor elementorũ, simplicissimorum mundi corporum, complexio. Forma vero vnitas quattuor elementis pacem imponens. Ex quo fit, vt Quinarius numerus sit metrum compositionis omnium sensibilium substantiarum. Quidquid enim cuiuis mixto inest, præter formam, de natura est alicuius elementi, formam vero non esse elementarem; sed cælestem imitari naturam, nullus ibit inficias. Quinque rursus, quod totidem sint, quibus visibilis mundus componitur. nam præter elementa quattuor, in quibus vniuersa versatur generatio, exstat & quinta quædam substantia, elementorum proprietates, virtutesq. quadam eminenti ratione complexa, quam cælum, vel quintam essentiam, seu substantiam, vel lucem, siue etiam atherem appellant, cui soli omnium corporum, non necessitate, non accidentis ratione, sed à natura datum est, vt circulo rotetur. Atque nobis assentitur Homerus, qui vniuersum in quinque mundos dipartitur, cælum inquam, aquam, aerem, terram, et olympum, ex quibus duos relinquit communes, terram scilicet vniuersi infimam, & olympum supremam partem. reliquos autem tres tribus Deis attribuit, Aegyptiorum scilicet secutus sacerdotes, qui Rheam vnico partu Quinque Deos peperisse fabulantur. Diuinus quoque Plato, quamuis aduer-

sus

sus eos prægnans, qui vel infinitos, vel plures numero mundos ponunt, vnum fateatur à Deo conditum mundum, pulcherrimas attamen, primasq. corporum species vniuersi distinctis partibus accommodans, quinque mundos facit, terræ vnum, alterum aquæ, alios aeris, & ignsi, extremum qui hos contineat. illis itidem se opponens, qui vnum esse vniuersum pronunciant, in Epinomide Quinque principia statuit, ens, idem, diuersum, motum, & quietem; quibus Quinque primas ac perfectißimas earum, quæ sunt in natura figuras pyramidem, cubum, octahedrum, icosahedrum, & dodecahedrum singulas singulis accommodauit in Timæo. Est autem Quietis signũ cubus ob facierum stabilitatem, quòd hæc figura sub sex quadratis angulis comprehendatur, terram exhibens, namq. omnium maxime immobilis terra. Pyramidis igneam vim, & ad Motus agilitatem quiuis in acumine laterum, vel facile cognoscet. comprehensa est. n. planis ab vno plano ad vnum signum constitutis. Dodecahedri natura, quæ apta est ad complectendum reliquas figuras, vtpote sub duodecim quinquangulis, æquiangulis, & æquilateris sibi inuicem æqualibus comprehensa, effigies Entis esse videtur vniuersa corpora comprehendentis. Octahedrum, quòd figura sit sub octo æquilateris triangulis sibi inuicem æqualibus comprehensa, Eiusdem ideo conuenit, aerem quasi vna in forma omnem substantiam continentem exhibens. Denique icosahedrum figura sub viginti æquilateris triangulis sibi inuicem æqualibus comprehensa Diuersi ideæ competit, aquam exhibens, quæ temperãdo plurimas qualitatis species recipit. Habent autem similitudinem quandam hæc quinque corpora ad exteriores sensus. Tactus quidem terræ rationem habere dignoscitur. est enim terrestre quippiam, & resistens. Gustus autem aquæ humectatione gustabilium percipit qualitatem. Aeris vero appulsus ictus, vnde nascitur sonus, aut vox, auditum perficit. Ignem quoque imitatur olfactus, nam & ex qualitate calida, odores proficiscuntur. At videndi ratio ex æthere contemperatur & lumine, sicut in moralibus edocet Plutarchus. Quòd si Philosophorum principem sequi voluerimus, obtutricem oculi facultatem aquæ conuenire dicemus; sensitiuam sonorum, aeri; odoratum, igni; tangendi facultatem, terræ; degustandi vim, tactus quandam speciem affirmabimus. Quinque demum esse sensus exteriores necesse fuit, nam & totidem sunt vniuersa genera substantiarum. Deus inquam, Angelus, Anima, Corpus, & Mundus. Aeternus & increatus Deus cunctis præstat creaturis. Angelus, vt simplicißimus primus

Arist. de sensu, & sens.

mus rerum omnium productus à Deo actus, secundum obtinet locum. Anima etiam, licet omnium sit vltima creaturarum, supremum tamen sensibilium, ac angelis proximum locum sortita fuit. Animæ proximum est corpus, quod illi inseruit, ac subditur. postremo loco positus est mundus, vt humani corporis circumstantia. Quo fit, vt iuxta totidem res obiectas animæ cognitiones sint distribuendæ. quoniam

Cognoscit Anima
- Mundum:
- Proprium corpus:
- Seipsam:
- Angelum:
- Deum.

Qua vi mundum intuetur, sensitiua, seu exterior sensus vocatur: qua proprium corpus, imaginatio, seu sensus interior appellatur: qua seipsam, ratio, vt quæ animæ propria est, nominatur: qua Angelus ille fit notus, intellectus dicitur: qua Deum licet contemplari, mens nuncupatur.

Animæ cognitiones
- Mens.
- Intellectus.
- Ratio.
- Imaginatio.
- Sensus.

Res obiectæ
- Deus.
- Angelus.
- Anima.
- Corpus.
- Mundus.

Porro hanc Quinariam animæ cognitionem natura in superficie corporis expressit humani, eamq. in totidem organa distribuit, spacio, gradu, loco in humano corpore separata, à quibus totidem peculiares sensus promanant, quos appellamus exteriores. Ex quinque enim, quas diximus, cognitionibus, duæ supra animam sunt; duæ infra animam; in anima vna. Quantoq. magis ab ea, quæ omnium humillima, & abiectissima est, ad altiorem & præstantiorem contendimus; tanto magis in interiora, & abditiora penetramus. Abditior est autem imaginatio sensu; imaginatione, ratio. intellectus, ratione penitior. mens cunctis interior, sibiq. maxime insita. Cum igitur in Quinque organa distribuantur sensus, tactus, licet toto sit in corpore fusus, verius tamen et peculiarius in manibus est locandus; gustus, in lingua; olfactus, in manibus; in oculis, visus; in auribus, auditus. Atque hic est ordo naturalis Quinque sensuum ab ignobiliore ad præstantissimum.

Sen-

Sensus	Imaginatio	Ratio	Intellectus	Mens
Tactus	Gustus	Olfactus	Visus	Auditus
Manus	Lingua	Nares	Oculi	Aures.

In sacris litteris ad quinque libros legis, & ad quinque sensus refertur hic numerus. sic Quinque lapides sumsit Dauid, sed vno occidit Goliam, quia in vno præcepto charitatis perficitur lex. Quinque designant Pentateuchum sensibilia scripturarum verba, quinque sensibus respondentia. sic quinque talenta in Euangelio possunt significare maiorem cognitionem scripturæ his qui sensus habent exercitatos ad bonum, malumue discernendum. Duplicantur autem cum quis ex creaturis, intelligit Creatorem; ex corporeis, corpore carentia; ex visibilibus, inuisibilia; ex breuibus, æterna. Quintam partem tradere sacerdoti, aut Domino rei, est illum sensum offerre Deo, per quem peccauit, ne amplius per ipsum peccet; vel offerre linguam confitendo peccata, & laudibus Deum prosequendo. Possumus etiam cum D. Hieronymo Quinque virgines sapientes, & Quinque stultas, quinque sensus interpretari, quorum alij festinant ad cælestia, et superna desiderant; alij mobilibus, et fluxis rebus bonis inhiantes, lumen veritatis, quo illuminentur, non habent. Quòd vero quinto anno fructibus nouæ arboris vesci licebat, designatur, post gratias Deo habitas & actas vtendum esse rebus per Quinque sensus ad intelligendum. Qui demum peccasset in Sanctis, tantundem reddere iubebatur, et ad illud quintas adijcere, quo symbolice declaretur, si quis de sacris, vel oblationibus, vel muneribus in vsum pauperum erogatis, aut pro templi ædificatione, vel alterius voti operis designatione datis, quinque interuertisset, oportere eum Quinque sarta tecta reddere, mox peccati veniam imploraturum, et alia quinque adijcere, aliquidq. insuper auctarij. Quam sententiam Cyrillus examinans, in hæc verba prorumpit: Si quis quinque sensuum opus perueterit, et debito, honestoq. vnumquemq. officio defraudauerit, oportet eum synceros illos & integros Deo restituere; mox alios quinque interiores adijcere, & horum omnium denique summam, et solidationem quandam superaddere, firmum. s. bene agendi propositum, si Deo satis ex asse facere voluerit. Huic quoq. spectare videtur, quòd ab vno mense ad quintum vsq. annum offeruntur sicli quinque, hoc est, vt Hesich. Hierosol. interpretatur, quinq. sensuũ perfectio, quæ ideo per geminatũ numerũ expri

Aug. lib. 50. homil. 31.

1. Reg. 17. 1. Cor. 14.

D. Hieronym. in Matt. 25. Orig. in Matth. lib. 33.

Leuit. 5. 6.

Leuit. 19.

Leuit. 27.

Leuit. 27.

mitur, vt intelligamus, ea quæ puer sensibiliter audit, videt, gustat, odoratur, & tangit, illa etiam conduplicet, dum ad intellectum ea accommodare fuerit institutus. Est & illa Quinarij numeri in philosophia, & in diuinis scriptis consideratio, quod expansione Cabalistica quindenarium continet. nam si quis vnum, duo, tria, quattuor, quinque, in vnum coniunxerit, quindecim reperiet. Sed & Quinque sensus, triplicem habentes collectionem, quindenarium procreant. ex eo quòd tactus quod tangendi substantia subiacet, tangit; gustus gustabile, gustat; & odoratus odorabile, odoratur; & visus visibile, videt; & auditus audibile audit. Hinc in Diuinis oraculis quindenarius pro Quinque sensibus aliquando positus inuenitur. Nam & arcam, quam humani corporis esse figuram Diuus testatur Ambrosius, quindecim cubitis super excelsos montes fuisse scribit Moyses, nimirum propter Quinque sensus, qui sunt in corpore nostro, velut excelsi montes, qui hanc carnem passionum obumbrant, & plerunque incursantur bestijs, et exagitantur condensa et opaca eorum. Vnde Dominus, per nationum credentium fidem, veniēs ad Ecclesiam suam, venit à Libano; sicut habet Canticum canticorum. Ac vt magis constet quanta sit Quinarij ad quindenarium societas, ex Quinarij partibus, vel facile perdisces. namque illarum compositione fit quindenarij trigonus. si enim ducatur 1. in 2. fit 2. qui ductus in 3. producit 6. & hic ductus 4. procreat 24. quòd si 24. per 5. ductitaueris, nascetur 120. trigonus ipsius quindenarij.

Gen. 7.

Cap. 4.

Aliam præterea Arithmetici Quinarij præstantiam animaduertunt. namque idem natura dicitur, quoniam sui multiplicatione semper in se redit. quod etiam Senario commune est. Quare circulares, ac Sphærici ab Arithmeticis appellantur. id enim circulare, Sphæricumue dicitur, quod quanto vis ambitu in seipsum redit, ac finem principio copulat. Porro sicuti natura triticum loco seminis accipiens, multas alterando eo, mutandoq. formas interim inducens, tandem triticum reddit, in fine totius mutationis principium restituens. Ita cum ceteri numeri in se se multiplicati, incremento facto in alios desinant, soli Quinarius, & Senarius in se ducti, seipsos semper ostendunt, respiciunt, ac conseruant. Auge seipso Quinarium, proueniet tetragonus 25. in idem latus desinens. Dein ducatur 5. in suum tetragonum 25. & fit cubus 125. in idem reuolutum latus. Ducatur item latus 5. in productum

cu-

cubum 125. & fit 625. qui in idem latus reuoluitur. Postea in 625. idem latus ducatur, proueniet 3125. in idem latus terminatum. Auge rursus seipso senarium, surget 36. qui quadratus est in idem latus reuolutus, in quem et ipse ductus gignit 216. cubum sphæricum. deinde in productum cubum ducatur senarius, & fiunt 1296. Si in immensum etiam Quinarius senariusq. suos ipsi multiplices augeant, nullius vsquam alijs quam suis radicibus ipsorum multiplicium ambitus finiri poterit. In tota igitur numerorum serie vnitate postposita, duo sunt spectabiles numeri circulares ac radices circularium numerorum, tanquam gemini omnium oculi et magna luminaria, Quinarius vt prior & impar, masculus, luminare maius dici potest; senarius vt posterior, et par, fœmina, luminare minus. impar numerus est actus & forma quædam: sed par potentia & materies. Quare in numeris vnicus reperitur actus, atque vna tantum potentia inuariabilis. Quemadmodum autem Quinarius & senarius nulla sui progressione extra se fiunt, nusquam diuersis finibus excipiũtur, in semetipsis quantumuis aucti redeunt; Ita eos dicimus æuo persimiles, cuius omnis finis est vt principium, et omne vltimum vt primum. est enim æuum semper idem: Sed Quinarius etiam præter hunc cum suo genere multiplicationis fructum, etiam cum alijs imparibus sociatus se semper ostendit, nã Quinquies terni decẽquinq;. et quinquies septeni triginta quinq;. Quinquies noueni quadraginta quinq;. si vero sibi ipsi fuerit adiectus denarium perfectum numerum gignit. idq. perpetuo durat. Qua in re imitatur hic numerus principium illud quod temperat vniuersum. sicut enim ait Heracletus eo sese conseruante ex se ipso mundum, ex mundo sese refici, igniq. omnium vicissitudines effici, ex quo omnia fiant, & in quem rediant omnia, quo scilicet modo ex auro fit pecunia, è pecunia aurum, sic Quinarij illa est natura, vt cum Quinario congressus nihil imperfectum, aut alienum procreare possit, sed aut sese, aut denarium, id est, vel suæ naturæ, vel perfectum numerum. Habet denique Quinarius in cælestibus diuidendi facultatem; nam & Aegyptij astrum pingere solebant, dum Quinarium numerum vellent significare. cum enim plura sint astra in cælo, ex eis quinque tantum mota Saturni scilicet, Iouis, Martis, Solis, & Lunæ, secundum quæ in quolibet signo Quintuplices sunt termini, totius mundi dispositionem conficiunt. Sed & cælum circulis describitur Quinque æquidistantibus, duobus videlicet polaribus, totidem solstitialibus, & horum medio æquinoctiali; Qui nomina sortiuntur vel a regione

cali, vt Arcticus et Antarcticus, vel a cauſsis, vt Tropicus æſtiualis, Tropicus hyemalis, ſiue hybernius, et Aequinoctialis; ſub hoc enim decurrente Sole fiunt æquinoctia; ſub illis ſolſtitia.

DE NVMERO VI.

D. Ambr. Epiſt. 39.

SEnarius Numerus, ſiue ſpectes myſticos ſenſus in ſacris voluminibus, ſiue quæ ab his ſcribantur, qui de numeris philoſophantur, vberrimam ſegetem ad contemplandum ſuppeditat. Moyſes enim diuino ſpiritu aſflatus admirabilem hanc rerum vniuerſitatem a ſummo Architecto Sex diebus exædificatam ſcribit, non quod Opifex Verbum Deique Filius, cui intra momentum ſuppetit facere, quæ velit, tempore indiguerit ad eam conſtituendam. Credendum eſt enim Deum vniuerſa ſimul dicto citius effeciſſe ſolo voluntatis nutu. Sed numero vſus eſt, quod ea quæ fiunt ordinem requirant; ordo autem numero continetur. namque ordo plurium rerum eſt; quæ vero plura ſunt, aliquem numerum habeant neceſſe eſt. Cum autem Omnipotenti Deo liberum eſſet vniuerſa ſimul ordinare, ſicut & creare, quod opificis finiti ſit ordinatio, infiniti creatio; oſtendit per ipſum quidem licere infinitum eſſe, ſed rebus ipſis haud concedi, vt ſummam perfectionem, quæ eſt Vnitas, aſſequerentur. Quamuis enim pro natura corporea perfectus ſit mundus, abſoluta tamen natura non eſt omnino perfectus, cum, propter materiam, informia patiatur, vel deformia; propter dimenſionem, virtutis ſubeat defectum, diuiſionemque expectet, ſi diuiſor acceſſerit; ob compoſitionem, diſſolutioni ſit obnoxius; ob partium repugnantiam, machinetur malum; propter motum, præ ſe ferat indigentiam, priuationemq. patiatur admixtam. Beneficus autem cum ſit Deus, non pro magnitudine ſuæ benignitatis, quæ immenſa eſt, ac infinita, ſed pro viribus accipientium beneficia confert. Non eſt vero mundus tam natura ſua ad accipiendum beneficium diſpoſitus; quam Deus ad conferendum. Namq; huius uires omnium præſtantiſsimæ ſunt. At illius infirmitas impar eſt eorum magnitudini, penituſq. ſuccumberet, niſi Deus apte, quod

cuiq.

cuique conueniat, viribus cuiusque metiretur. Argumento est Moyses Dei amicus, & mysteriorum interpres, qui, dum supplex Deum his verbis deprecaretur: Ostende mihi te ipsum, sibi dictum audiuit: Ardorem discendi probo, vt meretur. Ceterum quod petis neminem natum impetrare fas est. tibi tantum largiar quantum conuenit. Neque enim quidquid ego dare possum facile, id & homo potest accipere. Apostolus item: Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Non quòd ad mensuram spiritum, & gratiam tribuat Deus, cuius beneficentia nullis terminis circumscribitur; sed quòd iuxta mensuram vasculorum infundat liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur, accipere. Quare licet D. Lucas de Apostolis scriptū reliquerit, quòd repleti fuerint Spiritu sancto: hoc tamen secundum mensuram vasculi intelligendum est. Quomodo enim, verbi gratia, si dicere voluerimus: hæc vasa sunt plena vino, non statim æquali mensura sint plena, indicabimus, siquidem aliud sextarium, aliud amphoram capere potest: & tamen est secundum mensuram suam vtrunque completum. Ita fere mundus perfectus est. at perfectionis summam, quæ in vnitate consistit, assequi non potuit; sed ad secundum declinauit perfectionis gradum, qui in senario constitutus est, quòd hic lege naturæ generationi sit aptissimus. Numerorum enim, qui oriuntur ex vnitate, iste primus omnium perfectus est, quippe qui suis partibus æquetur, et ex eisdem plene expleatur, ex ternario nimirum, qui est illius dimidia pars, & ex binario, qui est tertia, & ex vnitate tandem, quæ est sexta. quæ partes omnes ductæ in summam, Senarium conficiunt. Pars autem in hac numerorum contemplatione illa est intelligenda, quæ aliquoties sumta, totum conficit, & quæ quota sit, dici potest; sicuti est dimidia, tertia, quarta, & deinceps ab aliquo numero denominata. Neque enim exempli gratia, quia in nouenario numero, quattuor est aliqua illius pars, ideo dici potest quota pars eius sit: unum autem dici potest quota pars sit, nam nona eius numeri est; sic tria, nam tertia pars eius sunt. coniunctæ vero istæ binæ ipsius partes, nona scilicet, & tertia, idest, vnum, & tria distant à tota summa eius, quæ nouem est. sunt enim quattuor. Itemq. in denario, quaternarius est aliqua pars eius, sed quota sit haudquaquam dici potest. vnum autem dici potest quota pars sit, quia illius est decima pars. habet & quintam denarius, quæ sunt duo: habet & dimidiam, quæ sunt quinque. Sed hæ tres partes eius decima, et quinta, et dimidia, idest, vnum, duo, quinque, simul

P E

Ephes. 4.

Act. 2.

mul ductæ, non complent decem. sunt enim octo. Duodenarij contra partes in summam ductæ, ipsum superant. habet siquidem hic numerus duodecimam, quod est vnum: habet & sextam, quæ sunt duo; & quartam, quæ sunt tria: habet tertiam, quæ sunt quattuor: habet et dimidiam, quæ sunt sex. sed huius partes maiorem summam colligunt, quam sit ipse duodenarius. Nam omnis hic cumulus, vnum, duo, tria, quattuor, & sex, redundat in sexdecim, maiorem vtique summam, quam sint duodecim.

Primus igitur omnium Senarium partibus suis in summam redactis perficitur. quare non incongrue generationi, nuptijsq. sacer dicitur, quòd eius partes simul collectæ, ipsum, vt diximus, gignant, similemq. reddant genitum genitori. Præterea cum mundus creaturarum omnium absolutißimus in seipso complexurus esset generationes è binaria copula, vt in se contineret, tum proseminantis masculi, tum feminæ gignendam speciem susceptura, necesse fuit ex hac copula Senarium componi perfectum numerum. Nam cum in rebus masculus censeatur numerus impar, sicut par femina, imparium autem principium sit ternarius, parium binarius: mascula, feminaq. natura Senarius præditus dicetur, cum ex ambarum viribus constet, ac vtriusque sexus admixtione conficiatur. Exstat Clementis Alexandrini hæc diserte scribentis Stromatum primo, de duobus mundis auctoritas: Vnde quidem mundum nouit barbarica Philosophia, qui percipitur intelligentia, alterum sensibilem; illum quidem archetypum; hanc imaginem eius qui dicitur exemplar: ac illum quidem attribuit Vnitati; hunc vero nempe sensilem Senario. Coniugium siquidem apud Pythagoricos vocatur Senarius, vt qui genitalis sit numerus. Idem alibi: Senarium, inquit, Genesi ac Nuptijs accommodare probant Pythagorici. Gomon nempe coniugium appellantes, quod ex vtriusque sexus mixtione conficiatur. Nam sicuti coniugium ex masculo generatur, & femina: pari modo Senarius ex impari quidem ternario, qui masculus est, ex pariq. binario, qui femina, procreatur. Clementi assentitur Martianus Capella hunc numerum tribuens Veneri, quæ iccirco forte mater Harmoniæ dicitur, quòd Senarius fuerit primus harmoniæ genitor. nam per primum motum, hoc est, binarium collatus, 12. facit, inter quos duos numeros duo medij inueniuntur, idest, 8. & 9.

Plutarc. de Oraculorum defect.

Euseb. de præp. Euang. allegat Clem. in 6.

Por-

Porro 12. ad 6. gignit dia paſon Symphoniam; 9. ad 6. gignit dia pente; 8. ad 6. dia teſſaron producit. Conſtat præterea Senarius ex proportione dupla, quam intra ſe proxime continet. ea eſt 4. ad 2. qui ſimul iuncti numeri Senarium conficiunt. quòd in ceteris numeris vix poterit reperiri, niſi in quibus ſeruata fuerit natura Senarij, vt ſunt duplus, triplus, quadruplus, aut quadratus eius, & ſimiles.

Eſt igitur Senarius reſultans ex dupla proportione, quæ dia paſon conficit omnium conſonantiſſimam. Quare ad huius viſibilis mundi fabricam nec conſonantior, nec perfectior reperiri numerus poterat, quam Senarius, in quo Summus Artifex Deus ſua perficeret opera. Neque enim Senarius ſacer, ac perfectus perhibetur, quòd hoc dierum numero condita ſint vniuerſa rerum ſpecies, vt opinatus fuerat Gulielmus Hamerus, ſecutus Gregorium Pontificem ſummum lib. 35. cap. 20. moral. ſed ea de cauſſa ſex diebus Deus opera ſua perfecit; quia Senarius perfectus eſt, ac ſacroſanctus. Itaque etiam ſi iſta non eſſent, ille perfectus eſſet. niſi autem ipſe perfectus eſſet, iſta ſecundum eum perfecta non fierent; quemadmodum ſentire viſus eſt Hugo, qui à Sancto Victore nominatur, cum libro de Sacramentis legis naturalis & ſcriptæ hunc in modum loquitur: Senarius, quia ex partibus ſuis conſtat, ſignum perfectionis eſt: & iccirco voluit Deus ſex diebus complere opera ſua, vt oſtenderet ſe in his quæ fecerat, nec ſuperuacaneum aliquid poſuiſſe, nec imperfectum reliquiſſe. Confirmat hoc ipſum Aurelius Auguſtinus aſſerens, Senarij perfectionem nobis à ſacris litteris commendatam in eo maxime, quod Deus ſex diebus perfecit opera ſua, & die ſexta fecit hominem ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam. Sicut igitur perfecto nihil deeſt: ita neque ordinationi, aut rebus ordinatis quidquam, aut addi tamquam diminuto, aut detrahi tamquam à ſuperabundante poteſt, non poteſtate quidem terminata, ſed ipſa rerum ſerie ſibi terminos præſcribente. id fuit, ac ſi dixiſſet, per Senarium illum eorum quæ creata ſunt, ordo melior, ac diſpoſitio non potuit aſſignari, aut eſſe. Quare die ſexta ſubdit Propheticus ſermo. Vidit Deus vniuerſa quæ fecerat, & erant valde bona: & factum eſt veſpere, et mane dies ſextus. Cum ergo audis ſex diebus conſtructum fuiſſe mundum, non intelligas de numero dierum tantum, ſed de perfectione vniuerſi, quæ

D.Th. quolib. 8. q. 1. art. 1.

De Trin. lib. 4. & in Gen. ad lit. lib. 4.

per

per Senarium perfectum numerum designatur. Vnde cum ad hunc absolutum numerum opus Dei peruenisset, dixit Diuini verbi Scriba: Perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Sic & Orphæus Mystarum princeps Hymnos iubet sexta generatione finiri, cum ait:

Gen. 2.

Aetate in sexta studium finite canendi

quòd de rebus creatis non vltra cani possit, cum ibi tota sit terminata perfectio. Non videtur hic prætermittenda fabricæ, maxime competens figura trigona, quam constituunt Senarij partes. Huius enim

basis est, . . .; summitas, . .; intermedium, . . .;

vt in obiecta figura facile patet. Vnitas, vt quæ impartibilis . . sit in se, à se, et circa se, Fabricatori Deo adscribitur. . . . Dualitas prima Monadis productio femina, mater elementorum, (nam de illa quattuor elementorum numerus procreatur) similis est materiæ primæ, ac generationi. Trinitas secunda monadis productio mascula, idealibus formis, vel compositis corporibus consequenter aptatur apud Martianum Capellam.

Vnitas	*Diuina virtus.*
Dualitas	*Generatio rerum.*
Trinitas	*Forma perfecta.*

Verum iuxta Auic. Essentia est Trinitas
Materia Dualitas
Forma Vnitas.

Essentia enim materiam rei propriam, & formam complectitur. Senarius igitur primus est dux perfectorum numerorum, primusq. numerus æqualitatis, qui seipso constet, suisq. partibus restituatur, neque ipsis maior, neque inferior, gaudetq. partium Trinitate, quibus restituitur. nam ter trinus esse comperitur; trinus quidem figura, nam quilibet perfectus is & trigonus est; trinus denominatione, quippe qui trigonorum tertius; trinus partibus, nam singulæ trigoni partes incipiunt à ternario. Ad hæc vniuersi molem circulari figura summus Conditor insigniuit. Hæc enim ex omnibus cælo maxime competit, quod quemadmodum capacissimum, simplicissimum, et perfectissimum esse oportebat; sic & capacissimam, & perfectissimam figuram sapientissimus Architectus elegit. Perfectissimum quidem est, cum sua omnia possideat, nec fieri possit, vt iacturam, vel minimam patiatur; simplicissimum, quoniam, vt sentiũt Platonici, non est ex quo fiat, aut in quod resoluatur, alioqui corruptionem,

Boet. arithmet. lib. 2. c. 6.

nem generationemq. cognoscere; Capacissimum, quoniam nihil extra se ipsum reliquit, sed vniuersa intus complexum est. At huiusmodi Sphæram esse indicio est, quod eandem ad cetera solida, quam & ad reliqua plana circulus habet comparationem. Primo quidem circularis figura est omnium isoperimetrarum Capacissima; adhæc Perfectissima, quod nullum incrementum, decrementumue suscipit; quin & Simplicissima, quod vna duntaxat linea continetur. est enim Circulus figura plana vna tantum linea contenta, quæ circumferentia nuncupatur, ad quam ab vno signo, quod centrum vocant, omnes rectæ lineæ prodeuntes inter se sunt æquales; sic et Sphæra figura est solida, una superficie comprehensa, ad quam ab vno signo, quo medium ab ipsa æqualiter abest, omnes rectæ lineæ ductæ sunt æquales. Ergo & Sphera Capacissima est; quia pro termino circulum sibi sumit. est Perfectissima, ubi instar recti corporis, nec crescit uspiam, nec decrescit. Quin et Simplicissima, nam vnica superficie concluditur. At quorsum hæc? Dicam. Orbicularem mundum senis decuit formari diebus. Si enim pingis in superficie circulum, huius semidiametrum reperies suæ totius circumferentiæ ambitum Senario permeare, seniue arcubus illum totum diducere. hinc enim factum est, vt Geometricus Hexagonus hoc vno ceteris figuris præstare merito censeatur, quod solus naturale, & per se cognitum latus obtinet in circulo. Hoc siquidem latus est ipsa semidiameter, quæ & circulum ipsum circinat. Circulus igitur mysterium promit Creationis vniuersorum, cuius Sex trianguli maiores æqualium laterum sunt diuini totius operis tempus ac mensura, causſam simul exprimens quare dies septima, dies est quietis, qua cessauit Deus ab operibus suis. Sed hoc apertius demonstrabit subiecta Geometrica rosa. Scribe in quauis superficie circulum. huic si circulos æquales sic circumscribas, vt et se mutuo, & hunc ipsum circulum medium contingant, circulum medium totum non amplius quam sex circumscripti circuli complebunt. Sit igitur circulus Q. cuius circumferentia semydiametri spacio in Sex æquales arcus diuidatur punctis A, E, M, V, S, R, & a centro circuli Q, ducantur per eadem puncta sex rectæ lineæ, quæ æquales inter se erunt, Sex isopleuros constituentes. demum super harum rectarum extremis Sex dicti æquales circuli circumscripti totum exterius spacium complent, circulo medio Q, æquales.

Sex

Sex isopleurici anguli totum circuli spacium implentes



Liquet omnino hos circulos nulla se sectione partiri, sed esse et medium circulum, & sese mutuo contingentes, ac totum spacium, quod circumstat Q circulum ambire. elicio igitur unitatem esse centri numerum; Senarium vero circumferentiæ; totius autem circuli numerum esse Septenarium. Quid vero hæc Geometrica rosa, visibilis septem æqualium sese contingentium circulorum figura nobis significet, indicabo. Vnitas illa per se ab æterno subsistens, velut in infinito se circumstante spacio, sex diebus seipsam ciens ac mouens, totum quod circa illam vacuum imaginamur spacium, varijs creaturis impleuit. Septima autem die in se ipsam reciproca nullam prorsus creaturâ protulit, quod plena perfectaq. esset omnis primæuæ illius, & antiquissimæ vnitatis circumstantia, nullusq. septimæ creaturæ locus superfuisset circa Diuinam vnitatem (ordinem & rerum seriem respicio, non potentiam Dei absolutam.) Sicut enim sextus demum circulus primi, medijq. circuli circumstantiam adimplet; pari modo sexta Creatura Diuinam impleuit circumstantiam, Diuinumque consummauit opus. Diuinam circumstantiam appello Creaturarum Vniuersitatem, & naturam hanc vniuersam dispositam circa Diuinam Vnitatem, illique intendentem, a qua primo id quod est accepit, & cuius Virtute continetur. Quo efficitur vt Senarium dicere valeas Diuinæ circumstantiæ, siue Creaturarum numerum, & præcipue Hominis, in quo complicatur

catur huius mundi tota perfectio, qui & huiusce regionis vniuersis entibus præest ; itemq. propter ipsum sunt illa omnia. Duo enim cum creati sint spiritus, primus per se subsistere natus sine corpore, quem dicimus Angelum; alter natus in corpore subsistere, humanus qui nuncupatur Spiritus: Angelus, vt per se potens, quia nullo ad subsistendum egebat, creatus est ab initio totus, et per se: Humanus vero non aliter subsistere, quam in corpore natus, creari post corpus debuit. Oportuit enim prius à Deo condi, excudi, & componi humanum corpus humani spiritus domicilium, quam humanum spiritum procreari. Namque & materies, ex qua corpus huiusmodi conflatur, humano spiritu creata est prior. Sed et humanum corpus haud aliter creari debebat, quàm post omnes sensibiles creaturas, quæ sunt ipsius materiei, & humani corporis particulæ. Omnis enim sensibilis, materialisue substantia est, vt quædam humani corporis pars. istud quippe conflatum est ex vniuersis, quæ sunt in Mundo, cum omnibus symbolum habens, cum omnibus operationem, cum omnibus conuersationem. adeoq; in seipso habet id totum quod in maiori Mundo continetur, vt nihil relictum sit, quod aliquo modo in ipso homine non reperiatur. sunt in ipso elementa per verissimas naturæ suæ proprietates. Est in ipso æthereum corpusculum animæ vehiculum, cælo proportione respondens. sunt in ipso plantarum vita vegetatiua; animalium sensus ; cælestis Spiritus ; angelica ratio; mensq. Diuina; & omnium horum simul in vnum confluentium vera coniunctio, & Diuina possessio. Quare in Euangelio, Homo vocatur omnis creatura; & à Philosophis alter Mundus. Nec solum Homo alter Mundus effectus, ipsius partes omnes in se complectitur, sed etiam ipsum Deum concipit, et continet. Inde Xistus Pythagoræus Hominis animum dixit esse templum Dei. quod etiam multo lucidius expressit D. Paulus dicens: Templum Dei estis vos. Idemq. varijs locis sacræ litteræ testantur. Nam sicut Deus nec tangi potest, nec auribus percipi, nec oculis videri; sic animus Hominis nec cerni, nec audiri, nec tangi potest. Ac sicut Deus ipse infinitus est, & à nullo compelli potest; ita et humanus animus liber est, & nec cogi, nec mensurari potest. Tum vt Deus totum hunc mundum, & quidquid in eo est, sola mente gerit ; sic illum humanus animus etiam cogitatione complectitur. atque, quod soli illi cum Deo peculiare est, vt Deus mundum totum solo nutu mouet ac gubernat ; sic animus nutu solo corpus suum

Mar. 16.

1. Cor. 3.
2. Cor. 6.

agit

agit, atque regit. Et sicut Deus vniuersa cognoscit; sic etiam Homo cuncta cognoscibilia cognoscere potest, cum pro obiecto adæquato ens in communi, vel vt alij dicunt, ipsum verum habeat. Nec aliquid in Homine reperitur, non vlla dispositio, in qua Diuinitatis aliquid non appareat, nec quidquam est in Deo, quod ipsum etiam in Homine non repræsentetur. Et quicunque seipsum cognouerit, cognoscet in seipso omnia: cognoscet in primis Deum, ad cuius imaginem factus est: cognoscet mundum, cuius simulacrum gerit: cognoscet vniuersas creaturas, cum quibus symbolum habet. Illud tamen pium lectorem non lateat, licet Homo cuncta in se contineat, quæ in Deo sunt; Deus tamen per eminentiam quandam omnia continet virtute sua, & simpliciter, sicut omnium causſa, & principium: Homini autem virtutem dedit, vt similiter vniuersa contineret, sed actu & compositione quadam, velut omnium nexus vinculum, atque nodus. Adhuc homo cum sit opus ex materia præstantissima, vt custodiatur, & seruetur, indiget omnibus quæ sunt in mundo, propter quem sunt singula, & qui vniuersis huius regionis rebus præsidet. Hinc quia prius erat construenda aula regia, atque ita rex introducendus omni iam caterua stipatus, postremus Homo creatur, Dei manu, atque imagine formatus; extremum quidem Artificis opus, & consummatio. Quare in ipsa diei sextæ præfiguratione formatus legitur, vt ipsius perfectio designetur. Incipiens enim Artifex Deus ab Angelico intellectu, atque immateriali Creatura, & per materiam, & materiales substantias progrediens, Hominem statuit supremum Creaturarum, suiq. totius operis periodum. Quo fit, vt Diuina operatio, quæ est vniuersorum Creatio, facta sit in circulo. Deus enim creando inchoauit ab intellectu Angelico, & desiit in Humano, coniungens totius sui operis finem initio. Diuini autem operis principium Angelus est, finis Homo.

Hic est enim Creaturarum ordo, quo ab Artifice profecta sunt, Angelus, Elementum, Minerale, Vegetabile, Sensibile, Rationale.

Con-

Coniuncti sunt igitur a Deo, et proximi loco facti Angelus, et Homo processit et enim Deus ab Angelo ad Elementum; a perfectis, ad imperfecta.



Vt vero ab elementis per myxta ad Hominem; ab imperfectis ad perfecta. Sexto igitur die, id est, gradu Hominem perfecto omni intellectuali ac sensibili ornatu e terra consummauit. Ideo finis Creationis est Homo, & Senarius est radix vestigandi Humani numeri, quem, qui sit, sacer hic sermo pronunciat: Hic est sapientia, qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. numerus enim eius numerus hominis est, & numerus eius 666. Trino igitur trium primarum vnitatum Senario numerus idem bestiæ, atque hominis diffinitur Sexcentorum scilicet Sexaginta sex. Hac autem arte humanum numerum ex Senaria radice elicies. Volue Senarium in seipsum; habebis 36, Senarij quadratum. hunc numerum auctum vnitate, id est, effectum 37. multiplica per numerum 18. qui est medietas quadrati, conflabitur num. 666. qui trigonus est tricesimus sextus. Hunc Senarium numerum quandam temporis præse ferre figuram, etiam in illa ratione tripartitæ distributionis agnoscimus, qua vnum tempus computamus ante legem; alium sub lege; tertium, sub gratia. In quo tempore sacramentum renouationis accepimus, vt in fine temporis etiam resurrectione carnis, omni ex parte renouati ab vniuersa non solum animæ, verum etiam infirmitate corporis sanemur. Vnde intelligitur illa mulier in typo Ecclesiæ a Domino sanata, & creata, quam curuauerat infirmitas alligante Sathana. Hæc

Apoc. 13.

Luc. 13

R te

autem mulier decem & octo annos habebat in infirmitate, quod est ter senos. Menses autem annorum decem, et octo inueniuntur in cubo Senarij, quod est Sexies seni sexies, id est, ducentum decem sex. Sed & iuxta est in eodem Euangelij loco arbor illa ficulnea, cuius miseram sterilitatem etiam tertius annus arguebat, quo mensium numero Senarij quadratus est constitutus, nam per duodenarium ductus ternarius triginta sex producit. Annus etiam vnus, si duodecim menses integri considerentur, quos triginta dies complent, Senario numero perficitur. Talem quippe mensem veteres obseruarunt, quem. circuitus Lunaris ostendit. Distinxerunt quippe Zodiacum in tercentum sexaginta æquales partes, iustas huius dissectionis caussas a Lunæ, & Solis in motu foedere nacti. Docuit enim experientia obseruationis Lunæ hanc annuo spacio, quo Sol totum signiferum eundo conficit, duodecies cum Sole, vel iungi, vel opponi. & quidem inter coniunctiones, vel oppositiones singulas triginta dies intercedere. Quare hoc exemplo moniti, Zodiacum primo in duodecim dodecatemoria, & hæc rursus in triginta gradus distinxerunt, vt multiplicatio loquatur totum Zodiacum non ex duodecim tantum signis, sed ex tercentum sexaginta gradibus constare. Porro quod valent Sex in primo ordine numerorum, qui constat ex vnitatibus, vt perueniatur ad decem: hoc valent sexaginta in secundo ordine, qui constat ex denis, vt deueniatur ad centum. Sexagenarius ergo numerus dierum Sexta pars anni est. Quare per Senarium primi versus multiplicantur, tamquam Senarius secundi versus, & fiunt Sexies Sexageni, trecenti & sexaginta dies, qui sunt integri duodecim menses. Verum quoniam sicut mensem circuitus Lunæ ostendit hominibus; sic annus circuitu Solis animaduersus est. Vt igitur Sol impleat cursum suum, annumque concludat, desunt quinque dies, & horæ fere sex, quas si pro die ponas, vt a parte totum computetur, aperte totum sex faciunt. Sed & ipsosmet dies quinque, & quadrantem si consideremus, Senarius numerus in eis plurimum valet, quia in ipsis quinque diebus Sexta pars est mensis: ipse autem quadrans Sex horas habet. primus enim quadratus, in primum perfectum ductitatus, horas diei noctisque dimetitur, nam quater seni

24. faciunt. Ita in Mundi constructione, in anni cursu, in mense, & in die Senarius numerus plurimum valet. Etiam in adificatione Dominici corporis, in cuius figura templum à Iudæis destructum triduo se resuscitaturum dicebat nnmerus ipse Senarius mystice positus intelligitur.

Dixerunt enim Iudæi: Quadraginta & sex annis adificatum est templum. Porro quadragies sexies seni, fiunt ducenti septuaginta sex, qui dierum numerus complet nouem menses, & sex dies, quibus in vtero Mariæ virginis clausus est Christus. ab octauo enim Kalen. Aprilis, quando passus est Dominus, nam et tunc etiam creditur fuisse conceptus, vsque in diem octauum Kal. Ianuarij, quo natus est, computati dies, ducenti septuaginta & sex reperiuntur, qui Senarium numerum quadragies sexies habent; non quòd parientes feminæ ad sextum diem post nonum mensem perueniant semper: sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur. Formatur siquidem humanus partus quadraginta quinque diebus. qui per Senarium ducti, procreant dies 270. nouem scilicet menses, quibus gestatur in vtero partus. Aliquando etiam formatur fetus diebus 35. qui numerus per sex ductitatus parit dierum numerum, qui septem mensibus explicatur. Iohan. 2.

Sunt huius numeri alia mysteria discutienda. quia enim sex diebus mundum legimus consummatum, Senarius est continens sacramentum omnium Creaturarum, per quorum notitiam, causasq. condicionis, atque rationem intramus ad templum Dei, & ex Creaturarum ordine, atque constantia Creatorem cognoscimus, vt prædixit Ezechiel, apud quem ex vtraque parte latitudo tabernaculi senum cubitorum erat. Cap. 41.

Sex diebus gloria Domini inclinauit super monte Sinai, cooperiens illum nube, quo significaretur huius vitæ tempus. Exho. 24.

Sex de Cherubin tempus seculi demonstrant. Esa. 6.

Sextus mensis, in quo factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, non habet solemnitates Dei, sicut mensis septimus; sed vicinus est dierum sex, in quibus factus est Mundus, in quo laboratur; & in sudore faciei comeditur panis; & terra generat nobis tribulos, & spinas; & cum sementem acceperit tritici, lolio magis, auenisq. fecunda est. Sextus ergo mensis labori deputatur. Sex tribulationes apud S. Iob, sunt huius vitæ passiones. Septima vero, in qua malum non tangit iustos, erit post D. Hieronym. in Agg. 1. Cap. 5.

hanc vitam, quando iusti venient ad requiem sabbati. sic seruus Hebræus sex annis seruit Domino suo. Exho. 21.

Sex annis seminanda terra. Leuit. 25.

Sex dies sunt, quibus licet operari. Leuit. 23.

Sex diebus colligendum manna: & sexta die duplum legendũ. Exho. 16.

Et quid hæc aliud sunt, quam quòd nos conuenit hoc labentis æui curriculo Domino nostro inseruire, illi fructum afferre, talenta nobis data multiplicare, eaq. cum fœnore reddere? vt cum venerit coram illo fideles habeamur. Neque enim aliud est vita præsentis seculi, quàm negotiationis tempus, eo vsque, ne panis spiritualis doctrinæ, morum, & spiritualis sanctitatis sit negligendus. Christi & Beatorum exemplo illa nostra debet esse negotiatio, vt imitatione, exemplo, doctrina, sumant incrementum quæ in nobis sunt, quo sic referamus fœnus. atque ea ex parte secundum semen diuini verbi, bonorum operum, neque sa-

Cap. 14. *lutis posthabenda opera. Ante obitum tuum, inquit Ecclesiasticus, operare iustitiam; quoniam non est apud inferos inuenire cibum. sic nobis operandum bonum ad omnes, & non ad amicos modo, quod et*

Matth. 5. *Ethnici faciunt, & vt cælestis hominum Magister iubet, benefacimus his qui oderunt nos. Et quia in perfectione Senarij facienda sunt opera, quo postea frui valeamus æterna requie, subiungit: Vt simus filij patris nostri, qui in cælis est, qui Solem oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Estote, inquit, perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est.*

Nec omittendum, quòd sex diebus circumeundam vrbem Hiericho

Ios. 5. *cum Arca Domini, & clangentibus tubis exprimit Iosue, quod præmonstrat fore operæpretium, vt toto nostræ mortalitatis tempore sancta Ecclesia denarijs, & sacramentis armemur, quo videlicet antiquum hostem huius mundi principem exterminemus. Restat adhuc*

August. de Trin. lib. 4. c. 4. *aliud sacratius declarandum. Sexta ætate Deus hunc venit visere mundum factus homo, qui etiam sexta hora, ætate perfecta, iuxta pu-*

Iohan. 4. *teum sedens fatigatus, mulieri Samaritanæ diuini fontis fluenta aperire dignatus est. Quod mysterium D. August. exponens: Iam, inquit, incipiunt mysteria. Non enim frustra hora sexta sedet. quare hora sexta? Quia ætate seculi sexta. Ea quippe nunc ætas agitur, siue milleni anni singulis distribuantur ætatibus; siue in Diuinis litteris memo-*

ra-

rabiles, atque insignes, quasi articulos temporum vestigemus, vt prima ætas inueniatur ab Adam propter creationem mundi; secunda à Nohe propter cataclysmum vsque ad Abraham. Et deinceps sicut Matthæus Euangelista distinxit, ab Abraham propter circunciſionem vsque ad Dauid. Quarta ab ipso Dauid ob regalem vnctionem, vsque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta à transmigratione Babylonis propter reparationem, & reductionem. Sexta, quæ nunc agitur, ab humili aduentu Domini Nostri Iesu Christi, propter liberationem generis humani, vsque ad occultum temporis finem. Lege Iohannis Apocalypsim, vbi Manasses, qui non filius Iahacob, sed nepos erat, licet inter filios adoptatus, sexto loco ponitur, cum Dan, qui vtique filius est, & siue in Genesi, siue in Exhodo cum ceteris fratribus adnumeratus ostenditur, in Apocalypsi omnino prætermittitur, Ecclesiam declarans ex Gentibus adoptatam, sexta mundi ætate Iudæorum perfidia reprobari. Sexto mense annunciante Archangelo beata virgo Maria, hausto Diuino spiritu, Redemtorem nostrum concapit, vt sacra refert Euangelij lectio. Adsunt etiam, qui velint illum feria sexta natum, & feria sexta ieiunium quadraginta dierum terminasse. Ante sex dies Paschæ venit Christus. Bethaniam, & feria sexta, hora sexta in Crucem agi pro hominum salute decreuit. Qui enim die sexta creatus est homo, eum hora sexta peccasse, & paradiso pulsum fuisse Hugo à S. Victore his verbis tradit: In eadem hora Christus Redemtor noster mori voluit pro homine, in qua homo expulsus est de paradiso: & in eadem hominem per lignum redimere placuit, qua eum per lignum hostis deceperat, ars vt artem falleret, & medelam ferret inde hostis vnde læserat. Hæc itaque supputatio, & hominis initium, & absolutionem peccatorum aptißime continet. Inde & Dauid in sexto Psalmo personam pœnitentis accommodauit. Et in Apocalypsi sexto sigillo aperto, nouißima nunciatur persecutio. Quia tenebris, & pauore concuti visus est Mundus in paßione Domini. Quod vero vnus Euangelistarum Christum cruci affixum hora tertia dixerit, non effectu, sed lingua debet intelligi, vt habetur de pœniten. dist. 1. periculose. & glo. de consec. dist. prima, nocte sancta. ver. crucifixus. Nec à mysterio vacat, quòd in Dominica paßione non dicitur meridies, sed hora notatur sexta, cum vtique sexta hora, non aliud quàm meridianum tempus ostendat. Nullus tamen meridiem nominauit, sed ita dixit Matthæus: Ab hora sexta te-

Cap. 12.
Primas. in Apoc.
Gen. 41.
Gen. 30.
Cap. 1.
Cap. 7.
Luc. 1.
Iohan. 12.
In Spec. Ecc.
Beda in Apoc.
Mar. 15.

Cap.23. nebræ factæ sunt super terram, vsque in horam nonam. Lucas vero:
Cap.15. Erat iam quasi hora sexta. Sed & Marcus: Cum autem esset facta hora sexta, tenebræ factæ sunt. In conuiuio autem Patriarcharum apud
Gen.43. Ioseph, & in Cantico Canticorum tempus id non significatum est nomi-
Cap.1. ne sexti numeri, sed meridiei. Euangelistæ vero, in his quæ narrabant, non meridianum tempus, sed horæ sextæ numerum requirebant, ad enarrandum scilicet sacrificium hostiæ eius, quæ oblata est in die Paschæ pro redemtione hominis, qui in die sexta à Deo formatus est. Vnde Senarius dicitur redemtionis numerus; illiq. cum cruce magna cognatio. Sexta hora Petro in excessu mentis fit vocatio Gentium omnium per submissionem vasis Euangelici delati cælitus: & purificatio omnigenum animantium in eodem consistentium, delata ad eum voce diuinitus
Act.10. reuelatur, dicente sibi: Surge Petre, occide, et manduca.

DE NVMERO VII.

SEPTENARIVS mirificam præ se fert naturam, quia iuxta rationem quandam, qui intra denarium sunt numeri, aut gignunt eos, qui sunt intra denarium, aut gignuntur ab eis, aut vtrunque sunt. solus Septenarius nec gignit vllum eorum, nec à quoquam gignitur. Vnitas enim gignit omnes sequentes numeros, ipsa à nullo genita. octo à bis quattuor gignuntur, sed nullum gignunt & his qui sunt intra denarium. Quattuor item eundem locum inter genitores & prognatos obtinet. repetitus enim hic numerus octo gignit, ipse autem numerus quattuor gignitur à repetito binario. Soli igitur Septenario nec gignere natura dedit, nec gigni. Quare Philosophi hunc numerum duci & rectori omnium assimilant. nam quod neque procreat neque procreatur, immobile manet, procreatio enim in motu est. quandoquidem & quod procreatur non vacat motu, mouetur etenim alterum, vt gignat, alterum vt gignatur: solus autem nec mouet, nec mouetur antiquus ille Princeps, & auctor, cuius imago Septenarius merito dici potest. Atque huius rei testis est Philolaus inter Pythagoræos haud ignobilis, hunc in modum scribens: Est dux & Princeps omnium vnus Deus sempiternus stabilis, motu vacans ipse sibi similis, ab alijs diuersus.

Qui-

Quibus similia scribit Boetius libro tertio de consolatione ita de Deo canens:

------ Qui tempus ab æuo
Ire iubes, stabilisq; manens das cuncta moueri.

Adeo autem Septenario inoleuit opinio virginitatis, vt Pallas etiam nominetur. Sacris enim initiati Pythagorici semper virgini sine matre nata Minerua, Septenarium assimilant, quia & illa nec partu est edita, sed ex Iouis orta capite. Dicit enim Oraculum, quòd quiescere fecit Deus septimum diem ab operibus suis, quæ fecit, quemadmodum ipsum quoque sabbati nomen indicat, quòd si interpreteris quietem sonat. De quo hæc scribit Philo Alexandrinus: Illud vnum solum sincerum esse hebdomadam sine matre ex seipso solo genuit, nulla prorsus adhibita materia. Idem alibi de sanctificatione sabbati. Tertia lex est de semper virgine sine matre nata hebdomada, vt creatura assueta eius ocio reminiscatur eius qui cuncta facit inuisibiliter. Quid vero de illo sabbato scribat Nic. Cusa. lib. 3. excitat. audiamus: Homo est sexta dies, seu microcosmus: Deus in verbo omnia creauit, verbum autem est, vt ars infinita: creatura autem participationes artis infinitæ: ars autem illa verbum, seu mens æterna est lux infinita, siue sapientia. Quomodo autem lucem illam æternam participando omnia creata in esse gradatim prodierint, Moyses describit, & quomodo vltimo, idest sexto die hominem ad imaginem suam. Hominem autem sursum creauit ad se, qui nonnisi in die septimo, seu sabbato quiescit. Sabbatum autem est lux, quæ non legitur creata, sed Deus benedixit diei septimo, vnde solum in hac luce increata, quæ sabbatum dicitur, & quies hominis, & non est hominis lux benedicta, nisi in sabbato. Idem alibi: Septima, inquit, petitio Dominicæ orationis est ista: Sed libera nos à malo. Quia septimus numerus est quietis, et amoto omni malo, quisque in bono quiescit. Hactenus Cusa. Te vero non lateat per sabbatismum mortem animarum intelligi, hoc est, eam ab operibus mundanis cessationẽ, quam homini vita functo mors affert. tum enim anima sabbatum agũt, quietem ab omni motu nacta, nec vllam omnino agitationem habentes post summi illius boni, quod ante exquirebatur manifestationem, qua quærentibus perspicuum fit id quod quæsitum est. nam cum id quod quærebatur apparuit, motus omnium eorum quæ mouebantur, conquiescit. Quærens Origenes, cur de manna dictum est, vt in die Lib. 6.

Ho. 8. in Exho.

sexto

Exho.16. *sexto duplum colligatur in repositione, quantum sufficiat etiam sabbato, sic ait: Hoc secundum nostram intelligentiam non ociosi præterire debemus, sextus dies est hæc, in qua nunc sumus vita. in sex enim diebus Dominus*

Gen.1. *fecit hunc mundum. hac ergo die tantum reponere, & recondere debemus, quantũ sufficiat, & in futuro die. si quid enim hic boni operis acquiras: si quid iustitiæ, misericordiæ, & pietatis recondas, hoc tibi in futuro seculo cibus erit. Ad hunc sabbatismum spectat, quòd post se-*

D.Aug. in Ciui. lib.15. & contra Faustum lib.12. c.17. Gen.7. Cap.8.9.10. *ptem dies, ex quo ingressus est Nohe in arcam, factum est diluuium. quia in spe futuræ quietis, quæ septima die significata est, baptizamur. sic in Apocalypsi septem tubæ recensentur, quarum sex priores seculi præsentis*

D.Ambr. de sacramen. lib.2. *ætatibus comparantur, varios bellorum concursus denuntiantes Ecclesiæ militanti. Septima vero sabbati æterni nuncia, victoriam tantum & imperium indicat veri regis, dicente septimo Angelo, factum esse regnum huius mundi Domini Dei, & Christi eius. Huc facit quod de iusto scri-*

Cap.5. *bit sanctus Iob: In sex tribulationibus visitabit te, et in septima non tanget te malum. Quæ verba quasi ex persona Dei ad iustum proferuntur. Sexies quippe, hoc est, in præsenti vita, in qua tentationes, atque operum labores exsistunt, tentaberis quidem, atque in necessitatibus, & rerum difficultatibus versaberis; verum his superior futurus es, manus enim mea tibi feret opem. At in septima, in qua beatus iustorum sabbatismus est, & requies, nullius molestiæ recordatio animum tuum anget. Porro sicuti sex diebus formatus legitur mundus, & in septimo die Deus Opt. Max. ab aspectabilis creaturæ opificio requieuit; ita in septimo seculo requies iustis erit, postquam cum multis afflictionibus conflictati fuerint,*

D.August.lib.2. ad Ianuar. *illos liberante Deo. Mystice igitur sabbatum commendatum est priori populo in ocio corporaliter celebrandum, vt figura esset sanctificationis in requie Spiritus sancti. Nusquam enim legimus in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, nisi de solo sabbato, de quo dictum est: San-*

Gen.1.2. Beda cap.21. in Iohãnem. *ctificauit Deus diem septimum. At cum septimo die sonet sanctificatio, apposite Sancto Spiritui deputatur septenarij ratio. nam sanctificatio vlla non est diuina et vera, nisi à Spiritu sancto. Neque enim frustra dic-*

1.Pet.1. *tus est Spiritus sanctus, cum sit et Pater sanctus, et Filius sanctus; sed quia ipse requiescit super humilem et quietum, tamquam in sabbato suo. Probat D.Iohannes in sua Apocalypsi Septenario numero Spiritus san-*

Cap.1. *cti gratiam designari, cum enim se vidisse diceret agnum habentem cornua septem, & oculos septem, mox exponendo subiunxit: Qui sunt*

septem

ſeptem ſpiritus Dei miſsi in vniuerſam terram, cum tamen ſit vnus, atque idem ſpiritus diuidens propria vnicuique prout vult. ſed operatio ſeptenaria vnius ſpiritus ſic appellata eſt ab eodem ſpiritu, qui ſcribenti adfuit, vt ſeptem ſpiritus dicerentur. Explicauit hoc illuſtrius Eſaias propheta, cum de naſcituro Domino in carne verba faciens: Requieſcet, inquit, ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, et intellectus, ſpiritus conſilij et fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis: & replebit eum ſpiritu timoris Domini. Illud etiam referri poteſt quod Heptas, Cap. 11.

Indiuiſa manet, partes quia reſpuit æquas:
Vnanimes quoque reddit eos, quos ſpiritus implet:
Vel quia ſeptenis diſcurrunt ſecla diebus
Spiritus omnigena monſtratur dote replere.

Quoniam ergo ſanctificatus eſt Septenarius in operibus ac donis Spiritus ſancti, in quo ſanitas hominibus credentibus conſtat, quia in Sancto ſpiritu, qui eſt donum Dei, remiſsio eſt omnium peccatorum credentibus. Ideo filius Reguli apud Iohannem relictus eſt à febre hora ſeptima. Cap. 4. 4. Reg. 4. *Et Heliſeus ſuper mortuum ſepties oſcitat, quia Dominus ſeptiformem ſpiritum humano generi dat, per quod viuificatus à morte peccatorum reſurgat. In qua etiam figura Chriſtus poſt reſurrectionem cum ſeptem Diſcipulis epulatur. ac ſeptem fratres ad Cornelium Spiritu ſancto baptizandum euangelizaturi veniunt. Filij quoque Sceuæ, quaſi ſpiritus malos expulſuri Septenario numero cenſentur. Iſti ſunt ſeptem crines Samſonis, quibus per Dalilam, ideſt, Diabolum ſubtractis, receſsit ab eo ſpiritus, et amiſſa fortitudine, captus, & à Philiſtæis eſt incarceratus, & ligatus. quia tunc à dæmonibus excæcatur, quando ſeptem crinibus, ideſt, ſeptem donis Spiritus viduatur. Et ideo iſta dona figurantur in illo candelabro, de quo dicitur Zachar. cap. 4. Ecce candelabrum aureum totum, et ſeptem lucernæ eius ſuper illud. Iuſtus enim dicitur candelabrum, quia portat ignem charitatis. Aureus dicitur, quia continet honeſtatis ſplendorem. Dicitur habere ſeptem lucernas, quia ſeptemplicem habet ſpiritum virtutis. quare dictum eſt Num. cap. 8. Cum poſueritis ſeptem lucernas, candelabrum in parte auſtrali erigatur. Sed et apud Leuit. fit aſperſio ſanguinis ſepties. fit aſperſio olei contra Dominum ſepties, vt expulſis ſeptem dæmonibus recipiantur dona Spiritus ſancti. Septem denique ſportæ apud Matthæum quid aliud præ ſe ferunt, quam dona Spiritus ſancti exuberantia ſuper ſeptem panes, qui ſunt ſumma ſpiritualium* Iohan. 21. Act. 11. Act. 19. Iudic. 16. Cap. 4. 8. 14. 16 Cap. 15.

per-

perfectio? vnde non dicuntur hordeacei. D. Ambr. epist. 39. Hæc hebdomas sicut ipsa Patris & Filij, & Spiritus sancti venerabilis Trinitas, sine tempore, sine ordine, auctor numeri, non sub numeri lege deuincta. Itaque sicut ad æternæ Trinitatis gratiam, cælum, terra, maria formata, sicut Sol, Luna, & Stellæ; ita etiam ad illum septenarium virtutum spiritalium circuitum, atque orbem, operationis diuinæ vigore præstantem, Septenarium quoddam ministerium stellarum creatum aduertimus, quo mundus hic regitur. Vrsa enim quæ fita est in vertice axis cælestis numquam occidens nobis, Septemtrio latine nomen accepit, quòd septem in eo fulgur stellarum irradiet, in quem maxime gubernatores, quasi ducem intendere feruntur, commerciorum consocietatis, hospitalitatisq. hominum caussa præcipua. sic Vergiliarum, siue Pleiadum chorus ex septem absolutus est stellis, quarum emersus & occultationes magnorum commodorum omnibus fiunt caussa. Illis enim occidentibus proscinduntur sulci ad sementem; ortu vero earum instante latum futuræ messis affertur nuncius: exortæ item agricolas gestientes ad comportationem excitant rerum necessariarum. sed & erraticarum cohors aduersum fixis cursum tenens, septem distinguitur ordinibus, maximum præ se ferens affectum erga terram, & aera. Hinc & septenario decorantur, quorum est maxima potentia primogeniti Angelorum principes, seu cælestes intelligentiæ orbes post Deum gubernantes, de quibus hunc in modum scribit Conciliator Medicorum: Septem planetis spiritus septem à principie cæli, & terræ, quorum quisque mundum annis gubernat trecentis quinquaginta quattuor, mensibus ex ordine quaternis. Horum primus est Horiphiel Saturni spiritus: secundus Mundi gubernator Anael spiritus Veneris: tertius Zachariel Iouis spiritus: quartus Raphael Mercurij spiritus: quintus Samael Martis: sextus est Gabriel spiritus Lunæ: septimus Michael Solis spiritus. In Lunam rursum declarat Septenarius suam magnam, latissimeq. patentem vim natam ad profectum omnium terrestrium. Nam, vt tradidit Seleucus mathematicus, Luna mutat figuram septies, quia ex obscura, et non apparente fit cornuta; deinde dimidia sui parte cæsa; dein concaua, ac gibbosa & plena; & rursus occidendo concaua, et gibbosa, et similiter sui dimidia parte cæsa et cornuta Lunula. Certis etiam Lunæ recursibus intimatur septenarij dignitas. Is nempe numerus ex vnitate et ceteris deinceps compositus gignit 28. perfectum numerum suis adæquatum partibus aliquotis. nam si ab vno vsque

Carolus Bouill.

Cle. Alex. Str. 1.

septem

Septem, quantum singuli exprimunt numeri, tantum antecedentibus addendo procedas, inuenies trigonum viginti octo nasci ex Septenario, qui sic natus numerus aptus est ad restituendam Lunam in id momentum ex quo primum cœpit sensibiliter crescere, & ad quod decrescendo recurrere solet. Ea crescit a prima lunata facie vsque dimidiatam diebus Septem; moxque totidem alijs ad plenum orbem proficit, dein rursus a meta per eandem viam a pleno orbe ad dimidiatum alijs Septenis diebus recurrit, totidemque ad lunatam faciem, quibus deinceps additis conficitur modo dictus numerus vigintioctо. Hinc & viginti octo mansiones Lunæ singulari virtute, & influentia pollentes in cælestibus numerantur. In mari quoque easdem vices inducit Septenarius Luna accedente recedenteque. Licet enim de fluxu maris ac refluxu multiplex quæstio fieri soleat, nec in obscuro sit diuersa pro ingenijs differentium potius quam pro veritatis fide adducta fuisse: omissa tamen ancipiti concurrentium quæstione Theodosius Macrobius adducetur in medium, qui libro de Somno Scipionis maris accessum & recessum Lunæ motu gubernari tradit, ita vt Oceanus primo nascentis Lunæ die fiat solito copiosior, minuatur paulisper secundo, minoremque videat eum tertius, quam secundus, & ita decrescendo ad diem Septimum perueniat; dein octauus dies maneat septimo par, & nonus similis sexto fiat, decimus quinto, vndecimus fiat quarto par, tertio quoque duodecimus, & secundo similis fiat decimustertius, quartusdecimus, primo. Tertia vero hebdomas eadem faciat, quæ prima; & quarta quæ secunda. Beda libro de mundi constitutione: Augetur (inquit) mare secundum Lunæ incrementum & decrementum. Nam incipiente illa crescere, crescit mare per dies Septem, & per totidem proximos decrescit, rursus per sequentes Septem recrescit vsque ad vigesimum primum diem, & inde decrescit vsque ad vigesimum octauum diem. Hinc Au. Gellius Oceanum vocat Lunæ comitem quendam vt qui cum ea crescat decrescat q. His similia scribit Paullus Orosius, diceus: Forma Oceani maris omni die dispar nunc succiduis per Septem dies attollitur incrementis, nunc consequentibus totidem diebus naturali damno, et defectu interiore subducitur. Illud tamen obiter notandum augeri fluxum maris in fine mensis, quia tunc Luna magis deficit, & si Luna misceatur humidæ stellæ, vel humi-

Pompon. Mela situ orbis li. 3. cap. 1.

Paul. Orosius tib. 6. cap. 12.

dam

dam occupauerit mansionem ; contra minui, si Martem, vel aliam igneæ naturæ stellam debite aspexerit. Hic quoque referendum videtur quod de natura cuiusdam fluminis inter Arceam et Raphaneam Syriæ vrbes recitat Iosephus, qui cum pleno deferatur alueo per integrum sabbathum, mox ceu obturatis fontibus deficiens, per sex dies integros siccum alnei sui transitum præbet, rursusq. Septimo die, ignotis naturæ caussis, ad priorem redit aquarum abundantiam. Quamobrem incolæ illum Sabbathæum nuncuparunt, ob sacrum Iudæis Septimum diem. Neq; minori dignum admiratione quod scribit Bartholus de Saxoferrato tractatu de Alueo, Nursiæ scilicet esse flumen quoddam, cui nomen Turbido, quod Septem annis fluit, & Septem annis occultatur. Hac ipse Zodiacus Septenarij dignitate fuit orbatus nam cum sint quattuor cardines cæli diametraliter sese continentes, qui quidem aspectus plenissimus, & potentissimus habetur, Septenario constat: fit enim a Septimo signo, crucemq; constituit figuram omnium potentissimam. Simili ratione, & numero solstitium distat a bruma; bruma a solstitio; æquinoctium ab æquinoctio. Sol enim diei dux bina quotannis efficiens æquinoctia vere, atque autumno, vernum in Ariete, in Libra autumnale, euidentissimam exhibet probationem diuinæ maiestatis in Septenario, quod vtrumque Septimo mense fiat. Non solum autem summus Artifex cælos ornauit Septenario, sed quem suas etiam esse delitias voluit, hominem dico, ita moderatus est, vt intima corporis extimaque constare voluerit Septenario. amque Septem ferunt in nobis esse interiora viscera, stomachum, cor, pulmonem, lienem, hæpar, renes & vesicam; Septemquoque exteriora, caput, posteriora, ventrem, binas manus, & binos pedes. Quemadmodum & Septem corporis partes hominem perficiunt, caput tenusimo collo, pectus, venter, manus, & pedes. Septem item in corpore gradus, qui dimensionem altitudinis ab immo ad superficiem complent, videlicet medulla, os, neruus, vena, arteria, caro, cutis. Septem apud Macrobium sunt intra hominem, quæ a Græcis nigra membra vocantur, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duos. Et Septem alia cum venis & meatibus, quæ singulis adiacent, ad cibum & spiritus reciprocationem destinata, guttur, stomachus, aluus, vesica, & intestina principalium tria dissipium, messenteron, & ira. Septem corporis nostri sunt excretiones, scilicet, lacryma, mucus, saliua, semen genitale, excrementum siccum, & excrementum humidum, sudorq. totius corporis.

Libr. 1. in Som. Sci.

In

In mulieribus menstrua purgationes vsque in diem septimum protendi possunt. Quæ diuiduntur non nisi septem compagibus iuncta sunt, vt in manibus est humerus, brachium, cubitus, vola, & digitorum nodi terni. Ceruix siue collum medium inter humeros & caput, septem habet nodos siue vertebras. Item quod regnum obtinet in animante caput, maxime necessarijs instrumentis septem vtitur geminis oculis, auribusque, & totidem naribus, septimoque ore, per quod mortalia, vt ait Plato, intrant, exeunt immortalia. Item quæ per visum præstantißimum omnium sensuum iudicantur, ad eundem numerum pertinent in genere. septem enim sunt quæ conspiciuntur, corpus, distantia, figura, magnitudo, color, motus, status, præterea nihil. Septemquoque colorum species. duo enim sunt extremi, niger, & albus tamquam aliorum parentes; & quinque medij, croceus scilicet, cæruleus, viridis, purpureus, puniceus, naturam participantes extremorum. Sunt & saporum genera totidem, amarus, austerus, salsus, acutus, dulcis, acerbus. Vocis etiam mutationes vniuersæ cadunt in septenarium, acuta, grauis, circumflexa, quarto loco vox aspera, quinto lenis, sexto longa, breuis septimo. Quin & motus septem esse animaduertuntur, sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsumque, prorsum, retrorsumque, & in orbum septimus.

Auicen. doct. 5. fen. primę par.

Venæquoque, et arteriæ, vt tradunt Medici, numero mouentur septenario. Sed et de spiritu, & cibo constat, quòd sine haustu spiritus vltra horas septem fere vita non durat. Tum quibus inedia mori constitutum est, post septimum diem non viuunt, aut ægre. Ad septimum quidem diem corporis quodam habitu naturali, sine cibo vixisse aliquando quendam memoriæ a Iouiano Pontano proditum est. inquit enim libro 2. de sermone: Sub Ferdinando Neapolitanorum Rege agebat Caietæ in Coenobio Gerardus quidam, qui septimum in diem cibo abstinere consueuisset ac potu: indeque sanctus habebatur, ac Deo charus. Venerabatur illum populus, vtque eum adorarent, frequentes ad eum finitimis conueniebant ex opidis. Misit ad eam rem perspiciendam Ferdinandus Marsum Aquosam, & perspicacem, et abunde expertum virum, cuius & fides esset quàm perspectißima. Is dies, noctesque cum illo septem eodem simul in cubiculo cum egisset, summa cum vigilantia

S et

& cura, comperit tandem, & capitis illum, et stomachi pituita laborare, nimiaque humectatione. quo e vicio appetendi cibi vis illa consopita iaceret, ac pœne exstincta, esseque siue ieiunium illud, siue abstinentiam ad morbum malumque corporis habitum referendum. Quòd si alibi de nonnullis legitur, vltra septem dies produci potuisse ieiunium, id certe non aliqua naturæ caussa, sed diuinitus factum esse videtur. natura enim longiori quàm septena inedia conficitur, cum fomes, subtracto cibo, calori naturali & humido radicali desit, quæ duo nter se commista, efficiunt vt viuat animal. Quare quod de nonnullorum monachorum ieiunio scribit Gregorius Nazianzenus, qui sæpe totos viginti dies totidemque noctes à cibo abstinere soliti dimidia ex parte Christi ieiunium imitantes, miraculo est adscribendum. Nam de Moyse & Elia, qui quadraginta dies ieiunarunt, neminem esse puto, qui id diuina effectum virtute ignoret. Idem de illo, quem recitat Iohannes Boccacius, dicendum videtur. qui suo tempore hominem Venetijs fuisse refert, in singulos annos per quadraginta dies absque vllo cibo agentem ieiunium. Sic de animalibus septimo refert Albertus magnus fuisse feminam, quæ sine cibo dies quandoque 20. transmiserit; sæpe verò et 30. Virum quoque melancholicum se vidisse testatur, qui sine cibo septem hebdomadis perseuerauerit, alternis tantum diebus aquam exsorbentem. Etiam sub Clemente Pontifice cuius nominis septimo vir Scotus iuuenis, cum sponte se obtulisset, diebus vndecim in custodia habitus absque cibo, alioquin assuetus vsque ad 20. dies, et vsque ad 30. in eadem inedia perseuerare, miraculi premium accepit. Sed quid dicam de frate Nicolao Scritz natione Heluetio, quem in solitudine 22. annos, nempe quousque vita excesit, nihil omnino degustasse constat, nisi semel iubente Episcopo Constantiensi, tres panis particulas comeditur. certè portento simile videri debent hæc & alia id generis exempla omnes naturæ vires excedentia, cum, vt præmisimus, vsque ad septem dies inedia naturæ consentiat.

Ad homines etiam nascendos vis pertinet septenarij, quia cum in aluo mulieris genitale semen receptum est, si per horas septem absque effusione permanserit, hæsisse in vitam certum est. tum primis septem diebus conglobatur, & coagulatur ad capiendam figu-

ram

ram factum idoneum. Quarta dein hebdomada quod eius virile fectus futurum est, caput et spina quæ est in dorso informatur. Septima hebdomada, iuxta sententiam Empedoclis, totus in vtero absoluitur homo, ad rationalem se aptans animam, quòd hic sit Septenarius in quadratum dilatatus. In decima hebdomada conceptus mouetur ad partum, septimum explicans mensem. felices enim septimestrium partus æque ac nouimestrium, qui hebdomada mouentur decima tertia. Septima post partum hora manifestum aut vitæ aut mortis argumentum affert. Vltra hunc enim numerum, qui halitum aeris sustinuerit, intelligitur natus ad vitam. Per hebdomadas etiamnum incrementi infantilis, adolescendique corporis rerum naturæ peritiratione concipiunt. Post dies enim septem vmbilici reliquias reijcit. quare prisci Romani ante diem à natiuitate septimum, nomen non imponebãt infanti, veluti prius non videretur omnino vitalis. Post bis septem incipit ad lumen illius visus moueri. Post septies septem libere iam pupillas totamque faciem vertit ad motus singulos circa videnda. Post septem menses incipiunt dentes maxillis emergere. Septem quoque ex vtraque parte dentes gigni compertum. Post bis septem sedet absque timore casus. Post ter septem sonus eius in verba prorumpit. Post quater septem, non solum firmiter stat, sed incedit. Post quinquies septem incipit lac nutricis abhorrescere. Hæc de mensibus. Anno septimo cadunt primi dentes, & nascuntur alij ad cibum solidum aptiores, ac perinde absoluitur integritas loquendi et ratio, nempe quando iam idoneus est interpres vsitatorum nominum ac verborum, rationalem sibi comparans habitudinem. Sequenti septennio ad summam perfectionem dicitur peruenire, nimirum ad potentiam progignendi sui similem, quod accidit circiter ætatis annum decimumquartum. tunc enim pubescit, & moueri vis incipit generationis. Tunc etiam pubescentes hircissant pueri, quòd tum humana natura, dissocians corpora, multam ac repentinam mutationem efficiat ætatis. Inde Aegyptij quarto decimo anno circuncidunt mares, & feminæ apud eos circuncidi feruntur eodẽ anno, quod ab eo tempore feminarum menstrua & purgationes, quæ in septimum vsque diem protenduntur, exordia sumant. Tertio Septennio incrementi finis est. Inde & quilibet Christianus eo natu ex præcepto ad ieiunium tenetur ecclesiæ, quod adusq; pri-

Plutar. lib. Rom. quæst. nu. 202.

Alexan. Aphod. probl. sec. 7.

D. Amb. de phraham li. 2. c. 11.

Plin. naturalis hist. lib. 11. c. 36. D. Pro. 2. 2. q. 147.

mum supra vigesimum annum proceritas hominis augeatur, quod sane tempus a multis maturitas ætatis appellari solet. Nobis attestante Nicolao Cusano, dicente virilitatem exire tertio septennio, quòd incremento in longitudinem coronida impingat. Summus etiam humani corporis crescendi modus est septem pedum. Statura Dominici corporis ad palmos prorsus septem protendebatur. De cuius etiam monumento, qui de Hierosolymis venerunt, ferunt, quòd domus fuerit rotunda de subiacente rupe excisa, tantæ altitudinis, vt intro consistens homo vix manu extenta culmen attingere posit, quæ habet introitum ab oriente, cuius lapis magnus aduolutus atque impositus est, In cuius monumenti parte aquilonari sepulcrum ipsum hoc est, locus dominici corporis de eadem petra factus est septem habens pedes longitudinis. Quarta annorum hebdomas impleta in latum crescere vltra iam prohibet. In quinta roboris summa fit auctio. Sexta vires seruat ante collectas, nec diminutionem nisi ex accidenti patitur euenire. Septima diminutionem quidem virium, sed perfectum intellectus et rationis incrementum habet. Quare soliti sunt Milites ea ætate rude donari, et consilijs rebusque publicis adhiberi. Atque hanc ob rationem fortasse Horatius ad Mecoenatem scribens, se liberari a labore postulat ob ætatem iam donandum rude. nam qui vndenos Decembres quater iam, vt ipse de se dicit, expleuerat, per septimam hebdomadem deferri iam occeperat. Octauo mox septenario perfectionem & in intellectu, & in ratione videre est, qualis maior in vnoquoque iam sperari debeat. In nona hebdomada ad casum deducitur, qui annus est sexagesimus tertius, fatalis quidem, grauiaque semper hominibus indicans pericula. Verum cum ad decades septenas deuenerimus, vbi Septenarius per numerum completum conducitur, tunc habemus communem viuendi metam. Quibus vero datum est videre vndecimam hebdomadam, annum dico septuagesimam septimum, his labor & dolor. Atque huic meo sermoni testimonium perhibent Physici metam viuendi signantes cum decas iungitur perfecto numero Hepta, id est, aut decies septem, aut septies decem computantur anni, quod humanæ vitæ perfectum spacium si quis excesserit, ab omni officio vacuus suum omnem in suadendo tantum habebit vsum: attestante Platone, qui septuagenarios à ciuilibus negotijs in otium remittit his verbis: Custos legum non plus quàm annos viginti hunc habeat

Nic. excit. lib. 3. Alleluia dies.

Niceph. call. hist. eccl. lib. 11. c. 40. Sepulchri Domini forma ex Beda

Psal. 89.

lib. de legibus 6.

beat magistratum, nec pauciores natus quàm quinquaginta eum gerat. Ac si quis sexagesimum ætatis annum agens magistratum hunc nactus est, solum præsit decennium, hac vtique ratione, vt qui septuagesimum annum excesserit, tantum magistratum non teneat. Accedit & Zenodotus in collectaneis suis Aeschilum citans, qui huiusmodi ferme tradiderit in opere de paroemijs, Gentem scribit esse quandam Chartaginiensium coloniam; ei morem esse senes septuagesimum prætergressos annum Saturno sacrificare. Quod de Caspijsquoque memoriæ proditum est. nam filij parentes septuagenarios domi clausos, aut in loca inculta & deserta, intimasque solitudines expositos, vel fame enectos, siti et inopia conficere, celebre funus putarunt. Hunc ætatis nostræ septenarium Solon Athenienſium legislator his elegiacis graphice descripsit. Stabo Geographiæ lib. 11.

Primis septem annis niueos puer edere dentes
Cœptat, dum tener est, membraque pube carent.
Quando alios septem Deus illi adiunxerit annos.
Puberis hinc æui signa recluſa patent.
Barba genas decorat cum tertia creuerit ætas,
Mutaturque rubens flore cadente color.
Quarta dabit vires, cum uir sit factus, & almæ
Virtutis ſpecimen præbeat ipse ſuę.
Adde alios totidem festinans ocius ętas.
Coniugio monuit quærere progeniem. Plato delegib. li. 4 & 6.
Sexta ætas animo si quid deest, addet, eaque
Discęs quid deceat, quid quoque dedeceat.
Septima si octauę iungatur, linguaque mensque.
Consilio hæc solers, illa loquendo viget.
Nona ætas languet, tum frigida membra retardant
Virtutem non vnquam interituram animi.
At decimi si quis cursum confecerit ęui;
Tunc maturus erit mortis adire loca.

Hunc in modum Solon humanam vitam dispensat apud Clementem Alex. At Hippocrates medicus per septem ætatum cursus vitam nostrã vsq; ad senectutem transcurri scriptis explicuit suis. Prima ætas infantia est, secũda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuuẽtus, quinta uirilis ætas, Clemẽs strom. 6

sexta, qua maturitas; septima, senectus. sic autem dicit: Infans est usque ad annos septem dum emittit dētes; Puer, ad quattuor decim, dum semen in eo crescere incipit, ad geminatum scilicet septenarium; Adolescens, usque ad uigesimum primum, idest, ad annum ter septimum, dum barba pubescit lanugo; Iuuenis, usque ad trigesimumquintum, dum totius corporis augescunt uires, quod est ad quinquies septimum; Vir, usque undequinquagesimum, nempe ad septies septem; Veteranus, ad quinquaginta sex, idest, ad septies octo. Senex quod inde reliquum est temporis obtinet. Quare inuenias humanam uitam rationem significari per lyram, in qua septem chordas, seu discrimina uocum celebrari cōperit antiquitas. Nam & magnus Basilius per citharam corpus interpretatur. quod.n. Psal. 57. legitur: Exurge psalterium et cithara, per psalterium, animā; per citharā, corpus intelligit, quod ita pluribus esse locis acceptum Euthymius obseruauit. Hinc cū Phrynis musicus præstantissimus duas septem fidibus lyræ addidisset, eas recidit bipenni Emerepis Lacedemonius Ephorus, cum asseret nouem neruis omnē concentum deprauari. Lyram enim cuius primus usus apud Thebas fuit, uel cuius opera unius, ut uolunt alij; Thebæ ipsæ constructæ fuerūt, cum lapides ipsi per se ad harmoniam Amphionis, & Orphei in mania, & domos exstruerentur, uolunt septem tantum fidibus constasse, uel ad Thebarum portas, qua septem fuerunt, representandas.

Basilius. Psal. 57.

Plutar. lib. nono sympoſiacon.

Aloysius Luisinus de competēdis animi affectibus li. 2. c. 4

Ad ea quæ diximus pertinent ueterum instituta. qui erudientes suos in Philosophia liberos, per septennia illorum ætatem distribuebant. In primo enim septennio pueros ita alimentis exercitationibusque educabant, ut eorum corpora non solum studijs, uerum et omnibus uitæ actionibus idonea redderentur; in secundo, prima eos philosophiæ parte, quàm ut instrumentum dicere possumus, imbuebant, logica scilicet, quæ grammatica, dialectica, rhetorica, poetica, historicaque nominibus continetur; tertio septennio, quod erat ab annis 14. ad 21. ad secundam Philosophiæ partem Mathematicam nuncupatam ipsos prouehebant, id est, ad geometriam, arithmeticam, musicam, astrologiam: quartum deinceps quod erat ab annis altero & uigesimo, ad uigesimum octauum, libris dicabant naturalis Philosophiæ, quorum alij principia rerum naturalium concernunt, ut qui de Physica auscultatione, deque Anima inscribuntur; alij res naturales ipsas, ut qui de Generatione & Corruptione, de Animalibus, de Plantis, de Metallis, ac Meteoris; nonnulli quædam respiciunt res naturale consequentia, qualia sunt locus, tempus, motus, de quibus

agitur

agitur in libris Physicis : quinto septennio , quod ab anno uigesimo octauo ad trigesimumquintum pertinebat, ad moralem Philosophiam traducebant , ea ratione arbitror quod hominem uiderent in eo septennio plus habentem doctrinæ , plusq. experientiæ , magis exinde posse passionibus ac perturbationibus animi resistere. Reliquum vero quod supererat vitæ totũ id homo speculatiuis, moralibusque instructus et ueluti ex ignorantiæ tenebris ereptus , uitiorumque labe purgatus animum à terra sublatum ad altiorem doctrinam , utpote Metaphysicam erigebat , dum illum speculationibus rerum incorporearum ac immortalium, quales sunt omnes separatæ substantiæ cæleſtes occuparet . Supereſt ut in agritudinibus ostẽdatur Septenarij uis, quæ tanta nimirum est, ut nullam prorsus Lunæ, aut Solis, uel cæterarum stellarum potestatem suspicari ualeamus. Acuti enim corporum morbi , præsertim cum ex mala temperatura in febres continuas incidimus , septimo ferme die iudicantur . Hic enim in tali de uita certamine alijs salutem , alijs mortem decernit. Et Auicenna vt acutas septimo die , ita diuturnas septimo mense , septimo anno , quarto decimo , vicesimo primo, vt plurimum terminari contendit . Ita enim natura comparatum est, vt per dies impares acuti morbi moueantur ; qui uero diuturniores , per pares . Lunaris vero rationis nec uerbũ quidem fecit Hippocrates , sed ordinem hunc ad numeros naturæ mire gratos retulit . Quod sensit & Galenus qui ternos conscripsit libros de Diebus criticis, in quibus septenarij numeri potentiam ostendens, ardentissimas febres dicit solui die septimo: aut, si tanta humoris noxij & pituitæ fuerit magnitudo, ut primæ hebdomadis nequaquam feruore consumta sit , secundæ hebdomadis vltimus expectetur dies , qui est quartus decimus . qui Hippoc. 2. aphoris. est terminus acutorum simpliciter morborum . Quòd si hoc in tempore sanitatem consequi haud datum fuerit, transitur ad diem vigesimam primam, hoc est, ad finem tertiæ hebdomadis . His calculum suum adhibet Censorinus astruens post septimum quemque annum articulos quosdam pati, & in ipsis noui quid naturam ostendere . Licet et ista confirmari auctoritate Marsilij Ficini nobilis Platonici, septimum annum multa metiri docentis , per annos quidem mutationes in vita, per dies autem mutationes in morbis maiores, per horas vero minores tum in bonum , tum in malum . Quin & Physionomum singulis humanæ ætatis Septenarijs, valetudinis argumenta perspicere ac etiam morum , quemadmodum septimo quoque die in agrotantibus

Mar. in Plat. de cret. L. 8.

Marſ. in Plotinũ enneade 2. lib. 3. c. 4.

tibus noua potißimum indicia captari: ita ſeptimo quoque anno quædam accidentia & lineamenta nouæ figuræ, nouos colores & geſtus nobis ſuboriri. Addemus hic mirabile de ſeptenario experimentum, quod filia quæque ſeptima nata, modo nullus interceſſerit partus, vi vt puto numeri ſeptenarij, miro modo partum adiuuare traditur. Similiter Maſculus omnis ſeptimus abſque femella intermedia natus, vim habere dicitur curandi ſtrumas, ſeu ſcrofulas ſolo tactu, vel verbo. Nec attenditur hic numerus naturalis, ſed formalis ratio, quæ eſt in numero. actumque id fuiſſe perhibent. Ecce quod tam diu Chirurgum fatigauit, quod pharmaco curare non potuit, nec ferro, nec cauſtico conſumere, cuique nulla videbatur prodeſſe medicina, ui numeri ſeptenarij curatum, perſanatumque apparuit quandoque. Ecce quod caret ſenſu, quod vita, quod materia, quod ſucco aut aliqua qualitate: plenum tamẽ vi medica, plenum energia abdita viſum eſt. Atque hanc ſimilem virtutem in dextera Gallorum Regum videmus, qua ſtruma affecti liberantur. Refert etiam Plutarchus Pyrrhi pollicẽ dextri pedis vim quãdam diuinam habuiſſe, vt eo preſsi exſplene laborantes curarentur; eũ præterea ardere non potuiſſe reliquo corpore cremato. Cernitur in ſeptenario alia ſpecies & forma, quæ eſt ad cogitandum diuiniſsima, quia dicitur numerus rationalis fabricæ.

Quattuor atque tribus ſeptem conſtare videmus.
Quattuor ex totidem corpus compactum elementis
Tres animam ſignant triplici ratione cluentem.
Aſt animæ coniunctum corpus format Homonem.
Quattuor ergo tribus Hominem coeuntia reddunt:
Sed tria de ſuperis manantia, quattuor imis.

Ex dictis partibus conſtans ſeptenarius habet aliam maximam excellentiam, quia Artificis inuiſibilis, et viſibilis materiæ primarias ſubſtantias exprimere diſtingueque videtur; vt ternarius Creatorem ob Trinitatem enunciet; et quatternarius creaturam propter quattuor elementa, quæ rerum omnium cauſſæ ſunt & ſemina, ſub huius numeri breuitate concludat. Spiritus Sanctus procedens à Patre & Filio, quatternario ſuperfertur, et Conditor benignus ſuum amplectitur opus. & diligit quod plaſmauit, et creaturam ſuam ſanctus ipſe ſantificat, ac ſibi conſociat, & charitatis nexu ſtatuit & conquadrat. Adhuc ſeptenarius id quod in rebus ſecundum naturam rectum eſt, quodque flecti nequit, indicat, quod quomodo fiat declarandum videtur. Triangulus rectis conſtan-

Quatuor mundi elementa ac Trinitas horum fabricatrix.

ſtans angulis, quod eſt qualitatum principium, ex his numeris 3, 4, et 5' conficitur. tria verò & quatuor, quæ ſunt materia ſeu eſſentia ſeptenarij, rectum faciunt angulum. Nam obtuſus & acutus inæqualitatem, confuſionem, & imparitatem præſeferunt. alius enim alio obtuſior eſt, vel acutior. at rectus nullam recipit comparationem, neque alius cum alio collatus rectior dicitur, neque ſuam aliquando naturàm commutat, ſed in ſimili eademque ratione manet. Quòd ſi triangulus rectis angulis conſtans principium figurarum ſit & qualitatum, & hic à ternario quaternarioque procedit, Septenarius qui ab his enaſcitur, cuiuſque figuræ poteſt & qualitatis fons reuera putari. Huc accedit & illud, quòd ternarius, vt antea demonſtrauimus, planæ figuræ numerus eſt, quandoquidem iuxta vnitatem eſt punctum, in binario linea, ſuperficies in ternario numero conſtituitur. Quaternarius ad ſolidum corpus pertinet per acceſsionem vnitatis, accedente ad ſuperficiem altitudine. Quo perſpicuum fit eſſentiam Septenarij & geometriæ, et dimenſionis, quæ cernitur in ſolido, ac vt ſummatim dicam, rerum tum corporearum, ſolitum corpore vacantium principium eſſe. Habet igitur quodlibet corpus actiuũ tres dimenſiones, lõgitudinem dico, latitudinem, & altitudinem, ſiue profunditatem; quatuor item extremitates, punctum, lineam, ſuperficiem, et ſolidum, ex quorum compoſitione naſcitur Septenarius. Impoſsibile autem erat corpora ſeptenario metiri, iuxta illam e tribus dimenſionibus ſuiſque finibus compoſitionem, niſi primorum numerorum ideas, videlicet vnius, duorum, trium, quatuor, in quibus ratione cabaliſtica denarius fundatur, Septenarij naturam in ſe complecti contigiſſet. Nam modo dicti numeri quattuor habent terminos, et interualla tria, ſiue tres dimenſiones; primam nempe ab vno, ad duo; ſecundam, à duobus ad tria; poſtremam, à tribus ad quattuor. Quare non immeritò à proprietatis vocabulorum ſtudioſis abſolutorius nuncupatur numerus Septenarius, cum eo abſoluantur, & perficiantur vniuerſa, qui geminam vinciendi vim tenet. ipſius enim partes vincula prima ſortitæ ſunt, ternarius ſcilicet cum vnà medietate, quaternarius cum duabus. Tot igitur uirtutibus inſignitus Septenarius, quas uel de partibus mutuatur, vel etiam totus exercet, iure plenus & habetur et dicitur. Nam & huiuſmodi partes Septenarij ad eum ferme ſenſum interpretari debent, vt plenitudinem quandam ſacri myſterij ſignificent tam in diuinis litteris, quàm apud Poetas. Homerus, quẽ nulla præterijſſe videtur doctrina, oĩbus numeris beatos ſignificauit, de quibus hæc cecinit. Odyſſ. E. 306.

Quod

Quod est ex Virgiliana tralatione.

Act. 1. O terque quaterque beati, qui tunc oppetiere,

Quemadmodum & de seipso dicit Tibullus:

O mihi felicem terque quaterque diem.

Ouidius etiam libro fastorum primo:

Ter quater euolui signantes tempore fastos,
Nec sementinæ est vlla reperta dies

Hoc vero cum multis pateat diuinæ scripturæ oraculis, tum præclarissime illud ostendit Tobiæ testimonium: Dicatur benedictio super vxorem, & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum vsque in tertiam & quartam generationem. In Exhodo rursus & alibi Deus reddit peccata patrum in filios in tertiam et quartam generationem quia peccatum originale à parentibus trahimus, et nisi per gratiam baptismatis soluamur, etiam parentum peccata portamus, quia vnum cum illis sumus. Eo referendum quod recitatur 1. q. 1. cito turpem, §. denique, Moabitæ non intrabunt in Ecclesiam Dei vsque in tertiam et quartam generationem, quia. Septenarius per hos numeros intelligitur esse perfectus, voluit oraculum vniuersitatem significare, & huius numeri vniuersitatis caussam intimare, non ipsum potius Septenarium ponens. Vnde Augustino auctore esse & illud propheticum creditur: In tribus & quattuor impietatibus non aduersabor. per quod voluit potius vniuersas impietates quàm tres, vel quattuor intelligi. Sæpe etiam Septenarius, iuxta auctoritatem diuinarum scripturarum designat quod perfectum est. Nam de remissione peccatorum percunctanti Petro, quoties inquam condonare deberet fratri, qui in illum peccasset, & post quotam culpam repelli deberet a venia, num usque septies? Respondit Dominus: Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies, hoc est, resipiscenti in infinitum offensam condonabis. Neque enim hoc numero terminus circumscribitur veniæ, verum semper per eum condonandam esse proximo noxam, & quoties peccatum confessus fuerit ac resipuerit, illi ignoscendum esse mandatur. Quamuis autem Dominus alludere videatur ad locum Geneseos, vbi Deus comminatur ei qui occiderit (ain pœnam septuplam, Lamech autem daturum pœnas septuagies septies: non eodem tamen cardine hoc voluitur ostium. cum non idem sit iudicium in remittenda offensa æque in animaduertendis et vlciscendis flagitijs. punit enim misericors Deus citra condignum: parcit & remunerat vltra condignum. illud quod perfectum est designat,

Cap. 9. Hugo Victorius de Sacramentis fide lib. 1. parte 7038. Exho. 20. 34. Deuter. 5. Greg. Rom.

In Ciuit. D. lib. 11, c. 31. & lib. quæst. Deuter. nu. 42.

Matth. 15. Luc. 17.

Hug. de verbis Domini. ser. 15.

Cap. 4.

hoc

hoc quod finem habet. Adhuc Anna mater Samuelis in suo Cantico ita loquens inducitur: Quia sterilis peperit septem, & quæ multa erat in filijs infirmata est. Historia porro talis est. Anna & Pheenna cum Elcana matrimonio iunctæ erant, ac Pheenna cum Elcana matrimonio iunctæ erant, ac Pheenna quidem liberos edebat, Anna autē nequaquam pariebat, verum solutis tandem per orationem sterilitatis vinculis, Prophetam illum eximium Samuelem procreauit, qui matri suæ instar septem, hoc est, numerosæ sobolis loco fuit. Imperfecta autem in liberis Pheenna dicitur, quæ multos filios habebat. Hæc enim vox: Multum, indefinita est, quod autem indefinitum est, utique et imperfectum. Vel etiam imperfecta dici potest, quia nullum extulit omnibus virtutum numeris, Samuelis instar, absolutum. Atque hunc etiam septem vocauit, vtpote perfectum, atque omnibus virtutibus expolitum. Nam septem per pleonasmum pro multis accipi debet. Porro per Annam matrem Samuelis Ecclesiam fuisse prophetatam volunt sanctißimi Patres, quæ prius fuit sterilis, & posteriore fecunditate lætata est. nam sterilis Ecclesia ex gentibus conflata peperit septem, synagoga vero, quæ ante multis filijs erat fecunda, defecit: & plures mulieris filij fuere desertæ quàm illius, quæ uirum habebat. Vnde Theodoretus Heraclienſis: Prædicit, inquit, Ecclesiæ fecunditatem. Septenarius siquidem numerus signum est multitudinis. inter septem enim dies totum includitur tempus, & Ecclesiæ filij terram impleuere. Quæ vero multa erat in filijs synagoga infirmata est. Iudæa namque cum permultos habuerit filios, nunc sterilis effecta est. Augustinus itidem Ecclesiæ perfectionem septenario significari his verbis ostendit: Hic totum quod prophetabatur, eluxit, agnoscentibus numerum septenarium, quo est vniuersa Ecclesia significata perfectio. In Prouerbijs etiam ad hunc modum de sapientia loquitur Salomon: Sapientia ædificauit sibi domum, supposuit columnas septem. quem locum interpretatus Aur. Aug. septem columnas ad vnitatem rettulit Ecclesiæ. D. Greg. Romanus super illud Iob cap. 9. Qui facit arcturum. Quid, inquit, arcturi nomine, qui in Cœli arce constitutus septem stellarum radijs fulget, nisi vniuersalis Ecclesia exprimitur? Iam vero Iohannes Apostolus relegatus in insulam Pathmos, quæ iuxta minorem asiam sita est, Apocalypsin septem Ecclesiis scribit ibidem exsistentibus, quas nominat propriis enunciatis. Non quod ipsæ solæ sint Ecclesiæ, aut principes, sed quod uni dicit, omnibus dicit. (Neque enim his tantum in locis fuit tunc Ecclesia Christi) in toto

Io. Chryſ. actione i Iudęos quinta. & hom. 62. in Matth.
Aug. in ciuit. lib. 17. ca. 4. ſeuerus Gręcus Didymus.
Aug. in c. Dei. li. 17. c. 4.
Prouer. 9.
Aug. eodem. & Ep. ad Galat. c. 9.
D. Hiero. in Iob. cap. 38.
Apoc. 1.
D. Hie. in Zach. cap. 8. & Aug. in ciuit. lib. 17. c. 4.
Beda in apoc. li. 1. cap. 1.

toto uero orbe septennatim Ecclesias omnes septem esse nominatas, et unã esse catholicam Paulus edocet. qui primum quidem vt seruaret & ipse typum, septem Ecclesiarum nequaquam excessit numerum, sed ad Romanos, Corinthios. Galatas, Ephesios, Thessalonicenses, Philippenses, et Colossenses, postea singularibus personis scripsit, ne numerum excederet septem Ecclesiarum, et breuibus suam contrahens prædicationem, ad Timotheum sic scribit: Vt scias qualiter conuersari debeas in Ecclesia Dei viui. Iterum in Apoc. dum septem his voculis, benedictione, sapientia, claritate, gratiarum actione, honore, virtute, & fortitudine Deo declamatur ab illis beatis spiritibus, nulli dubium quidquid laudis, quidquid glorificationis aut iubilationis concipere potest mens, uel proferre, quæcunque illa est Angelorum lingua, sub istis septem contineri. quamquam alio vertat Ven. Beda dicens quòd Ecclesia septenariam virtutum laudem offert Deo, quam se in singulis mẽbris ab eo percepisse fatetur. Eiusdem mysterij sunt septem stellæ in Apoc. quas Christum in dextera sua tenere testatur, oẽs videlicet Præsules omnium Ecclesiarum, quos, cum esset in dextera, id est, in magna felicitate, quippe qui resurrexerit à mortuis, non plures, neque pauciores ex Discipulis quàm septem sui participes habuit conuiuij, sicut scriptum est, Quia erant simul Petrus & Thomas qui dicitur Didimus, & Nathanael qui erat à Chana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex Discipulis eius duo. Isti septem missum in dexteram nauigij rete, plenum magnis piscibus ad terram perduxerunt, et cum Domino sunt epulati, vniuersos designantes qui in generali resurrectione præsentabunt electos vniuersos, quos studijs suis acquisierunt siue laboribus, & cum Christo sedebunt ad dexteram eius in cælestibus. Eandem habet interpretationem quod de facie siue præsentia Dei legitur, quæ in die futuri iudicij erit sicut Sol. sic enim vaticinatur Esaias: Erit lux Lunæ sicut lux Solis, et lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierũ, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui. Quænam est Luna quæ tunc lucebit sicut Sol absque varietatibus crementi et decrementi, quibus nunc variatur in isto seculo, nisi Ecclesia, quæ tunc erit similis Soli suo, Deo suo? Scimus, ait Iohannes, quia cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ipsa autem lux Solis, quanta erit? sicut lux septem dierum. quod est dicere: Quantæ claritatis erat Deus verbum cum sex diebus fierent omnia, et septimo die complerentur omnia per ipsum; tantæ claritatis in carne sua tunc erit apud Deum. eiusdem intelli-

Iohan. 21.

1. Io. 3.

Isai. 4.

gentiæ

gentiæ censetur quod in eodem propheta scriptum legitur. Apprehendent septem mulieres uirum vnum, id est, plures mulieres apprehendent virum vnum: licet D. Hier. adstruat dictionem hebraam hoc positam loco ambiguam esse, & nunc septem, nunc plura signare. Eò itidem spectat quod in Prouerbijs dicit Salomõ: Septies cadet iustus, et rusurget. sensus enim est, quotiescunque ceciderit, non peribit. quod non de iniquitatibus, sed de affectibus dictum censeo, secundum quos nec boni dicimur, neque mali; nec laudamur, nec vituperamur. non enim laudatur inquit Philosophus qui timet, vel irascitur, nec vituperatur qui simpliciter irascitur, cum nobis innati sint affectus, qui resecari quidem possunt, at non euelli. quamuis enim primi motus affectuum in manu, et potestate nostra nequaquam sint, adest tamen moderatrix illorum paullo post ratio. Septem sigillis signatum librum vidit Iohannes, quod est omni latentium mysteriorum plenitudine tectum. In libro quoque Psalmorum: Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum terra, purgatum septuplum esse dicuntur, ideſt, multipliciter. Quemadmodum enim argentum sæpius conflatum, probatum reperitur et purum: sic etiam verba Dei cuncta ab omni mendacio, aut vitio sunt libera. Tale est et illud: Septies in die laudem dixi tibi. nam si ad litteram hunc numerum velimus aduertere, septem illas significat vices, quibus se clericorum pia deuotio consolatur, ideſt, matutinos, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, & completorium; vel vt vocant Monachi: matutinos, tertiam, sextam, nonam, lucernariam, completorios, nocturnos. Quod & sancti Ambrosii Hymnus in sexta horæ decantatione testatur. Verum si spiritaliter hæc intelligas, cõtinuatione magis dictam sapienter aduertis, ut est illud quod in alio Psalmo dicit: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Nam ut has laudes continuas intelligere debeas, subter adiunxit: super iudicia iustitiæ tuæ. Quia parcet videlicet supplicanti. & sic humilibus pius est, vt non solum dimittat culpas, sed eis etiam æterna præmia largiatur. De Maria Magdalena Septẽ dæmonia exisse referuntur, vt innumeris, ĩmo cũctis uitijs plena fuisse mõstretur. Intimat. n. Maria Ecclesiã de Gẽtib. mundatã a sordib. cui cõgruit quod de immũdo spiritu scriptũ est: quia cũ exierit ab homine, reuersus assumit secũ septem alios spiritus, ideſt, uniuersa vitia. Septẽ capita Draconis, oẽs Reges terræ designant, qui etiam dicuntur septem montes. Quod vero septẽ diebus fermentum non inuenitur in domibus Iudæorum, nobis est documento vitiũ esse submouendum

Isa. c. 4.

Prouer. 24.

Aug. in ci. Dei 2. 11. c. 31. glo. de pœnit. dis. 3. septies. lib. 2. Ethic. c. 5. Cassiodorus sẽ. in Psal. 118.

Apoc. 5. Beda i apoc. li. 1. Psal. 11. D. Theodoretus Episcopus Cyrus.

Psal. 118.

Cassiodorus in. Psal. c.

Aug. in ci. Dei lib. 11. c. 31. Psal. 118.

Matth. 12. Mar. 8.

Apoc. 12. 13. 17. Exo. 12. 13. 34.

vt omni vitæ nostræ tempore in simplicitate ac puritate viuamus. etiam
1.Reg.6. septem diebus azyma comedere, nil aliud sibi vult, quàm cunctis vitæ nostræ diebus humilium Christi actionũ sacræ passionis, et acerbissimæ mortis eius nos meminisse debere. sic septem menses quibus fuit Arca apud Philistæos, designant tempus huius seculi vsque in finem. sic septem diebus est immũda mulier quæ peperit masculum, & octauo purificabitur. Quæ aũt feminam peperit bis septem diebus in immundicia permanebit. Quibus in numeris mysteria latentis arcani continentur. quia in septimana dierũ consummatus est mundus, in quo donec sumus in carne positi, ad liquidum puri esse non possumus, nisi octaua venerit dies, quod est futuri seculi tempus, in quo tamen die purgandus est ille qui viriliter egit. statim. n. munda efficitur mater eius, quæ genuit eum, purgatam namq; vitijs carnem ex resurrectione suscipiet. Qui vero nihil in se habuit virile aduersus peccatum, sed remissus, & effeminatus permanserit in actibus suis, iste neque in præsentis seculi hebdomada, neq; in futura purgabitur ab immũdicia sua. Quin etiam septem Angeli stantes in conspectu Dei Apoc. 8. significant vniuersitatem Sanctorũ & Iustorum. Apud Mathematicos etiam Septenarius vniuersitatem quandam perfectionis signat. nam, si Petri Apo nen. ĩuenta sumus admissuri, hieroglyphicũ septem capitibus insigne, quintodecimo Geminorum gradu statuere, inde significantes, sub eo graduum numero in lucẽ editũ multisciũ fore, quippe nullũ doctrinæ genus, artẽ nullã, nullã deniq; linguam esse celebrem quam is non sit optime cõsecuturus, eundem tam publicis, quam priuatis rebus agendis aptissimũ, ac ĩter mortales admirabilem oĩno fore pollicentes. Iam vero, & ea quæ funduntur, vbi ad septimam decoctionem fuerit peruentum, tum perfectum illud, et absolutum exsistit, quo nihil perfectius ĩueniri potest. Compertum. n. est ab hominibus nostræ ætatis, non in argenti solum, sed etiam multorum decoctione, septima decoctione, perfectissimũ fundi, ueluti quotidie cernere est ĩ saccharo depurgando. nam vbi septies igne id examinaueris percoxerisq; nihil quidquam proficit vlterius, sed lapidescit omnino, ne ulterius eliquari possit. Adagium inde usurpatum de re, quæ summam adepta sit perfectionem: Septimæ decoctionis saccharum, vbi sagacissimum quempiam atque vaferrimum hominem designamus. Sed his missis perscrutemur huius numeri reliqua mysteria, quæ diuinis oraculis continentur. Fuit enim Septenarius apud sanctum Moysen remissioni et indulgentiæ consecratus. in lege quidem multa per Septenarium statuta reperies. Septi-

mo

mo mense cuiuslibet anni, & septimo quoque anno fiebant remissiones. Et post quadratũ Septenarij cuiusq; obligationis remissio cõdonabatur. quippe si quis possessionem distraxisset, recipiebat: si liber seruitutem incidisset, iterum libertatẽ assequebatur: indulgentiã debitor accipiebat: exul in patriam redibat, vt in Leuitico legitur. Huc accedit, quod populus ex Babylonica captiuitate septuagesimo anno redijt, sicut Hieremias prædixerat, & rerum euentus confirmauit; vt præclarus, & maxime mysticus decadibus septenarij numerus ob populi redemtionem, ac mysterij quoq; nonnihil habeat, nimirum liberati populi proclamationem. Septem petitionibus absoluitur oratio Salomonis. Totidẽ consumauit Cælestis Doctor orationem expiationis nostræ, & in quadrato Septenario dictiones absoluit, quod mystice obseruauit Iul. Camill. Quare Septenarius libertatis numerus nuncupatus. Vocatur et numerus iuramenti. Hinc apud Hebræos iurare dicitur septenare, quasi per septẽ obtestari. sic Abraham quãdo pepigit fœdus cũ Abimelech, statuit septem agnas in testimonium. Accomodatur Saturno, qui ab inferioribus ascendendo, septimus est planetarum, qui requiem indicat, cui septimũ diẽ adscribi monstrauimus. Qui ẽt millenarium septimum indicat, quo teste D. Iohãne in Apoc. captiuato draconе malorum suggestore Diabolo, quiescent mortales tranquillam vitam degentes. Inde, & ad Mosaicam legem referri solet hic numerus propter sabbatum. Septem gradibus ascendebatur ad portam aquilonarem templi, vt per hebdomadas, & ceremonias Iudæorum ascẽdatur ad superiora. Septem filij Balæ ancillæ, sunt seruientes sub lege. Septem uero tonitrua in Apoc. sunt uoces, & oracula Prophetarum. Quòd si extra has ueri cultus ceremonias egredi licebit, atq; vetusta Gentium sacra peruagari, non minori mysterio apud eos Septenariũ numerum fuisse commendatũ comprobabitur. Per septẽ. n. dies Memphitici Apis natalẽ, iactu aureæ pateræ in Nili gurgitem, celebrabant, quibus diebus quasdam cum sacerdotibus inducias habuisse crocodilos refert Plinius, nec attrectasse lauãtes. Verum octauo die ceremonijs iam peractis, post horam diei sextam, uelut reddita seruiendi licentia, solitã resumere atrocitatem. Qui d illud quod refert idẽ Plinius in Andro insula in templo Liberi patris fuisse fontem statis septenis diebus uinum fluentem, quod si conspectu templi fuisset ablatum, saporem vini in aquam conuerti, quanto mysterio contineri dicendum est? Iam vero matricidam Orestem, & si iam ab insania fuerat liberatus, expiari tamen materna cæde non potuisse tradit Varro, nisi ex Apollinis

Ezech. 40. & 41.

Gen. 46.

c. 10.

Apis est bos qui instar numinis colebatur.

li. 8. c. 46.

lib. 31. c. 2.

oraculo septem fluminibus, quæ vno tantum alueo miscerentur, prius abluerétur. Hunc locum teneat et Apuleius, dicens: Meque protinus purificandi studio marino lauacro trado, septies submerso fluctibus capite. At quando hic sumus, illud non dissimulandum videtur magnam esse purgandorum scelerũ septenarij potentiam ẽt in diuinis litteris: nec id cuiquam mirum videri dẽt, si Gubernatori omnium Deo, nec nõ & Virgini Minervæ dicatus numerus, vtpote solus ex omnibus qui denario includũtur nec gignens, nec genitus, aliqua etiam imperfectionis nota suggilletur. Quemadmodum.n. nulla multitudo, aut congregatio, aut collegium est, in quo nõ aliquis sit prævaricator, nec vllũ humanũ corpus absq; nævo aliquo vel cicatrice, nec deniq; hominem vllũ reperire facile possis, qui sine vitio nascatur, cũ vel iustus Homo septies in die prolabatur: sic nullũ inuenias numerũ ex omni parte felicem. connumeratur etenim Septenarius inter sterileset ab imperfectione maxime distantes, qui à nullo, nisi ab vnitate dimetiri possunt. vnde, & primi nũcupantur. nullus siquidem eos numerus diuidere vno ordine põt, nec æquis portionibus discernere. quare partib. aliquotis orbatus cũ sit Septenarius, sterilitatem, quæ nõ est ex benedictione, nobis demonstrabit. nec.n. Virginitas ex eo est magis Deo grata, quia non fecunda: sed Virginitas in fecũditate, & fecunditas in Virginitate Deo est gratissima. Quare bene, sicut lib. 30. excitationum testatus est Nicolaus de Cusa, Maria Virgo benedicta est inter mulieres, quæ cum sit virgo, est summa fecunditas. Non immerito igitur malam in partem Septenarium quandoq; positum inuenias in diuinis oraculis. Aliquando.n. iniquos præsignat, vt in Apoc. septem capita draconis, septem diadematibus insignita. Septem mali Angeli cum septem phialis iræ Dei venena continent. Septẽ viri de stirpe Saulis, qui a Dauid sustinuere crucis suspẽdia. Quandoq; etiam Septenarius humiliationi dicatus habetur. In hoc.n. Iahacob seruit pro Rachel, totidemq; diebus Labani persecutiones experitur, septimo die comprehensus in monte Galaad, septies pronus in terram adorat, donec appropinquaret Esau; ut iniuriam, quã se accipisse putabat, remitteret, & quamuis læsus, in gratiã rediret. Septem diebus ieiunandũ mandat Vriel Angelus. Herodis ẽt immanitatem deuitans Ioseph cum puero aufugisse legitur in Aegyptum, ubi latitauit per Septennium. 22. q. 2. Quod vero. Septenarius denique perpetuam, & insolubilem dicit vltionem. Vnde septem nouissimæ plagæ in Apoc. punitionem perfectam indicant. Quoniam in illis, ait Beda, consummata est ira Dei, nouissimas

dixit,

Septenarium sola metitur unitas 12. defin. 7.

c. Constituite.

c. 12.
c. 16.

2. Reg. 21.

Gen. 29. Hieronymus. Gen. 31. Gen. 33.

4. Esdr. 5. Matth. 2.

c. 15.

dixit, quia semper ira Dei populum percutit contumacem' septem plagis. Deuter. cap. 16. scriptum est: Septem diebus comedes afflictionis panem. Et Eccl. c. 40. Super peccatores septuplum. Adhuc vero in Leuitico dicit Dominus: Si nõ obaudieritis mihi, addam corruptiones uestras septuplum propter peccata vestra. si ambulaueritis ex aduerso mihi, nec volueritis me audire, addam plagas vestras vsque in septuplum. quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, ego quoque contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies propter peccata vestra. sin autem neque per hæc audieritis me, sed ambulaueritis contra me, & ego incedam aduersum uos in furore contrario, et corripiam vos septem plagis propter peccata vestra. De Cain rursum qui seipsum fraternæ cædis crimine constrinxerat, scriptum est: Septies animaduertetur in Cain, hoc est, septuplo cruciabitur, septenisque mulctabitur pœnis. quarum prima, fuit, maledicta terra; secunda, operaberis terram, hoc est, sine vlla intermissione ac relaxatione agricultur æ laboribus vexaberis; tertia, & nõ addet virtutem suam dare tibi; quarta, gemens ac tremens eris super terram. tribus duas adiecit pœnas, gemitum et corporis tremorem. sequitur aliud supplicium, quod Cain ipse patefecit, sic loquens: Si nunc a terra me eijcis, hoc est, si a terræ commoditatibus me disiungis, & à facie tua abscondar. Atrocius sanè supplicium apud eos, qui mentis sunt compotes, separatio à Deo. septima: posuit Deus signum super eum: ecce infamiam. Hæc secundũ Aquilam. At Symmachus non simpliciter vertit, sed hebdomada, siue septimana vlciscetur. Translatio vero septuaginta Interpretum & Theodotionis sic habet: Omnis qui occiderit Cain septem vindictas exsoluet. Talemque videtur intelligentiam præ se fere. Postquam Cain occiderat fratrem, interrogatus à Domino: Vbi est Abel frater tuus? contumeliose respondit: Nescio nũquid custos fratris mei sum ego? Quamobrem maledictione dãnatus, vt gemens & tremens viueret super terram, veniam noluit deprecari, sed peccatis peccata congeminans, tantum putauit nefas cui a Domino non posset ignosci. Quare Domino respondit: Maior est iniquitas mea, quàm, vt veniam merear. ecce me hodie eijcis à facie terræ, et à facie tua abscondar, et ero gemens & tremens super terram. & erit omnis qui inuenerit me, occidet me. Eijcior inquam inquit, à conspectu tuo, et conscientia sceleris tremebundus, lucem ipsam ferre non sustinens, abscondar, vt latitem; eritque omnis qui me inuenerit, occidet me, dum ex tremore corporis, & furiata mentis agitatu eum esse intelligit, qui merea-

Cap. 26.

Gen. 4.

tur interfici, Verum Deus nolens eum mortis compendio finire cruciatus, nec pœnæ tradere quæ se ipsum damnauerat. ait: Non sic, idest, non vt existimasti morieris, mortem pro remedio accipiens.

Horatius. in Epodo.

Nec proderit ditasse Pelignas annus,
Velociusue miscuisse toxicum.
Nam tardiora fata te votis manent.
Ingrata misero vita ducenda est in hoc;
Nouis vt vsque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis,
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus,
In monte saxum; sed vetant leges iouis.

Inuitus, igitur vitam duces miseram vsq; ad septimã generationem, & conscientiæ igne torqueberis, ita vt quicunque te occiderit, secũdum duplicem intelligentiã, aut in septima generatione aut septimo te liberet cruciatu. Nõ quòd ipse qui occiderit Cain septem vltionibus sit subiciendus, sed quòd septẽ vindictas, quæ in Cain tanto tempore cucurrerunt, soluat in occiso; interficiens eum qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Argumento est Adam qui semel prolapsus, si moriendi necessitati nõ fuisset obnoxius, maximũ damnum accepturus erat nimirum peccatum operans; qui beneficio afficitur. Quod est autem hoc beneficium? Mors, quæ licet pœnæ rationẽ habeat, vtpote vitam extinguens, tamen in misericordiam recidit, immortalem non sinens esse peccatorem. Vt autem quod diximus fiat manifestius, quotidianæ consuetudinis ponatur exemplum. Loquatur inter verbera seruus ad Dominum, quia incendi domum tuam, interfice me. Dominusque respondeat: Non vt vis morieris, & finies morte supplicia, verum longo tempore custodieris ad vitam, & tam infeliciter in hac luce versaberis, vt quicunque te occiderit, beneficium præstet occiso, dum te de tam multis liberet cruciatibus. Et hæc de Cain per digressionem commemorata sint Redeundum est ad testimonia. In sulcis iniustitiæ mala seminantem, in septuplum puniendum esse testatur Ecclesiastes his verbis. Ne semines, mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. Quod fuit dicere, Non des exemplum malè agendi hominibus ad hoc pronis, sicuti sulcus paratus ad seminis receptionem, & non metes ea in pœna tibi in septuplum inferenda. Israel qui peccauerat in sabbatum sep-

tem

ptem decadarum, hoc est, septuaginta annorum supplicium sustinet. Septuplum etiam pessimi vicini in sinum suum recipiunt. reuersos enim Iudæos ex secunda captiuitate Babylonica, templumque restaurare tentantes, vicini ab Antiocho Epiphane seducti vexabant, vnde propheta regius septemplicem eis imprecatur afflictionem dicens ex Iudæorum persona: Psal. 78.
Redde Domine vicinis nostris septuplum in sinus eorum, hoc est, inseparabilem. Ipsi verò Dauid quando numerato populo contraxit offensam, tribus oblatis sibi cõditionibus, quam vellet, eligeret, propositum fuit, vtrum 2. Reg. 24.
septem annis famem super terram fieri vellet, aut tribus mensibus fugere a facie inimicorum suorum persequentium se, aut triduo fieri mortem
in terra. quum autem pestilentiam delegisset melius esse ratus cadere in
manus Dei quàm in manus inimicorum, scriptum est, quia mortui sunt de
populo, à Dan usque Bersabea septuaginta milia virorum. Alibi rursum 4. Reg. 8.
vocat Dominus famem, & venit super terram septem annis. Totidem Iudic. 6.
annis oppressi sunt Israelitæ à Madianitis. Nabuchodonosor, ad Dei of- Dan. 4.
fensam in bouem mutatus, per septem annos

Aulica depasto mutans conuiuia fœno,
Agrestes pecudum consors fuit ille per herbas.

Habet in religione præsens numerus aliud euidens sacramentum, quia
omnis purificatio omnisque mundities fit per septenarium. septem ani-
malia munda ingrediuntur in arcam Nohe. licet enim animalia quaterna- Gen. 7.
rium elementalem sequantur, ternario tamen superiori & diuino partici-
pant, vt munda sint, quòd mundities & purificatio procedant à septen-
nio. Hinc septimo die emissa est columba. quum enim Nohe constitutus in Gen. 8.
arca exploraret an cessent aquæ diluuij, postquam reuersa est columba,
septem diebus expectasse dicitur, atque iterum emisisse columbam, quæ
mundi munditiem pacemque nuncians attulit vliuæ ramum virentibus
foliis, quo facto, Nohe septem aliis diebus expectauit, vt alio subsequente
septenarij curriculo, plenius subsequeretur et plena mundities. Huius spe-
culationis est quòd propheta Mosses septẽ diebus expiat altare, & septem Exo. 29.
vicibus aspergit. Septem diebus consecrantur manus Pontificum. Sa- Exo. 8.
cerdotem quoque per ignorantiam peccantem iubet lex mactato vitulo, Exo. 29.
digitoque in sanguine tincto, septies aspergi cõtra velum sacrarij. Est eius- Leuit. 4.
dem mysterij quòd seminifluus, qui sanitatem fuisset assequutus, numera- Leuit. 15.
bat septem dies in emundationem, Mulier etiam quæ redeunte mense pa- Leuit. 15.
teretur fluxum sanguinis, septem diebus separabatur, virque qui cum ea
rem.

Leuit. 15.

rem habuisset tempore sanguinis menstrualis septem diebus erat immundus. Quod si sanitati reddita fuisset mulier, post dies septem purificabatur, vt in Leuitico edictum atque imperatum est. Adhuc qui fuisset ingressus tentorium hominis mortui, vel etiam in agro tetigisset cadauer occisi hominis aut per se mortui, pollutus erat septem diebus. At sacerdotibus vetitum erat ad obeuntes ingredi, nedum mortuos tangere. Non quòd sceleratum sit corpus, sed forte quia quadam funebris nidoris affinitate corruptus animus, concipiendis diuinis influxibus redditur sacerdos ineptus. Forte etiam quòd peccatum, & inobedientia sit carnalis, & in corpore versetur, sitque mortua, & ideo abominanda. Ad solos autem Patrem Matrem & filios mortuos permissum sacerdotibus ingredi, quòd hi soli sint cognati carnis, & seminis, à quibus proximam et continentem causam ingressus in vitam acceperint. Mundantur autem ij quoque septem diebus, per quot dies efficitur generatio. Heliszus Propheta, vt scriptum habetur Regum libro quarto ait Nahaman Syro leproso: Vade & laua te septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis. et sequitur paullo post: Et lauit se septies in Iordane, & mundatus est. præceptum enim erat in lege vt mundandus leprosus, purificaretur septies in sanguine passeris. septemque diebus extra Tabernaculum permaneret. Allegorice autem iubetur leprosis vt exeant de castris, et sedeant foris, donec eorum lepra mundetur, intelligendo hæreticos ab Ecclesia proijci debere, donec proprio errore purgentur, & sic reuertantur ad Dominum. Maria soror Moysis lepra percussa totidem diebus, iubente Domino, separata fuit extra castra. Porro Maria significat pœnitẽtem, interpretatur enim amarum mare. Vnde sanctorum Patrum decreto sancitum quòd peccator post septennem pœnitentiam ad pristinum sanitatis gradum restituatur, 33.q.2.si quod. & Dis.82.presbyter. 27.q.1.deuotam. & notat glo.e. ver.d.et de pœnit.dis.3.sunt plures.ver.S. Hinc etiam Psalmi Pœnitentium septenario sunt calculo titulati. glo. in ant. de celeb. miss. c. 1. Nam et Dauid Regem de adulterio reprehensum et homicidio, septem diebus pœnituit. 33.q.2. hoc ipsum. Quamquam, & illud dici posset quod adnotauit & Cassiodorus senator Psalmos pœnitentiæ ad hunc numerum fuisse perductos, quòd septem modis peccata nobis posse dimitti maiores nostri dixerint, primo quidem, per baptismum; secundo, per martirij passionem; per Eleemosinam, tertio; quarto, per hoc quod remittimus peccata fratribus nostris; quinto, cum conuerterit quis peccatorem ab errore

Num. 19. De con. disi. 4. c. nec quenquam Leuit. 21.

Clemens Alex. hom. 4. t.

4. Reg. 5. Ambrosius de sacramẽtis li. 1. c. 5.

Num. 12. Septenarius ad munditiem pertinet spiritalem. Aug. quę super numeros.

via

viæ suæ sexto per abundantiam charitatis, septimo per pœnitentiam. Sed his addenda videtur etiam communicatio corporis, et sanguinis D. N. I. C. cum tamen digne suscipitur. Inueniuntur & alij fortasse modi remissionum; congruit enim vt numerum supplicationis nostræ indulgentia diuina transcendat; sed tamen Ecclesia plurimum septenario nomero tribuit, eoque maxime vti solet ad optandam diuinam gratiam: Nam septem dies mortuorum exsequias celebramus, optantes illos cum Domino conquiescere, exantlatis uitæ huius ærumnis impatibilibus, vel ut deleantur peccata, quæ fragilis Homo in hac vita, quæ per septem dies ducitur, commisit, vel vt anima corpori reconcilietur, quæ carne illiciente peccauit. Vnde Strabus: Dei ĩquit, cultores septem diebus exsequias celebrant. c. 22. *& in Ecclesiastico scriptum est quia luctus mortui septem dierum, fatui autem omnes dies uitæ eius. Genesis quoq; c. 50. et legitur. 13. q. 2. c. quia. Iahacob fati diem functum, continuo mœrore lacrymis continenter manantibus, septem diebus prosecuti sunt filij. Quem tamen luctum decuplauerunt Aegyptij, quod ab antistite Aug. li. quæstionum de Genesi scite fuit adnotatum. Adhuc ẽt cum Iudith fata sub duxisset, luxit omnis populus* c. 16. *diebus septem. Ceterum quòd ad sepeliendorum ritum spectat, illud apud Veteres seruatum refert Alexãder ab Alex. vt defuncti corpus per interualla conclamatũ, propiores affines calida abluerent, deinde unguentis vngerent, candidoq; amictu induerent, ac diebus septem seruarent antequã cremaretur. Seruabatur etiamnũ hic dierũ numerus à S. P. Q. R. quã do suos vita defunctos Imperatores consecrabant, iustaque persoluebant. qui honos Apotheosis dicebatur. Mos. n. fuit consecrare Imperatores, qui superstitibus filijs vel successoribus e uita decessissent, quique hoc honore fuerant affecti, relati dicebãtur in Diuos. Erat aũt tota Vrbe quasi luctus quidam festæ celebritati promiscuus. quippe functum vita corpus rite hominum sumtuoso funere sepultura mãdabant. Ceream tamen imaginẽ, defuncto quàm simillimam ad ægroti speciem pallidam fingentes, eamque in regiæ vestibulo proponentes supra eburneum lectum maximũ atque sublimem: circa lectum vero vtrinq; magnam partem diei sedebant, à leua quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextra vero Matronæ, quas uirorum aut parentum dignitas honestabat. Hæc ita per septem dies continuos faciebant, Medicis ad lectũ quotidie accedentibus, inspectumq; velut ægrum deterius se habere sibi inde pronunciantibus. Septimo autem die ex hac mortali vita ad celestem patriam migrasse asserebant.*

DE

DE NVMERO IIX.

Octonarius ita omnium sensibilium cuborum principem locum tenet, vt vnitas omnium numerorum. cum enim vnitas intellectualis sit numerorum abyssus, totiusque multitudinis principium, sola sibi primigenium nomen vindicauit. primus enim ipsa est trigonus, primus tetragonus, primus pentagonus, prima pyramis, primus cubus, et vt vno uerbo complectar, in alijs figuris primum: adeo nihil est in unitate quod extra producat, cuius non sit eodem quoque pacto particeps. Verum enimuero cum secari vel diuidi non possit vnitas, nusquam illam in proprijs rationibus sensibilium, aut angulorum, aut laterum metis expressam inuenies. hæc sequentium figurarum, inter quas prima velit nuncupari, nullo se visibili contexit amictu, nullamque præfert claram speciem eorum, quorum nomina sibi præsumit adscribi. primus ipsa cubus est sine angulis, ac sine lateribus, tota est angulus, totaque latus. Quæ vero sine specie, sine vlla partium varietate sunt in vnitate, in sequentibus numeris sensui ipso expressa conspiciuntur, sunt que visibili laterum atque angulorum habitu contecta. Octonarius igitur primus ab vnitate sensibilis est cubus, quare & Vulcano dicatur. Ex primo enim motu, id est, dualitate, quæ Iuno est, constat. Nam dualitas ter multiplicata, octonarium cõficit cubum, et solidum numerum, vt bis, duo; bis, octo. Neque hunc trinum ductum Pytagorici transcendunt, quòd quilibet numerus in semetipso ter ductus, cubum constituat. Quo fit, vt cubum omni ex parte æqualem ex trino radicis ductu facile conspicias, nam cum dicis bis duo bis, longitudo primo binario exprimitur; latitudo, secundo; tertio profunditas: & ita longitudo æquatur latitudini; & vtrique, profunditas. Hinc & octonarij perfectio demonstratur, quando cubus à senario tegitur numero inter ceteros perfectißimo. Neque id solum, sed & anguli siue hos sursum aut deorsum, siue dextra parte aut sinistra, siue quauis alia positione sumpseris, sunt æqui. Non solum autem solidorum primas obtinet octonarius, verum etiam primus omnium in numeros ita soluitur pariter pares, hoc est, in bis quaternos, vt nihilominus in numeros æque pariter pares ipsa quoque diuisio dissoluatur, i deſt, bis binos; rursusque qua æqualitate resoluitur, eademquoque componitur. namque bis bini bis octonarium constituunt. Cum ergo & compositio ipsius pari æqualitate procedat, & resolutio æqualiter redeat vsque ad vnitatem, quæ diuisionem pro

arithme-

arithmetica ratione non recipit, iure optimo Pythagorici iuxta suæ disciplinæ morem, hoc numero Iustitiam comprehendebant, quòd Iustitia sit æqualis pro cuiusque meritis distributio, fundamentumque firmissimum ciuitatis. Nec aliam ob caussam Deus dicitur Iustitia, nisi quod linea recta infinita primo circulum, deinde triangulum faciens, ex tryade venit in tetractyn. Vnde si trigonum est perfecte, est necessario quadratum. & hinc octonarius ex Pallade, et Amore, id est ex verbo & spiritu genitus, diuina quadam ratione consurgit. primo quidem in vnum, duo, quinque diuisus, deinde in quindecim multiplicatus, ac nihilo diminutus, sed auctus in quaternarium a se ipso circulum facit primum, quæ figura solius Dei est. Hinc Orpheus quotiescunque diuinam volebat obtestari iustitiam, per Numina octo iurabat, quæ rerum summæ imperare dicebat Euander, Ignem scilicet, Aquam, Terram, Cælum, Lunam, Solem, Mithram, & Noctem. Mithram autem Persæ idem cum Sole existimant. In Aegyptia quoque columna in signum iustitiæ posita octo Deorum nomina notabantur inscripta, Saturnus, Rhea, Osiris, Spiritus, Cælum, Terra, Nox, Dies. Atque hos fuisse putarim octo Deos Xenocratis, de quibus meminit Cic. lib. de natura Deorum. Neque illud quidem ignorare oportet, Octonarium in diuinis oraculis signum fuisse iustitiæ, cuius rei argumentum est Noha, qui & octauus, & iustitiæ præco nuncupatur. Gen. 6. 7. 2. Petri 2. Hunc numerum Dionysio sacrum fuisse perhibent prisci Theologi, quòd octauo mense in lucem editus esset, cuius rei sempiternum est illud testimonium. Naxos enim insula illi dicata, hanc prærogatiuam obtinuit, vt solæ Naxiæ Mulieres octauo mense salutariter pariant, fœtusque vitales edant, cum vbique fere gentium omnes eo mense geniti intereant, et manifesto etiam versentur in periculo. Ad huius numeri commendationem illud item afferri solet quòd ab Arithmeticis primus actu quadrans fuit nuncupatus, omnibusque numeris, sicut & senarius, dictus perfectus, & qui terminant in illis. qui vero ab his defecerint, imperfecti iudicantur, quod in infinitum semper hi duo senarius scilicet, et Octonarius deductionem æqualitatemue recipiant. Illud denique relatu dignum videtur, quòd hunc numerum vsurpauit antiquitas, cum nihil alicui rei deesse significaret, aut cũ multa inter se viderentur similia Ἀπαντ' ὀκτὼ, id est, omnia octo, dicentes. Quod prouerbium fuisse videtur, atque hinc natam esse paroemiam putant. Stesichori poetæ conditorium, magnifico extructum impendio, ex octonis constabat omnibus, octo columnis, octo gradibus, octo

angulis.

Lib. 9: Lusus talarius. Stesichorius.

angulis. Cuius meminit Iulius Pollux agens de lusu taxillorum, quem dicit numeris constare, in quibus vnus sit, qui stesichorites appelletur, nimirum octo, idque cognominis sumtum ab eius monumento. Alij rursus in Olympijs octo fuisse certaminum species testantur; atque inde ductum adagium: OMNIA OCTO: Sunt etiam qui dicant eum, qui Corinthios in vnam ciuitatem coegit, Ciues vniuersos in octo tribus distribuisse, atque hinc ortum fuisse vulgi sermonem. Octonarius in diuinis litteris, nouum testamentum, corporum resurrectionem, ac maiestatem regni Dei significat. Quod quidem volens præceptor noster IESV Discipulis aperire, sic eos allocutus perhibetur in Euangelio Lucæ: Dixi venturum filium hominis in gloria patris sui, et existimatis me narrare fabulas. quoniam ergo inefficax fuit oratio, res docebunt. Sunt aliqui homines stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. factum est autem post hæc verba fere dies octo, assumsit IESV Petrũ, et Iacobũ, & Iohannẽ fratrẽ eius, et duxit illos in montẽ excelsum, & transfiguratus est corã eis, et mutata est eius forma, & cum lucis induisset tunicam, fulguris præseferentem speciem ostendit aspectum, Octonario dierum calculo verum tempore surrectionis gaudium venturum docens. Nam & ipse post sextam sabbathi, qua crucem ascendit, & septimam sabbathi, qua in sepucro quieuit, octaua die surrexit à mortuis. Et nos post sex huius sculi ætates, quibus pro Domino pati, & elaborare gaudemus, & septimam sabbathi quietis animarum, quæ interim in alia vita geritur, octaua resurgemus ætate. Sed quid dicemus cum Marcus & Matthæus veluti vno ipso ore loquentes, dicant post sex dies transfiguratum fuisse Dominum? Ad hoc beatus Lucas respondet: Nec temporis ordine, nec mysterij ratione discrepant, quæ à me et ab illis dicuntur. Illi enim die prætermisso, quo id quod paullo post erat à Verbo faciendum, Apostolis communiter est prædictum, et illo rursus in quo id quod prædictum est, Verbum fecit admirabili quodam modo: eos, qui sunt inter duos, primum inquam & vltimum, uel potius inter primum & octauum, numerant. qui quidem sunt aperte sex, quibus si duos iunxeris, principium & finem coniungens medio, habebis sine contradictione quod quæritur. Inde etiam illi absolute post sex dies factum memorant: Ego uero primum, quo Dominus hæc promisit, & vltimum quo promissa compleuit, adiungens, temperantius posui, octo fere dies. Et in ratione mystica illi post sex mundi ætates Sanctis ab omni labore quiescendum: Ego

Aug. de con. euã. li. 2. De doct. ch. lib. 3. De quęst. euang. cap. 7. Io. Chrisost. in Matth. 17.

autem

autem tempore Octauo surgendum esse de signo, quando, scilicet, finita secu li hebdomada, Dominus venerit ad iudicandum mundum. Inde etiam Psalmista, resurrectionis diem considerans, quia de extremi iudicij districtione erat locuturus, præmisit titulum dicens: In finem Psalmus Dauid pro Octaua. Vt enim quam octauam diceret demonstraret, diem illam tremendi terroris in Psalmi inchoatione secutus est in hæc verba: Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Modo enim, quisquis per flagella corripitur, et in correptionibus emendatur, in mansuetudine corripitur, non in ira. In districto autem illo examine omnis argutio atque correptio ira est, quia venia post correptionem non est. Per sex igitur ætates, quibus licet operari, precibus est insistẽdum, ne in Octauo retributionis tempore a iudice corripiamur irato. Infinita porro sunt huius numeri sacramenta: sed quia Hilarius præfatione (comm. in Psalmos, & Psal. 118. D. Hieronymus in expositione libri Eccl. et S. Ambrosius epist. 29. et in explanatione Lucæ Euangelistæ, vbi Dominus in monte transfiguratus est, et Aur. Aug. de sermone Domini in monte, vbi de Octo beatitudinibus disseruit, diuinam illam quietem, et summam beatitudinem designantibus; adeo diligenter & accurate de eo locuti sunt, vt si dicta illorum in vnam seriem colligantur, vix possint longissimo uolumine cõprehendi, ego breuitati studens, de hac Octaua tantum habebo verba. nam quod Lectori placuerit, ex his eligere licebit, cum huiusmodi viros aduocare sufficiat. Hæc igitur Octaua dies est, de cuius sacramẽto, et omnium nationũ in Christo fide, Octauus quoq; Psalmus incipit: Domine Dominus noster. Octauũ aũt diẽ non recipit mũdus; sed finito septimo ad primum vt redeat necesse est, quod Octaua ad æternam requiem pertineat. Octonarius (inquit Nic. Cusa.) semper est reiteratio post complemẽtum. hic mundus septem ætatibus rotatur in Octauã. sunt septem spiritus Dei, quibus mouetur spiritus noster, ut in Apo. et omnium consumatio est per septem, et renouatio in Octaua, vt in harmonia, quia Octaua repetit primam. Hinc Philolaus Pythagoræus harmoniam geometricam uocabat Octonarium, quod in eo cunctæ rationes conuenire viderentur. Nam apud Pythagoræos septenis harmonicis modis absoluitur quæq; consonantia, eoq; cum ad septimum peruentum est, ad primum redit progressus: quare in modorum Octonario initiũ, et finis vnum sunt; in septenario autem, nequaquam. Progressus autem ab eodem in idem, circularis est, isq. cum perfectionis sit argumentum, nobis facile exprimit

Gregor. in Ezechie lẽ hom. 16.

Psal. 61

D. Hiero.

Psal. 8.

Cassiodor. Sen. in ps. 11.

progressum a Deo in creaturas, qui a creaturis rursus in Deum resilit et reflectitur. Idem est a ueritate ad imaginem ipsam in suam veritatem referens: progressus autem a veritate in imaginem, qui Septenario exprimitur, nempe in quo finis & principium non sunt vnum, semicirculi est & imperfectus. Nam praterquam quod imaginem suum nactus est terminum, est prioris sola portio. Non itaque ab re vetus instrumentum, quod noui vmbra & imago, septenario exprimitur; nouum autem veritas, Octonario. Adeo veteris instrumenti homines imaginibus hærebant affixi, ne illas quidem in suum referentes auctorem, & finem. At diuino incarnati verbi detecto mysterio, sūma ueritas, unitasq. Septenario adiuncta, Septenarium in Octonarium commutauit. Nec ab re quidem humanam Septenario expressam assumsit naturam, quo plenius ac perfectius vmbratilem Septenario expressam imaginem, in suam transferret veritatē, qua parte Iudaismum, ritum itē Gentilium, quique solis hærebat imaginibus, in veram Dei latriam commutauit, & sacrificiorum vmbratilium multitudinem Septenario expressam, in vnum verissimi & immaculati agni commutauit sacramentum, in quo quaque omnia complectuntur sacramenta, eoq. mediator veteris et noui testamenti factus est, mediator nihilominus Dei & hominis, uita præsentis & futura. Quod quidem est argumento, nobis de hac vmbratili vita transeundum ad veram & immortalem vitam. Quemadmodum enim angelicus intellectus purus est, et per se subsistere natus extra corpus. Ita & humanus intellectus in corpore subsistere natus est. Cum igitur humani intellectus natura subsistat in corpore, non debet natura extra corpus esse, neque disiungi aut a corpore segregari. Nam quod extra corpus animam degere firmissime credimus, huius caussa fuit peccatum, quod præter naturam est. Quare iterum etiam cum sit immortalis & incorruptibilis, natus est corpori restitui, vt in proprio gradu & suapte ipsius natura subsistat semper. Facta sunt enim et creata vniuersa ab omnipotenti Deo, vt eo modo subsistant, quo nata sunt esse, nec statuit, aut uult Deus quidquam in rerum natura inane, uel otiosum. Atqui nata est rationalis anima, vt sit & saluetur in corpore, vt pote cui multæ vires insunt, quas nisi corpori addicta & conglutinata nequit exercere. Nam si verum est, prout verum est animæ nostræ substantiam conditam esse in æuo, numquamue interituram, aderunt illi semper siue in corpore, siue extra corpus vniuersæ vires

ipsius,

ipsius, naturalesque potestates. Extra corpus autem subsistenti plurimæ eius vires ociosæ relinquuntur, ut quibus desunt ipsa subiecta, & organa, & exercendarum naturalium operationum facultates, veluti sensitiua, et Imaginatiua, ad quas duntaxat in subiecto corpore exercendum nata est anima. Et cum omnis naturalis animæ vis, & potentia sit propter operationem, quæ ab ea proficiscitur, debet & naturalis potentia sempiternæ, semperq. manentis sempiterna continua, & iugis esse operatio; alioquin (quod contra naturam est) uis animi inanis, atque ociosa manebit. Licet enim illæ animæ vires, quæ sunt in aliqua parte corporis, & quæ, vt perficiant suas functiones indigent organis corporis, animam non consequantur emigrantem è corpore; omnino tamen in ipsa anima potentiæ istæ penitus manent, tanquam in radice. Futurum est igitur post sex huius seculi ætates, & septimam sabbati, in qua noster intellectus à corpore segregatus quiescit, ut resolutum in atomos corpus, octaua ætate, pristinam corporis formam recipiat, fiatq. rursus æternum animæ domicilium. Quod non ignorasse visus est Plato, apud quem Herus Pamphilius animas refert, cum in prato dies septem requieuerint, oportere octauo surgentes die illinc recedere. Quod à Santo Moyse creditur desumpsisse, vt sunt pleraq. mysteria ad Ethnicos quoque delata. Hoc quippe fuerat præfiguratum in circuncisione, quæ octauo die à natiuitate fiebat. Nam per membrum, quod circunciditur, mortalis propagatio generatur. Et quia in resurrectione nec matrimonium contrahunt, nec elocantur, nullaue carnis agitur propagatio, nullaue successio, sed sunt omnes, sicut Angeli Dei in cælo, ideoq. octaua præputium amputari cautum erat. Quod Sacramentum antiquæ consuetudini; subtrahere noluit Christus, licet enim haud esset hoc tempore necessarium; ne tamen antiqua religio prorsus reproba videretur, in se uoluit circunciſionis aptari signaculum. Namq. vt scribit Sanctus Lucas. postquam consumati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius ΙΗΣΟΥΣ. Cuius sacratissimi nominis, (nam de eo licet philosophari,) non tantùm etymologia, sed et ipse, qui litteris notatur numerus, perpetuæ salutis nostræ mysteria redolet. nam si respicis etymon, octo absolute continet elementa; interpretatur enim SALVATOR, si verò græci nominis numeros spectes, numerum habebis diuinæ resurrectioni cõgaudentẽ. huius enim numeri sunt I. 10. H. 8.

Plato de rep. lib. 10.

Gen. 17. 21. Leuit. 12.

Matth. 22.

Luc. 2.

Beda li. 1. commen. in Lucam.

Σ. 200. O. 70. Y. 400. Σ 200. *Qui in vnum redacti, efficiunt 8 8 8. Octo scilicet vnitates, Octo decadas, Octo hecatontadas. quemadmodum a Sibilla Cumana fuerat pronunciatum his versibus ex græco in latinum conuersis.*

Tunc ad mortales ueniet mortalibus ipsis
In terris similis natus patris omnipotentis,
Corpore vestitus, vocales quattuor autem
Fert, non uocalesque duas binum geniorum.
Sed quæ sit numeri totius summa, docebo.
Nanque octo monades, totidem decades superistas,
Atque hecatontadas octo infidis significabit.
Hominibus nomen, tu uerò mente teneto.

Hoc igitur diuinum nomen Octo absoluta continet elementa, quia resurrectionis exemplum in se mortalibus Octaua die resurgendo præstitit. Continet et decuplata, quia legis decalogus quomodo debeat impleri, sua nos resurrectionis figuris instituit. Continet & centies ducta, quia gloria suæ resurrectionis ostensa, quæ nos in futurum sequatur retributio præmonstrat. Centenarius namque numerus, qui post tot in læua cursum numerorum, primus dexteram petit, illius nimirum seculi gaudijs figurandis aptissime congruit. Perfectorum autem cumulatio numerorum vnitatis scilicet, Denarij, & Centenarij firmitatis indicium est auctore Beda. Hæc de Octonario castigatius, quàm se copia suggerebat.

Com. in Luc. cap. 2.

DE NVMERO IX.

NOuenarius numerus ad Denarij non accedens perfectionem, sed vnitate minor & citra illum deficiens, rerum & operum imperfectionem ac diminutionem designat, mortalibus potius & rebus seculi competens, quam diuinis. Exhodi cap. 22. Decimas & primitias Deo offerri præceptum, nouem vero partes retineri. Quod ergo primũ est & decimum Deo offertur; quod Nouenario mensuratur, retinetur. quia reuera cuiuslibet boni operis inchoatio, & cõplementum, ac perfectio, Deo sunt ascribenda. quoniã sine diuina gratia nullũ bonum opus perficitur, aut completur. Ipse.n. Dominus operatur in nobis uelle, & perficere. Nec sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquã ex nobis, sed

Leuith. 27.

Philip. 2. 2. Cor. 2.

sed sufficientia nostra ex Deo est. Nouem igitur partes, idest, quacunque imperfectio nobis est retinenda, & nobis ascribenda. Docuit hoc procurator ille apud Euangelistam, qui hora nona inuenit ociosos in foro. Legens diuina oracula vix, aut nunquam nouenarium laudabiliter positum inuenies. Considera Symeonem filium Iahacob in Aegypto detentum, & nouem fratres eius dimissos vt reuerterentur ad Patrem, quorum diminutum numerum dum specularetur magnus ille Scriba, non dixit eos ascendere ex Aegypto, quod ad hoc reor spectare mysterium, Si enim diligentius consideremus, inueniemus, quia nunquam fere in sanctum locum quis descendisse refertur; nec ad vituperabilem conscendisse memoratur. Nam de ciuitate sancta Hierusalem, quæ pacis visio, aut gratiæ spiritus interpretatur, scriptum est: Ecce ascendimus Hierosolymam. Contra in Aegyptum (ea mundus dicitur, in quem Dominus descendisse in carne memoratur) qui ex semine Abraham nascuntur, descendisse scriptum legitur; & rursum filios Iahacob ascendisse de Aegypto. Et de ipso Abraham sic dicitur: Descendit Abraham in Aegiptum. item: Ascendit Abram de Aegypto ipse, et vxor eius. Tum deinde, & de Isahac dicitur; quia apparuit ei Dominus, & dixit ei, non descendas in Aegyptum. Adhuc: Videns, inquit, Iahacob, quia est commercium frumenti in Aegypto, dixit ad filios suos: Vt quid desides estis, ecce audio quia est frumentum in Aegypto, descendite illuc. Et paullò post dicitur, quod descenderunt decem fratres Ioseph in Aegyptum comparare frumentum; cum autem dimissi reuerterentur ad patrem, eo quòd, detento Symeone, nouem essent, non est scriptum, quia ascenderunt ex Aegypto, sed imponentes, inquit, frumentum super asinos suos, abierunt. Quæ de ascensione, et descensione dicta esse volui, quo diuinam paginam non inerudito sermone compositam; sed secundum disciplinam diuinæ eruditioni accomodatam; neque tantum historicis narrationibus, quantum mysticis rebus, præcipue numeris, inseruire dignoscas. Pascha immolat populus, & alias celebrat festiuitates. omnis eius solemnitas Octauo absoluitur die, nec ad nouem peruenit. Qui agnum Paschæ parant, transacta die nona incipiunt præparare. Dies denique propiciationis, & expiationis mensis septimi, post diem nonam celebratur. Nonum annum non in bonam partem accipi, et quartus Regnorum liber, et Hieremiæ narrat historia, In hoc enim obsessa, & expugnata Hierusalem à Nabucodonosor rege Babylonis. Anno

Matth. 20.
Gen. 42.
Matth. 20.
Gen. 45.
Amos. 2.
Gen. 12.
Gen. 13.
Gen. 26.
Gen. 42.
Gen. 42.
Gen. 42.
Exe. 12.
Leuit. 16.
4. Reg. 25.

4. Reg. 18. nono regni Osee Salmanasar Rex Assyriorum Sammariã cœpit ducens populum Israel in Assyrios captiuum. Die nona mensis Iulij vtrumque templum dirutum, atque euersum. ideo apud Iudæos infaustus, et ater

D. Hier. in Aggeum. 2. nuncupatus est Nouenarius. Apud Aggæum, quia prophetia de immundicia populi futura erat, secundo anno Darij Nonus mensis iungitur. Taxatur hic numerus libro Reg. secũdo, quando peccauit Rex Dauid populum mandans dinumerari contra præceptum Domini. dicitur enim quod Ioab, lustrata vniuersa terra, adfuit in Hierusalem post nouem menses. Indicabat autem hic numerus subsecuturã pœnam. Nam et tria leuat

2. Reg. 24. Dominus super Regem, vt vnum ex tribus eligat. D. Hieronymus exponens illud Ezechielis: In anno nono, decimo mense, decima mensis:

4. Reg. 25. Nouenarius, inquit, pœnarum, & dolorum numerus est, et semper sequitur iustitiam, & decimi mensis, et diei decima clementia temperatur. Idcirco enim adhibentur ægrotantibus pœnæ, vt dolorem sanitas consequatur. sic apud Homerum Nouem diebus sagittæ Apollinis Græcorum exercitum peruaserunt, pestem & interitum inferentes.

Ἐννῆμαρ μὲν ἄνὰ στρατὸν ὤχετο κῆλα θεοῖο. Nonus psalmus illorum primus est, qui aduentum Antichristi prophetant, cuius os maledictione, & amaritudine

Psal. 9. plenum, & sub lingua eius labor, & dolor. In eo etiam sacratissimus Domini aduentus exponitur, quando Dominus iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iustitia. Numerus etiam præsens illud occultum

Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. aperire probatur, quod hora Nona Dominus noster IESV Christus sanctum emisit spiritum. Namque inter alia de passione ipsius etiã Psalmus loquitur Nonus, per calculum suum transitus eius horam annuncians, quãdo etiam Crucis ipsius noscitur narrasse mysteria. Quòd si D. Athanasium sequi voluerimus, in hoc Psalmo est Angelorum demonstrata per

Ps. 9. De Con. dis. 1. Hi duo. nicies, cum dicitur: Increpuisti gentibus, et perijt impius. Nam vt in Canone scriptum legitur, quòd Nouem hebdomadibus, Alleluia, intermittimus, nõ incõgrue per Nouem hebdomadas, Nouem Ordines accipimus

Rupertus zuitiẽ. lib. 12. in Iohan. Angelorum, quorum decimus, per superbiam corruens, Angelicũ numerum minuit, & à felicitate perturbauit. item Aug. sermone de Decimis:

16. q. 1. Decimæ. Hæc est, inquit, Domini iustissima consuetudo, vt si tu illi decimam non dederis, et tu ad decimam reuocaberis, hoc est, ad Dæmones, qui sunt Angelorum pars decima, associaberis. In eandem sententiam descendit Gul. Durandus, hæc scribens libro diuinorum officiorum: Nouem sunt ordines Angelorum, qui, postquam decimus cadens propter superbiam, uersus,

sus est in Diabolum, in perseuerantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Ad istius ruinæ mentionem spectare uidetur quod in Apocalypsi legitur: Decima pars ciuitatis cecidit. Hinc etiam illud exstitit. Tot fore saluandos homines, quot Angeli ceciderunt; quòd Angelorum ruina per Hominem sit restituenda, vt Psalmo habetur nono supra centesimum: Iudicabit in nationibus implebit ruinas. Quod etim apertius declarasse visus est cælestis hominum magister Christus, cum de illis, qui ad cenam uocantur, inquit: Compelle eos intrare, vt impleatur domus mea. sic enim hunc locum Doctores aliquos explicasse legimus: Quia Lucifer cum subditis sibi, & desertorijs prolapsus locum vacuum reliquit, eum à nobis in ipsius gradum, atque ordinem per virtutem impleri necesse, iuxta paraboläm decem drachmarum apud Euangelium Lucæ. Og rex Basan, qui typus est Diaboli, mystice describitur esse longitudinis Nouem cubitorum. Quidam enim illustres Theologi malos Dæmones in nouem gradus distribuunt, quoniam aliqui Dæmonum gradus Pseudothei, hoc est, falsi Dij appellätur, qui, assumpto diuinæ maiestatis nomine, pro Dijs coli uolunt, sacrificia, & adorationes expetunt, sicut Sathan ille, qui ait ad Christum: Si cadens in terram adoraueris me, dabo tibi hæc omnia, ostendens illi vniuersa Regna orbis terrarum. Atque horum princeps est ille qui dixit: Ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altißimo. Hos secundario sequuntur Spiritus mendaciorum, cuiusmodi fuit ille, qui egressus est spiritus mendax in ore Prophetarum Achab. Tertio loco censentur uasa iniquitatis, qui spiritus sunt inuentores malorum, omniumque artium prauarum, qualis apud Platonem fuit Teut ille Dæmon qui ludos, & aleam docuit. Eos Psalmographus vocat uasa mortis; Esaias vasa furoris; et Hieremias uasa iræ; Ezechiel vasa interfectionis, & interitus. Quarto loco veniunt vltores scelerum; quinto præstigiatores, qui miracula imitantur, & magis infamibus, maleficisque inseruiunt, atque ita populum seducunt miraculis suis. Sextæ classi assignantur aereæ potestates, se tonitruis, fulminibus, et fulguribus admiscentes, aerem corrumpentes, pestes, & alia inducentes mala. Septimum locum occupant furiæ seminatrices malorum, discordiarum, bellorum, et uastationum; octauum criminatores, & exploratores; postremum Tentatores, & insidiatores, qui singulis adesse creduntur hominibus, mali Genij idcirco nuncupati. Sunt igitur in mundo infernali nouem genera Cacodæmonum, Pseudothei, Spiritus mendacij, Vasa iniquitatis, Vltores scele-

cap. 11. Pet. Lomb. sent lib. 2. dist. 9.

Psal. 109.

Luc. 14.

Cassiodorus senator in Psal.

cap. 15.

Deuter. 3.

Matth. 4.

Esa. 14.

3. Reg. 22.

scelerum, Prastigiatores, Aereas potestates, Furias, Criminatores, siue exploratores, & Tentatores seu insidiatores. Nouenario etiam absoluitur Sensibilis mundus. Firmamentum quidem, quod prisci maximum, & supremum sensibilium corporum crediderunt, sequitur planetarum septenarius numerus, calum videlicet Saturni, Iouis, Martis, Solis, Veneris, Mercurij, & Luna. Infra Lunam quattuor supersunt elementa, Ignis, Aer, Aqua, Terra, qua licet heterogenea, & ab inuicem differentia sint; quia tamen vna simplicique ratione, qua & corruptibilia, & inuicem transmutabilia, continuaque, et sensibilium omnium seminaria quædam sunt, ab atherea, calestiue substantia distare cognoscuntur, simplicique nomine ea complectimur, vocamusque corpus elementale. Conflatur enim vniuersus sensibilis mundus duobus corporibus, elementari scilicet, & calesti; atque id totum, quod a centro terra ad firmamenti circumferentiam, conuexamque superficiem clausum continetur, sensibilem mundum, totiusque sensibilis mundi corpus, & quidquid est sensibile, nuncupamus. Extant profecto supra firmamentum cæli, sed inuisibiles sunt & insensibiles erratica vel fixa stella carentes. Nouem igitur cum sint totius sensibilis mundi partes, hieroglyphice nouenario numero notantur Idololatræ, qui cum debuissent, has nouem sensibilis mundi partes transilientes, uenire ad perfectum numerũ, qui est super omnes Deos, decimam nempe partem, ac ut uerbo uno complectar, ad Dei cognitionem, post creaturas desiderando Creatorem, euanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dum simulachris diuinos honores tribuunt, atque adorationem à Creatore ad creaturas transferũt colentes, ac seruientes creaturæ potius quàm Creatori. Vnde D. Ambr. Inexcusabiles facti sunt Gentiles, quia, quæ creata erant ad vtendum, venerati sunt ad colendum. Posset fortasse ad hoc spectare quod de decem Leprosis narrat Euangelium Lucæ. Nouenarius numerus, si vnum in augmentum sui percipiat, quãdam formam vnitatis explet, & in denarium surgit. Quo numero, idest, denario tanta fit complexio, vt ultra illum alius numerus non excrescat, nisi hic idem denarius repetatur a capite, hoc est ab vnitate, & hæc per infinitatem numeri regula custoditur. Vnum ergo ad unitatem suam custodiendam non indiget nouem, nouem vero indigent vno, vt quædam effigies vnitatis compleatur, idest denarius in eundem modum & illi qui intra vnitatem sanctæ Ecclesiæ sunt collocati, qui per vnum designantur non indigent auxi-

Clemens Alex. strom. 2.

Rom. 1.

Seruius Gram. Aen. lib. 10.

Act. 24. cap. 17.

lio

lio eorum qui extra sunt positi per infidelitatem; illi verò, qui foris sunt, indigent adiutorio Electorum, vt per eorum ministerium ac intercessionem mereantur sanctæ Ecclesiæ incorporari, quoniam aliter saluari nequaquam possunt. Præterea sicut illi nouem ex patria Iudæi, qui mundatori suo gratias non agentes, sed ingrate abeuntes, effecti reprobi, declarati sunt amisisse regnum celorum, vbi maxime vnitas custoditur: Pari ratione vnus ille, licet Samaritanus alios, et grati animi officio vicit, et Deum laudibus celebrans, unius Ecclesiæ deuotã Deo humilitatem significat, qui vero Deo quottidie gratias exoluit, quia repressis præsumtionis suæ cogitationib. infirmitatem suam humiliter aspicit, de bonis quæ agit, nihil sibi tribuit, sed omnia a diuina clementia procedere confitetur. Quamquam autem lepræ, vt præter naturam existenti, peccatum comparari possit, vt pote quod præter naturam sit, animamque deformitate quemadmodum lepra corpus afficiat. non incongrue tamen, iuxta significationem spiritualem, leprosorum nomine signantur Hæretici, qui, unitatem fidei non habentes, uarias doctrinas profitentur erroris: Non enim imperitiam suã abscondunt, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et iactantia sermonis ostentant. Nulla porro falsa doctrina, quæ non aliqua sit veritate permixta, ne si aut aperte mendax fuerit, haud recipiatur; aut si ex toto vera, hæretica non sit. Quemadmodum autem vulnera vnius corporis in cute apparentia, diuersis coloribus carnem obducunt; ita in vniuscuiusque Hæretici doctrina falsa veris resperguntur, vt sub obtentu veritatis falsitas inimica præualeat, more eorum qui venena propinãtes, ora calicis melle liniunt, vt dum mellis dulcedo intenditur, uirtus poculi auidius insumatur. Nec me fugit hæresim esse electionem vel sectã, quæ, vt dicunt Scriptores referente Laertio, rationem aliquam, iuxta id quod apparet, & in promptu est sequitur, aut sequi videtur, vnde et nouem Philosophorum sectas fuisse idem Auctor ostendit. Et Cicero in præfatione paradoxorum, de secta Stoicorum uerba faciens. Cato (inquit,) et ea sentit, quæ non sanè probantur in vulgus, et ea est hæresi, quæ nullum sequitur florem orationis, neque dilatat argumentum, sed minutis interrogatiunculis quasi punctis, quod proposuit, efficit. Augustinus lib. de Ciuitate Dei: Aristoteles Platonis discipulus, vir excellentis ingegnij, cum sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueuerat, plurimos Discipulos, præclara fama excellens, viuo adhuc præceptore, in suam hæresim congregauit. Nostri tamen Theologi malam opinio-

Greg. Naz. li. de baptismo: Aug. qq. Euang. li. 2. c. 40.

Seruius Gram. Aen. li. 10. Act. 24.

Aug. lib. 8. 12.

nem

nẽ hæresim intelligunt, hæreticosq. uocant, qui contra dogma catholicum, et christianum sentiunt, suntq. in sua opinione pertinaces. Qua de re isti in Nouenario numero, tanquam imperfecti, remanebunt. Et meritò eos seruator noster Christus, quasi ignotos, ubi sint; inquirit. Sicut enim eos quos eligit, scire comprobatur; ita eos, quos reprobat, non incongrue nescire dicitur. Vnde & quibusdam in fine dicturus est. Nescio uos, unde sitis; non quòd Deum aliquid lateat; sed quia impiorum uias, quorum figuram isti prætendunt, leprosi quasi ignotos reprobat. Nunc à Pythagoricis hæc demonstrata fuisse probemus; ipsi quidem perfectum numerum uocant, quem suarum sectionum singulæ partes aliquotæ simul sumptæ coæquant. Huius igitur perfecti numeri uniuersa notæ in unum redactæ Nouenarij multiplicem una superant unitate. Nam si numeri 28. notas aggregaueris, denarium habebis ex 2. & 8. conflatum, qui sola unitate Nouenarium superat. Numeri quoque 496. perfectorum tertij, nec non 8128 perfectorum quarti, & 130816. quinti perfecti, separatim sumptæ notulæ, numerum 19. reddunt, à quo dempta unitas, remanent 18. bina Nouenarij pluralitas. Perfectorum sextis 2096128. perfectorum pariter septimus 33550336. simul sumptæ notæ, ut prius, 28. producunt, qui subtracta unitate, residuum faciunt tertiam Nouenarij pluralitatem. Atque hoc in cunctis perfectis ita habet, ut, dempta unitate, sola relinquatur Nouenarij pluralitas. Et quid hoc aliud notat, quàm nullam extare numeri perfecti substantiam, nisi unitas Nouenario copuletur? Adeo Nouem indigent uno, ut perfecta sint. Accedunt ad hanc rem comprobandam decem prædicamenta, seu decem prima genera, ratione distincta in substantiam, et accidentia, de quibus dici solet.

Greg. moral. lib. 2. 4. Luc. 13.

Summus Aristoteles, trutinando cacumina rerum,
In duo diuisit, quidquid in orbe fuit.

Substantiæ unum est prædicamentum; reliqua Nouem sunt accidentium. substantia, utpote omnibus numeris absoluta, & per se existit, & seiuncta ab omnibus accidentibus considerari, et mente percipi potest; Nouem verò accidentia ita affecta sunt, ut per se existere nunquam possint, sed in subiecto, quod est substantia, sẽper esse necesse est. Dicunt enim Logici, aliquid esse in subiecto, quod, cũ in alio sit, sine eo esse non possit, et tamen non est pars eius. Nouenarij numeri mentionem facit Homerus, quando sunt dandæ responsa, aut condendæ leges. Namq. ubi de Cretæ

loque-

loqueretur, quod esset populis admodum referta, et in ea Nonaginta vrbes: Inter illas, inquit, est Cnosos, in qua Minos regnauit, Nouem annis cum Ioue magno collocutus. Hoc nempe carmen illud significat. Plato i. Minoe.

Τοῖσι δ' ἐνι κνοσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλου ὀαριστής.

Minos regnauit nouem annis magni Iouis collocutor.
Minos annos nouem in Iouis antrum erudiendus accessit.

Nundinam Deam colebant Romani, vt asserit Vectius Prætextatus, qua ipsi infantes Nona die à suo natali aqua, et igne lustrabantur, illisq; nomen imponebatur, quos dies appellabant Lustricos, vt in cenis etiam Macrobianis habetur. Humano quoq; mortalium generi infestissimum esse Nouenarium argumento sunt multæ admodum graues et acutæ infirmitates, quæ vsque ad hunc numerum semper crescunt. Mulier infante nato, si purgari perseueret, permanet sana; sed si vltra nouem dies differtur purgatio, prope ad periculum accedit ægritudinis: vnde male admodum habet, & cito incurrit ad mortem. Homo quoq; dicitur Nouem diebus in aqua, vbi submersus est, latere; et postea enatare. Homo etiam, qui morsus a Leopardo, a muribus ad corrodendum impetitur, liber remanet, si Nouem diebus ab ipsorum murium impetu defendatur. Pediculus item, qui de homine nascitur, Nouem diebus viuit. Quin & Noueni ætatis anni, sicut et septeni, quos enneaticos uocant et hebdomaticos, decretorij, maleficiq;, ac ad vitam succidēdam apti. Auctor Iulius Maternus propterea sexagesimum tertium ætatis annum præcipue videri periculis insignem, quoniam vtriusq; multiplicatam, ac inuicem obligatam sibi summam perficiat. Nouies enim septem, et septies Nouem, sexaginta tres efficiunt. Apud Gellium legimus obseruatum in multa hominum memoria, expertumq. senioribus plerisq. sexagesimum tertium vitæ annum cum periculo, & clade aliqua uenire, aut corporis, morbiq. grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. quo sane argumento Andracles dicitur, quod vitæ substantiam omnem frangat, et comminuat. Augustus Caium nepotem lætum natalem diem suum celebrare iubet, quod annum illum omnibus senibus periculosissimum euasisset. Quare Climactericus præcipue annus ille vocatur, quia a Nono incipiens, vitam hominis, quasi per gradus quosdam agat. Nam & quinquagesimus quartus, et alij Climacterici nuncupantur, quoties, aut per septem, aut per Nouem consurgunt. Sic et numerus 81. in humanæ vitæ annis maxi- Petr. Borchorius. Gel. li. 15. 7.

me

me formidabilis iudicatus est; quippe qui raro sine vitæ, aut fortunarum periculo trasmitti soleat, vt qui ex Nouem Nouenarijs resultet. Quare Climactericus, siue scansilis & ipse nuncupatur, quod ad eum per gradus, et veluti quasdam scalas, paullatim ascendatur. ter nanq; sumta vnitas ternarium conficit. is per se multiplicatus Nouenarium. Nouenarius autem in se ductus 81. constituit. Ad quod forte respicientes Sophistæ seu Magi, qui cælestibus siderum errantium globis quadratos numeros dicarunt, Nouenarium Saturno. 16 Ioui. 25 Marti. 36 Soli. 49 Veneri. 64 Mercurio. 81 Lunæ, consecrarunt. At vero Philosophi, vbi cælestibus numinibus numeros assignant, dualitatem dicunt dari Lunæ, quæ secundum lumin are est; itemq. Saturno & Marti, duobus apud Astrologos infortunijs. ille enim frigidus est & siccus, melancholicus, naturæ humanæ inimicus, et vitam destruens, maleuolus, & infortunijs associatus: hic vero calidissimus est, & immoderate siccus, cholericus, maleuolus, & malæ fortunæ comes. Septenarius ad Saturnum pertinet, idemq. Lunæ motum, lumenq. dispensat. Nouenarius item ad Lunã, omnium cælestium influxuum vltimum receptaculum, spectat. Nam omnes aspirationes per orbem ipsius ad nos vltimo descendunt. Sic in harmonia Binarius, Septenarius, & Nouenarius male audiuntur. Nullus enim, in Musica vel leuiter versatus, ignorat secundam vocem, et septimam esse dissonantes. At cum octaua omnium consonantiarum perfectissima redeat ad primam, Nona similis erit secundæ; quare et insona. Pythagorici Nouenarium, vt pote primi versus finem tenentem, adscribunt Marti, a quo finis omnium rerum. Cum enim ex litterarum numeris nati horoscopum aucupari voluissent, computabant nomen suum, & vtriusq. parentis sui per singulas litteras, collectamq totius summam per 12. diuidebant, & si remansisset vnum, notari volebant Leonem. 2 Aquarium. 3 Capricornum. 4 Sagittarium. 5 Cancrum. 6 Taurum. 7 Arietem. 8 Libram. 9 Scorpium. 10 Virginem. 11 Pisces. 12 Gemini. Cum vero dominatricem stellam scrutabantur, totam summam collectam per Nouenarium diuidebant, illum subtrahendo quoties fieri potuisset, et remanente vnitate, aut 4. vtroque Solem volebant indicari; si 2. aut 7 Lunam. 3 Iouem. 5 Mercurium. 6 Venerem. 8 Saturnum. 9 denique Martem. Vnde & res bellicosa in oraculis habetur hic numerus, vt colligitur ex Nouẽ Regnis, quãdo ciuili bello quattuor affectus contra quinq; sensus insurrexerunt, ac totam animam quasi ciuitatem adduxerunt in

Gen. 14.

rui-

ruinæ et vastitatis periculum. Constat enim Nouem esse temperamenta, seu complexiones, resultantia ex quattuor qualitatibus humorum, quibus anima a diuinitate prohibetur, quarum quattuor simplices sunt; quattuor vero commixtæ. Nam siccitas mixta frigori, terrestrem, ac melancholicam corporaturam facit; calori, igneam ac biliosam; humiditas cum frigore, aquaticam seu pituitosam; cum calore, aeream facit, et sanguineam. Nonam volunt æqualem, in qua suam iustitiam omnes qualitates operentur; nullaq. nec superet, nec superetur. Ex harum igitur Nouem complexionum discordia, religari animas apud inferos dictum est; symboliceq. per Paludem Stygiam Nouies inferno circumfusam coerceri, & contineri. De hac Poeta nobilis

Alligat & nouies styx circumfusa coercet.

Quam quidem Paludem Stygiam ad iusiurandum adhibere cum soliti essent Dij Gentium, tum si quis eorum peierasset, illa erat proposita pœna, vt per Nouem annos a nectare & ambrosia, atque ab omni Deorum consuetudine abstinerent, præsertim autem concubitu. Lectus enim & mensa Deorum, cui simul contingebant, hunc diuinitate donari volebant, vt apud Virg.

Nec Deus hunc mensa, nec Dea dignata cubili.

et Hesiodus in Theogonia

Ἐννέατες δὲ θεῶν ἀπομείρεται αἰὲν ἐόντων
Οὐδέποτ' ἐς βουλὰς ἐπιμίσγεται οὐδ' ἐπὶ δαῖτας
Ἐννέα πάντ' ἔτεα· δεκάτῳ δ' ἐπιμίσγεται αὖτις
Εἰρέας ἀθανάτων, οἱ Ὄλυμπια δώματ' ἔχουσι.
Τοῖον ἄρ' ὅρκον ἔθεντο θεοὶ συγὸς ἄφθιτον ὕδωρ.

Ille Nouem procul a Diuis depellitur annos;
Concilio totidem Diuorumq. abstinet, idem
Cum superis pariter conuiuia nulla frequentat;
Pristina conditio decimo cui redditur anno.
Tantus honor stygijs iuratis additur vndis.

Itaq. Nouenarius numerus Marti, Scorpioq. dicatus. mira enim vtriusque coniunctionis similitudo est. nam Scorpio, qui est Domus et Gaudium Martis, etiam humani corporis pudenda assignantur, et ipse Mars adulteriorum infamia semper notatus fuit, ex quo a Satyrico Poeta Meretrices NONARIAE dictæ videntur.

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellet.

Siue quod Mars censeatur Deus adulterij; siue quod hora Nona cellas aperire solerent, prostituendi sui corporis gratia. nam tum, rebus serijs expeditis, voluptati operam dare licebat. Hinc illud apud Venetos vulgatum;

Nell'hora di Nona, non si troua buona persona.

Nec illud tacendum, eam esse Scorpij improbitatem, vt diuina oracula per eum indicent Diabolum, et sectatores eius, de quibus in Euangelio dicitur: Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & Scorpios. Ac fortasse huc spectat, quod dictum est: Ipsa nempe Mulier conteret caput tuum. Nam & si Scorpij conteratur caput, non tamen adinsidiandum adimitur uenenum, quod in cauda est. Sic etiam si aperta Demonis tentationes repellantur, redit tamen, vt testatur Dominus in Euangelio, fortior, assumtis secum Spiritibus nequioribus se. Itaq. quo sæpius de Damone triumphatur, eo maior adhibenda cura ad cauendum; cum in cauda remaneat venenum. quod conspicatus Nicander dixit scorpij caudam, in qua veneni aculeus est, Nouem a cuspide compagibus Sphondylos contineri:

Luc. 10. Gen. 3. Math. 12. Luc. 11.

Τοίη οἱ κέντροω κόπις. Τοῖόδ' ὅπη κέντρῳ
Σφόνδυλοι ἐννεάδεσμοι, ὑπερθύριοσι κεραίης.

Vbi Antigonus, et Demetrius Ἐννεάδεσμοι *simpliciter, non pro Nouem positum dicunt, non enim Nouem sunt Spondili sed tantum septem, vt inspicienti cuiq. manifestum est; sed quod Nouenarius numerus maxime infelix sit atque veneni Scorpij quam simillimus. Quin etiam idem Nicander* Ἐννεάδεσμοι *alibi dixit de eo, qui duos tantum aculeos haberet, vt Scholiastes notat. Quare & Hydram Lerneam maxime mortiferum monstrum, Nouem serpentum capita habere dixerunt. Alcæus. n. eam* Ἐννεάκεφαλον *uocat; cuius significatum multi alijs atq. alijs modis interpretati sunt. Nos ea contenti esse possumus expositione, quam Plato in Euthydemo posuit, vbi per eam sophysticas ait nugas significari; quo hominum genere nihil in vitæ societate perniciosius esse potest. Itaq. bene cum Nouenario consentit Scorpius. Adhuc etiam hoc numero Antiqui mœstitiæ symbolum esse voluerunt. Itaq. Venerem, quæ est vniuersæ hilaritatis auctor arbitrati sunt ab Erycis monte digressam per Nouem dies statos singulis annis secessum colere, interimq. nullas toto eo tractu Columbas apparere. abire enim illas Deæ suæ comites, Nonam vero post diem aduentare vnam reditus pronunciam, quæ Veneris templum ingre-*

Gre. Naz. in Iul. oratione 1.

dio

diebatur, reliquas mox vno turmatim agmine reuerti. atque hinc gaudio exultantes Venerem adesse profitebantur, diemq. illum hilarem, cantibus & iocis festiuum celebrant. Scribit quoq; Aelianus, quod Formica, cum Nonum a Lunæ coitu diem inauspicatum norit, numquam eo die de latebris exit. Notant etiam hunc numerum Græci littera Theta Θ, quam Isidorus libro Etymologiarum mortem designare scribit, eamq. in sepulcris solitam poni, quod illa, tum cordis humani transfixi speciem quodam modo repræsentet; tum capitalis sit litterą verbi Græci θάνατος, quod mortem significat. Ac ita militari more fieri solitum dicebat, vt T nomini militis appositum, superstitē designaret, Θ casum. Adhanc alludit Martialis:

De anima lib. 1. c. 23

Etym. li. 1. cap. 2.

Nosti mortiferum Quęstoris Castrice signum,
Est operæ precium discere Theta nouum.

Et Satyrographus:

Et potis est vitium mortis præfigere Theta.

Persius Satir. 4.

Item alius Poeta:

O multum ante alias infelix littera Theta.

Nec omittendum quod scribit Asconius Pedianus, olim scilicet in iudicijs, sortes, quas mittebantur in vrnam, triplicem notam habere solitas; ac Θ quidem damnationis signum fuisse; T absolutionis; Λ ampliationis, id est, quoties sibi non liquere significabant, ac denuo caussam agi oportere. Atque ab huiusmodi iudiciorum more dictum est illud a Cicerone in Oratione pro Milone, cum de Pompeio loqueretur, qui illi quæstioni iudicioq. præfuerat: Vidit, inquit, in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. quod nisi vidisset posse absolui eum qui fateretur, cum videret nos fateri, neque quæri vnquam iussisset, nec nobis hanc tam salutarem in iudicando litteram, quam illam tristē dedisset. Etiam in sacrificijs Gentium Nouenarius expiationi dicatus habebatur. Cum enim piaculum esset si quis cade pollutus, vel alio flagitio, ad aras accessisset, minimeq. grata essent sacrificia, quæ ab impuris sceleratorum hominum manibus offerebantur, per Nouem dies, nocteśq. opus erat vt abstinerent ab omni libidine sacerdotes aut mulieres, quibus sacra res erant tractandą, vt est in hoc carmine:

Perq; Nouem noctes Venerem, tactuśq. virorum
In vetitis memorant.

Quid plura? Infelix adeo habitus est hic numerus, vt ad extremam ma-

ſtitiam & luctum declarandum eum adhibuerint, qui externis ritibus ſacra naturæ & viuentis Dei myſteria explicare conati ſunt. Vt enim mihi de his rebus agenti commemorauit Chriſtophorus Aſſonica vir ſummi conſilij, ſummaq. prudentiæ, & rituum eccleſiaſticorum peritiſſimus, cum aliquid humani acciderit, vel ipſi Summo Pontifici, vel Purpuratis Patribus, qui & totius Eccleſiæ cardines ſunt, & omnium fidelium inſtar, ex myſtica cerimoniarum formula indicitur per Nouem dies vniuerſæ Romanæ curiæ luctus. Quo id circo ab Eccleſia vſurpatum videri poterit, quod cum duo omnino fidelium ſint vitæ ſtatus, alter quidem in via, qui futuri figura cenſetur, et octaua benedictione perficitur, alter in patria, vbi Deũ facie ad faciẽ videbimus, qui denario numero perfect⁹ habetur; mors ipſa ſane ſit mediũ quoddam terribilis horrendique tranſitus, non tam huius corporeæ naturæ diſſolutione, quam diuini iudicij vltionisq. diei expectatione. Quare infeliciſſimum hoc tempus, cum & ſuppoſitum noſtrum tanto doloris ſenſu diſſoluatur, & anima ipſa nudata et perterrefacta illi tremendo Iudici ſiſtatur, ex cuius ſententia vel ſumma gloria, vel horrendi cruciatus pendeant, Nouenario teterrimo numero ſignificari myſtice voluerunt, ſimulq. intereа per totidem dies ſine intermiſſione exorandam precibus Dei benignitatem iudicarunt. Neque vero hic moueat nos quod huiuſmodi Nouendialia ab Aur. Aug. improbari videantur. Nam ſi recte eius ſententia attendatur, non damnat Nouendialia, ſed quorundam opinionem, qui propterea ad expiandos Manes a fidelibus adhiberi arbitrabantur, quod olim fuiſſent a Gentibus in funeribus excogitata. fuit. n. ſolẽne apud illos vetuſtiſſima cõſuetudine Nouẽdialia pro mortuis celebrare, quemadmodum licet plurimis in locis animaduertere. Apud Homerum, quem vnum omnium Gentium mores diligentiſſime perſecutum fuiſſe teſtatum eſt, inducitur Priamus Nouem dierum inducias ab Achille petere ad faciendas Hectori filio exequias.

Libr. q̃ſt. in Geneſ.

Εἰμὲν δὴ μ᾽ἐθέλεις τελέσαι τάφον ἕκτορι δίῳ.
Ὣς δέ κεμοι ῥέζων ἀχιλεῦ κεκαρισμένα θεινῆς,
Ἐννῆμαρ μὲν κ᾽ αὐτὸν ἐνὶ μέγαροις γοάοιμι,

Si placet, vt dignos nato impendamus honores,
Flere Nouem luces permitte domi Hectora noſtræ,
Aetheraq. & miſeris implere vlulatibus vrbem.

Nouem diebus Niobes ſex filij & filiæ totidem, ab Apoll. illi, & ha a Diana, interfecti Nouem diebus inhumati iacuerunt.

De

Οἱ μὲν ἀρ ἐννῆμαρ κέατ' ἐν φόνῳ, οὐδέ τις ἦεν
καθαίρων.

De hoc etiam ritu in Epodo loquitur Horatius:

Nouendiales dissipare puluueres.

Adhuc & Virgilius lib. 5. Aeneid.

Præterea si Nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit.

Vbi Seruius Grammaticus docet apud maiores fuisse morem, vt vbicumque quispiam fuisset extinctus, domum suam deportaretur, octauo die incenderetur, Nono sepulturæ daretur. Idem affirmat Donatus in Commentario Phormionis dicens: in funere Nonum diem voti habere instaurationem. Atque huius sacrificij mentionem fecit Suetonius Tranquillus scribens Cottam Messalinum quandoq. coargutum, quod cum die natali Augustæ inter Sacerdotes epularetur, Nouendialem dixisset cœnam illam. Ad hanc Nouenariam funerum cærimoniam spectat quod cum Plotina supremum diem clausisset, per Nouem funeris dies pullatus incessit Adrianus, tempumq. erexit, ac hymnos in eam fecit, vt refert Dion Cassius. Vigebat itidem huiusmodi usus mortuorum lugendorum per Nouem dies temporibus Iustiniani Imperatoris, per quem etiam sancitum fuit, quod hæres non teneretur creditoribus defuncti respondere ante Nouem dies ab obitu defuncti in Auct. sed neque C. de sepul. viol. De quo Glo. fin. l. si ex re. §. fi. ff. de stip. ser. dicit tempore digestorum in vsu fuisse, vt vniuersa familia defuncti veste lugubri incederet, famuliq. ac omnes hæredes tenerentur portare illas vestes per Nouem dies. quia totidem diebus debebant lugere. Ideoq. non vocabantur in ius illis Nouem diebus.

Laus Deo.

De

MYSTICAE

MERORVM

NIFICATIONIS

PARS ALTERA,

FRANCISCO CANONICO BERGOMATE

AVCTORE:

[illegible] potissimum reperiis, ex Theo-
[illegible] sententia, & probatorum aliorum cuiusuis
[illegible], ita exacte, dilucide, & accurate disseni-
[illegible] addi, aut detrahi posse videatur:

[illegible] aliis referuntur doctrina, vt non Theo-
[illegible] Philosophis, Mathematicis, atque aliis [illegible]
[illegible] quam vtendum sit futurum.

SUPERIORUM LICENTIA.



BERGOMI CIↃ IↃ XXCV.
Typis Comini Venturæ, & Socij.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0037127

Horoscopi
in Appiani
Burgus de
Numeris my
stici
Ludovici
Vanden